163
D
13

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
163
D
13
NAPOLI

Digitized by Google

INSTITUTIONES
THEOLOGIÆ THEORETICÆ

SEU

DOGMATICO-POLEMICÆ

CONCINNATÆ

A REVERENDISSIMO

P. ALBERTO A BULSANO

ORD. MIN. S. FRANC. CAPUCINORUM DEFINITORE GENERALI
PROVINCIÆ TIROLENSIS DEFINITORE AC LECTORE ETC. EMERITO

PARS PRIOR

DE DEO IN SE SPECTATO

VOLUMEN I.

Editio altera

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI
BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. III NAPOLI

TAURINI 1862
EX TYPIS PETRI, HYAC. FILII, MARIETTI
TYPOGRAPHI - BIBLIOPOLÆ

Digitized by Google

L'Editore intende godere del diritto di proprietà
accordato dalle vigenti leggi.

Digitized by Google

PROTESTATIO AUCTORIS

Si in elucubrandis praesentibus institutionibus theologicis, praeter mentem, imprudens in errorem lapsus essem; me, tenuesque hos labores meos sincerissimo affectu, totaque mente S. Romanae Ecclesiae, quae Ecclesiarum omnium Mater, et Magistra est, pro qua sanguinem, et vitam dare, Deo adiuvante, paratus sum, censurae subiicio. Quidquid illa tenendum praescripserit, firmissime teneo, ut genuinum Ecclesiae filium decet: quidquid illa damnandum iudicaverit, damno, detestor, atque anathematizo. Ego enim, ut cum S. Hieronymo (Ep. 14 ad Damasum) loquar: « Nullum primum nisi Christum » sequens Cathedrae Petri consocior: super illam » Petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicunque » extra hanc domum agnum comederit, profanus est. » Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante » diluvio. »

Romae die 17 Febr. 1853.

Fr. Albertus Knoll a Bulsano
Capucinus p. t. Def. gen.

Digitized by Google

INTRODUCTIO

IN THEOLOGIAM DOGMATICAM SPECIALEM

§ 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula* (1). Summa hisce verbis divina bonitas praedicatur, quae hominibus in tenebris et in regione umbrae mortis sedentibus per supernaturalem revelationem subvenire dignata est. Quamvis autem iam Patriarchis, ac populo israëlitico via salutis manifestata fuerit; plena tamen revelationis lux per Christum nobis affulsit, eamque omnes agnoscere, amplecti et sequi tenentur, ut salutem aeternam consequantur. Religio vero, a Christo hominibus annuntiata, in duplici fonte, nimirum in S. Scriptura et Traditione continetur, ac utriusque indeficiens custos, et non legitimus tantum, sed etiam infallibilis interpres est Ecclesia Romano-catholica, ab eodem Christo instituta. Veritatibus istis fundamentalibus, quae iam in Theologia generali pertractatae fuerunt, rite perspectis, ad singula quoque doctrinae christianae capita pertractanda accedere licet. De his variae disciplinae theologicae agunt (v. Th. gen. § 12 etc.): inter istas vero primum et praecipuum locum tenet *Theologia theoretica*, quae veritates fidei, seu dogmata de Deo et de regni ipsius moralis constitutione credenda pertractat, et contra oppositos errores refellit, atque ideo Theologiam *dogmaticam et polemicam* in se complectitur (ib. § 13). Priusquam autem veritates religionis christianae theoreticas singillatim explicare, comprobare, et contra adversarios defendere suscipiamus, in genere quaedam de ipsa scientia, quae pertractanda est, disserere oportet. Quamvis enim aliqua hac de re iam in Theologia generali indigitata fuerint, convenientissimum tamen, imo et necessarium est, ut hic Theologiae theoreticae 1° *obiectum* accuratius determinetur, 2° *officia* exactius describantur, 3° *fontes* magis practice assignentur, 4° *excellentia* clarius ostendatur, 5° brevisque *historia* proponatur.

Nota. Recte *D. I. Kuhn* observat, in introductione ad quamlibet scientiam ea omnia, et ea tantum exponenda esse, quae praevie cognosci debent, ut ipsius scientiae elucubratio debito modo suscipi possit (2). Iuxta hunc canonem indigitata quinque capita disciplinae, quam tradere instituimus, rectissime praemittuntur. Determinandum est enim eius obiectum, ut, qua de re agatur, manifestum fiat. Describenda sunt officia, ut, quomodo tractatio procedere debeat, perspiciatur. Assignandi sunt fontes, ut appareat, undenam non solum ipsae veritates ad scientiam pertinentes hauriendae, sed etiam cae-

(1) Hebr. 1, 1. (2) Dogm. cath. § 1.

tera omnia petenda sint, quae ad illas dilucidandas, probandas et defendendas requiruntur. Ostendenda est scientiae excellentia, ut eiusdem studium cum maiori alacritate suscipiatur. Adiiciendus denique est brevis historiae conspectus, ut, quid circa eandem scientiam iam praestitum sit, patefiat.

CAPUT I.

DE OBIECTO THEOLOGIAE THEORETICAE

§ 2. Scholastici obiectum Theologiae varie distinxerunt, quoniam nomine obiecti non solum rem ipsam, circa quam Theologia versatur, sed etiam huius formam et modum, quo procedere debet, imo et medium, seu motivum, per quod finem suum assequitur, intellexerunt (1). Nos per obiectum Theologiae theoreticae simpliciter intelligimus rem ipsam, circa quam haec disciplina versatur, et in eodem sensu tum 1° *Theologiae dogmaticae*, tum 2° *Theologiae polemicae* obiectum accuratius determinandum esse censemus.

ARTICULUS I.

De obiecto Theologiae dogmaticae, seu de dogmate in genere.

§ 3. Totius Theologiae obiectum principale, ac veluti centrum, Deum esse, ex ipsa vocis etymologia patet. Omnis ergo tractatio theologica eo tendit, ut nos ad Deum cognoscendum atque colendum perducat; quod ut obtineatur, etiam Dei opera, consilia et mandata, relationes, quas ad ipsum habemus, et officia inde promanantia in Theologia pertractari debent. Quomodo tota Theologia in Deum collimet, ostendit Cl. *Billuart* (2) dicens: « Obiectum *formale quod* alicuius scientiae est id, quod principaliter et ratione sui quaeritur, et attingitur a scientia, et ratione cuius caetera attinguntur: atqui Deus, ut Deus, est id quod principaliter et ratione sui attingitur a Theologia; est enim, ut dictum est, sermo, seu consideratio de Deo; et ratione illius caetera in ea quaeruntur et tractantur; quae enim tractantur in Theologia, vel sunt ipse Deus, vel dicunt ordinem ad Deum, sive ut proprietates ad essentiam, sive ut effectus ad causam, sive ut media ad finem. » Caeterum Deum non cognoscimus, nisi quantum ipse se nobis per rationem, et revelationem manifestat; hac autem duplici via omnia manifestantur, quaecunque necessaria sunt, ut homines Religionem colant, in unum corpus, seu in regnum divinum morale coalescant, et finem suum consequantur. Recte ideo Theologia dicitur scientia Dei, se regnique sui moralis constitutionem nobis manifestantis (v. Th. gen. § 4). Constitutio vero regni divini moralis tria complectitur; nimirum *Symbolum*, quod veritates credendas proponit; *Codicem*, qui officia implenda praescribit, et *Hierarchicon*, quod ministrorum sacrorum iura et officia determinat (ibid. § 49, n. 4). Exinde Theologia in varias partes abit, seu in varias disciplinas dividitur. Disciplina vero, quae ad symbolum spectantia tradit, *Theologia dogmatica* vocatur (ib. § 12 et § 13). Equidem etiam Theologia naturalis, quae solam rationem ducem sequitur, quaedam de Deo, regnoque ipsius morali pertractat; sed ab hac secernenda omnino est Theologia dogmatica, quae non ex sola ratione, sed ex divina revelatione veritates pertractandas haurit (ib. § 5), et ideo definitur: Scientia, quae veritates Religionis revelatae theoreticas colligit, rite disponit,

(1) V. Tournely Praelect. theol. t. 1, q. 2. a. 2; Billuart t. 1 diss. prooem. a. 5; Th. e Charm. Proleg. diss. 3.

(2) L. c., pr. 1.

clare explicat, et solide comprobat (ib. § 13). Veritates autem a Deo supernaturali modo revelatae, et ab Ecclesia ad credendum propositae, *dogmata* nuncupantur, unde etiam disciplina, quae illa tradit, dogmaticae nomen obtinuit. Convenit igitur, ut quaedam hic de dogmate in genere dicantur; genuina enim *dogmatis notio* est evolvenda, *conditiones ad dogma requisitae* sunt exponendae, ac *dogmatum divisiones* explicandae, denique in specie de *veritatibus virtualiter, seu mediate revelatis* disserendum est, ut discrimen appareat, quod inter dogmata catholica, et inter conclusiones theologicas, opiniones, et placita scholarum versatur.

I. *Notio dogmatis.*

§ 4. 1. *Dogma* nomen graecum est a verbo δοκεῖν, quod significat censere, arbitrari, vel etiam decernere, statuere. Itaque iuxta vocis etymon opinio quoque, placitum, imo et sententia falsa dogma dici potest, et in hoc sensu ista vox adhibetur Iob XIII, 4: *Prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum.* Constat tamen, sub nomine dogmatum etiam sententias certas, et firmas intellectas fuisse. Sic *M. T. Cicero* veritates philosophiae fundamentales dogmata appellat, scribens (1): « Quae (sapientia) neque de se ipsa dubitare debet, neque de suis decretis, quae philosophi vocant dogmata, quorum nullum sine scelere prodi potest. » Decreta quoque a potestate publica edita dogmata dici consueverunt: ita *S. Lucas* (2) edictum Augusti *dogma*, et (3) decreta Caesaris *dogmata* appellat. Usu autem ecclesiastico factum est, ut nomine dogmatum veritates revelatae, ab omnibus firmiter credendae, intelligerentur. In eodem fere sensu iam in S. Scriptura haec vox occurrit. Nam ea, quae ab Apostolis in concilio hierosolymitano sancita fuerant, dogmata nuncupantur: *Tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab Apostolis et senioribus* (4).

2. Dogma, iuxta sensum communiter in Theologia receptum, est omnis generis doctrina divinitus revelata de rebus divinis, aut ad religionem pertinentibus, iudicio Ecclesiae, vel communi Ecclesiarum consensu agnita, declaratave (5). Brevius cum *Em. Baronio* dogma definitur: Omnis et sola doctrina, quae in divina revelatione continetur, et ab Ecclesia credenda proponitur. — In hac dogmatis notione non solum antiquiores Theologi consentiunt, sed etiam recentiores, uti *Staudenmayr* (6), *Waibl* (7), *Kuhn* (8), *Dieringer* (9). — Nonnulli vero, adhibita distinctione, notionem dogmatis pressius explicare contendunt. Sic Cl. *Schwetz* (10) ita de dogmate disserit: « Nomine dogmatis, secundum usum loquendi ecclesiasticum, venit omnis divinitus revelata veritas religiosa. Sensu autem strictiori denotat vocabulum istud eiusmodi a Deo patefactam veritatem ad Religionem spectantem, quae simul qua talis nobis plane, et definite sit proposita, sive caeterum ad fidem, sive ad mores pertineat, seu veritatem religiosam fide divina, i. e. tanquam divinitus revelatam fide inconcussa tenendam. Sensu tandem strictissimo dogma tantum veritatem divinam ad fidem spectantem, ac indubitate ceu

(1) Quaest. acad. 2, c. 9, n. 27.
(2) Ev 2, 1. (3) Act. 17, 7.
(4) Act. 16, 4. - Cf. Ephes. 2, 15.
(5) Klüpfel Proleg. § 92.
(6) Theol. chr. t. 1, § 10
(7) Tract. de dogm. t. 2, c. 1.
(8) Introd. c. 2, § 7, p. 73.
(9) Dogm. cath. § 1 etc.
(10) Theol. gener. p. 3, § 71.

Google

talem definitam designat. » — Quidquid sit de hac distinctione, certum est, ad dogmata catholica referendam esse omnem et solam doctrinam, in qua conditiones ad dogma requisitae inveniuntur. Has igitur indagare, et stabilire oportet, ut de praefata distinctione rectum iudicium ferri possit.

II. *Conditiones ad dogma requisitae.*

§ 5. Ut doctrina quaedam de rebus divinis, aut ad Religionem pertinentibus verum fidei dogma constituat, requiritur *primo*, ut sit a Deo revelata, et *secundo*, ut ab Ecclesia qua talis credenda proponatur. Ideo *Veronius* (1) inquit: « Duo ergo debent coniunctim adesse, ut doctrina aliqua sit fidei catholicae. Primum ut sit revelata a Deo per Prophetas et Apostolos, seu auctores canonicos .... Secundum ut sit proposita ab Ecclesia. Si utrumque adsit alicui doctrinae, illa fide divina catholica est credenda: si alterum desit, seu revelatio, seu propositio Ecclesiae, non est fide divina catholica credendum. » Has duas dogmatis conditiones speciatim probare et explicare oportet.

1. Quaecunque veritas religiosa tanquam fidei catholicae dogma asseritur, debet esse a Deo revelata vel in V. T. per Moysen, Prophetas et alios Scriptores canonicos, vel in N. T. per Apostolos et Evangelistas, seu, quod idem est, debet esse revelata a Christo, qui veteris foederis Revelationem confirmavit, et plenam Revelationis lucem attulit (2). Ideo Rom. X, 17 legitur: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi;* fides ergo divina, quae cuilibet dogmati debetur, *verbum*, seu revelationem *Christi* pro primario suo fundamento requirit. In hoc sensu idem Apostolus de fidelibus ait, Ephes. II, 20: *Aedificati estis super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu;* et I Cor. III, 11 addit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* I Thess. II, 13 laudat fideles, quod annuntiatas sibi doctrinas tanquam divinitus revelatas acceperint, dicens: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut vere est, verbum Dei.* Communi quoque consensu Theologi catholici cum *S. Thoma* (3) docent, obiectum materiale adaequatum fidei esse omne revelatum a Deo; obiectum autem formale quo, seu sub quo fides est habenda, esse infallibilem Dei scientiam et veracitatem in dicendo (4): ex utroque autem obiecto clare patet, quod solummodo doctrina a Deo revelata dogma fide divina credendum constituere possit. — Quoniam autem Revelatio divina in duplici fonte continetur, nimirum in S. Scriptura et Traditione; haud necessario requiritur, ut doctrina in S. Scriptura expressa legatur, sed ad dogma constituendum sufficit, ut contineatur in divina Traditione; constat enim, non omnia, quae Christus docuit, ab auctoribus canonicis conscripta esse, sed multa solum per oralem institutionem ad nos transmissa fuisse (v. Th. gen. p. II, sect. 2, c. 2, art. 3).

2. Ad dogma constituendum etiam requiritur, ut doctrina divinitus revelata qua talis ab Ecclesia catholica ad credendum proponatur. Christus enim Ecclesiam tanquam authenticum et infallibilem Revelationis interpretem instituit, fidelibusque, ut illam audiant, praecepit (v. Th.

(1) Regula fid. c. 1, § 2.
(2) Matth. 5, 17, Hebr. 1, 1

(3) 2 2, q. 1, a. 1.
(4) V. Billuart de fide etc. diss. 1, a. 1.

gen. p. III, cap. 2). Quamvis ergo cuncta, quae Deus revelavit, certissime vera sint, imo falsa nullo modo esse possint; attamen ex ipsa Christi ordinatione divinitus factas revelationes ab Ecclesia accipere debemus, quae infallibiliter tum effata divina contestatur, tum rectum eorundem sensum exponit. Egregie hanc in rem loquitur *Card. Gotti* (1) dicens: « Verbum quidem Dei non eget verbo Ecclesiae, ut sit verbum Dei; egemus tamen nos testimonio et verbo Ecclesiae, ut certi simus, illud, quod nobis tanquam verbum Dei proponitur, esse revera verbum Dei, et non hominis; neque hoc est, ut aiunt acatholici, verbum Dei a verbo hominis recipere approbationem, sed potius testimonio Ecclesiae, in hisce non ex se, sed ex verbo Dei infallibilis, cognitionem nostram et fidem confirmari, quod hoc sit verbum Dei, atque genuinus eiusdem sensus; quia cum Christus Ecclesiae promiserit assistentiam Spiritus sancti, qui doceat eam ducatque in omnem veritatem, haec, stante Dei promissione, quae semper obtinet, nunquam deficit, nunquam docet aliquid esse revelatum, quod non sit revelatum. » — Eadem fuit Ss. Patrum doctrina, constanter asserentium, nonnisi per Ecclesiam tuto cognosci posse veritates revelatas, fide divina credendas. *S. Irenaeus*, cum variis argumentis ostendisset, Ecclesiarum testimonia de veritatibus a Christo revelatis et per Apostolos annuntiatis errare non posse (2), concludit: « Tantae igitur ostensiones quum sint, non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; quum Apostoli quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis, uti omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus... Quae autem sunt Ecclesiae, cum summa diligentia (oportet) diligere, et apprehendere veritatis traditionem. » *Clemens Alex.* (3) ait: « Recta sunt omnia, inquit Scriptura, coram iis, qui intelligunt, hoc est, iis, qui ab ipso (Domino) declaratam Scripturarum expositionem ex ecclesiastica regula accipientes conservant. » *S. Hilarius* (4) Ecclesiam nominat « os Christi, » quoniam per illam divinus Redemptor veritates a se revelatas nobis annunciat. *S. Cyrillus Hier.* (5) docet, « illam solam amplectendam, et servandam esse fidem, quae ab Ecclesia traditur. » *Vincentius Lirin.* (6) hanc regulam statuit: « Ille est verus et germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinae Religioni, qui catholicae fidei nihil praeponit... sed in fide fixus, stabilis, permanens, quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit. » Eandem regulam tradunt *Tertullianus* (7) et *Origenes* (8) (v. Th. gen. § 193), et *S. Augustinus*, qui (9) scribit: « Verum est, quod antiquitus veraci fide catholica praedicatur et creditur per totam Ecclesiam: » huc etiam refertur celebre eiusdem dictum: « Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae catholicae commoveret auctoritas (10). » Etiam *S. Thomas* eandem doctrinam proponit (11); ostendens enim, in haeretico, qui aliquem fidei articulum

(1) De verit. Relig. chr. tract. 3, c. 7, § 2.
(2) L. 3 adv. haeres. c. 1, n. 1.
(3) L. 6 Strom., c. 15. (4) In Ps. 138, n. 29.
(5) Catech. 5, n. 12. (6) Commonit. c. 20.
(7) De praescript. c. 21.
(8) De princip. praef. n. 2.
(9) L. 6 c. Iulian., c. 5, n. 11.
(10) L. 3 de bapt., c. 2?, n. 37.
(11) 2 2, q. 5 a. 3.

non credit, non manere fidem neque formatam, neque informem, inter alia dicit: « Formale obiectum fidei est veritas prima secundum quod manifestatur in Scripturis sacris, et doctrina Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima. Unde quicunque non inhaeret, sicut infallibili et divinae regulae, doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima in Scripturis manifestata, ille non habet habitum fidei: sed ea quae sunt fidei alio modo tenet quam per fidem... Manifestum est autem, quod ille, qui inhaeret doctrinae Ecclesiae, tanquam infallibili regulae, omnibus assentit, quae Ecclesia docet: alioquin si de his, quae Ecclesia docet, quae vult tenet, et quae non vult non tenet, iam non inhaeret Ecclesiae doctrinae, sed propriae voluntati ». Denique in Catechismo romano clare adseveratur, ea tantum ad fidem pertinere, quae ut a Deo revelata ab Ecclesia ad credendum proponuntur; nam (1) dicitur: « Cuius (fidei) virtus efficit, ut id ratum habeamus, quod a Deo traditum esse, sanctissimae matris Ecclesiae auctoritas comprobarit. » Quod autem hanc auctoritatem attinet, non requiritur necessario ad constituendum dogma solemnis Ecclesiae, aut Concilii generalis definitio, sed sufficit consensus Ecclesiae doctrinam aliquam ceu divinitus revelatam credentis et proponentis. Nam si ad constitutionem et rationem veri dogmatis requireretur solemnis Ecclesiae, aut Concilii generalis definitio, consequens foret, ad quartum usque Ecclesiae christianae saeculum fuisse rem Christianis indifferentem, doctrinamque adiaphoram id, quod nunc de divinitate Filii et Spiritus sancti credimus, donec tandem in *Concilio Nicaeno* et *Constantinopolitano I* solemnibus decretis ea dogmata definirentur. Idem fere statuendum esset de aliis fidei christianae dogmatibus, quae consequentibus demum saeculis definita in conciliis fuere; quod, quam sit alienum ab avita maiorum fide rectaque ratione, nemo non percipit. Etiam Ss. Patres, uti ex locis citatis patet, ad dogma constituendum non solemnem Concilii generalis definitionem, sed solum constantem et universalem Ecclesiae docentis fidem et consensum exposcunt. Constat praeterea, iam in tribus primis saeculis omnes, qui a doctrina fidei, universim ab Ecclesia proposita, quamvis in Concilio generali non definita, recesserunt, tanquam haereticos et exsortes salutis habitos fuisse. Tales *S. Ignatius M.* (2) declarat Docetas, qui Christum apparenter tantum passum esse et resurrexisse dicebant, atque illos, qui realem Christi in Eucharistia praesentiam negabant. Idem iudicium latum fuisse de *Gnosticis*, *Valentinianis*, *Marcionitis* etc. ex *Irenaeo*, *Tertulliano*, et aliis Patribus constat. Communis ergo istis temporibus persuasio viguit, constantem et universalem Ecclesiae doctrinam aliquam ceu divinitus revelatam proponentis, consensum sufficere ad dogma constituendum, quod omnes sub dispendio salutis credere teneantur. Et sane Ecclesia infallibilis est non solum in Concilio congregata, sed etiam per orbem dispersa, nec tantum cum in aliter sentientes anathemata pronuntiat, sed generatim dum docet, quae revelata sunt (v. Th. gen. p. 3, sect. 1, cap. 2). Itaque extraconciliare quoque Ecclesiae iudicium omnes revereri et audire tenentur, quoniam per illud de veritatibus divinitus revelatis et de

(1) P. 1, c. 1, n. 1, de fide.

(2) Ep. ad Smyrn. n. 2.

Digitized by Google

genuino illarum sensu satis certi redduntur. Neque media desunt, quibus extraconciliaris Ecclesiae consensus a fidelibus cognosci possit; id enim per Constitutiones pontificias, per definitiones Conciliorum particularium ab universa Ecclesia receptas, per consentientem Ss. Patrum et Theologorum scholasticorum doctrinam, et per alia media cognosci potest (ib. § 229 et seq.)

Nota 1. Per divinam Revelationem, quae tanquam prima conditio ad dogma constituendum requiritur, non intelligitur nisi illa, quam Christus per Apostolos hominibus annuntiavit. In Christo enim verificatum est, quod Iudaei exspectarunt, et mulier Samaritana professa est, dicens: *Scio, quia Messias venit; cum ergo venerit ille, annuntiabit nobis omnia* (1). Christus nempe omnia hominibus annuntiavit, quae credere, sperare et facere debent, ut salutem aeternam consequantur. Ideo Christus dicitur *lux mundi* (2); *via, veritas et vita* (3); *lapis-qui factus est in caput anguli, et non est in alio aliquo salus* (4). Ideo credenti in Christum vita aeterna promittitur (5). Ideo Christus iussit Apostolos docere gentes omnia, quaecunque ipse mandaverat, et haec docentibus perpetuam suam assistentiam promisit (6). — Hac ex ratione omnes in hoc conveniunt, ut fateantur, plenam Revelationis lucem per Christum allatam esse, neque aliam exspectandam fore. Non negatur equidem, Deum quovis tempore ignotas veritates revelare posse; sed tamen talis revelatio, aevo apostolico recentior, neque ad doctrinam Christi, neque ad obiectum infallibilitatis ecclesiasticae pertinet (v. Th. gen. § 235), neque ad dogma constituendum sufficit. Ecclesia equidem infallibiliter diiudicare potest, an ea, quae divinitus revelata dicuntur, cum doctrina Christi et Apostolorum conveniant, aut non conveniant; non potest autem veritatem, non a Christo et Apostolis annuntiatam, sed recentius revelatam tanquam dogma fide divina credendum definire. Audiendus est hac de re Cl. *Muratorius* qui (7) ita disserit: «Nonnullas Revelationes et Prophetias fidelibus interdum concedi a Deo potuisse post Apostolos, et adhuc posse; apud nos doctrina fidei est, eoque referri possunt verba Ioëlis II, 28 a s. Petro laudata: *Post haec effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae; senes vestri somnia somniabunt, et iuvenes vestri visiones videbunt* (8). Multas etiam ex his revelationibus, visionibus, ac prophetiis, exacto iam Apostolorum aevo, contigisse narrant sancti, ac probatissimi Patres, easque experientia non inanes, non confictas subinde testata fuit. Verum eas ad facta duntaxat peculiaria, et ad singulorum fidelium utilitatem ac solatium, non autem ad generalem Ecclesiam, neque ad certam dogmatum fidem pertinere constat. Verae esse possunt: certae penitus et Ecclesiae Dei necessariae esse non possunt. Idcirco etsi revelationes quarumdam sanctarum mulierum, *Brigittae*, *Catharinae Bononiensis* et *Catharinae Senensis*, *Angelae Fulginatis*, *Hildegardis*, *Gertrudis*, et aliarum aut laudaverit, aut toleraverit Ecclesia; nemo tamen Theologiae melioris conscius hucusque fuit, qui certitudinem fidei catholicae ipsis additam fuisse autumarit, imo non

(1) Io. 4, 25. (2) Io. 8, 12. (3) Io. 14, 6.
(4) Act. 4, 11 etc. (5) Io. 3, 16, 1 Io. 5, 10 etc.
(6) Matth. 28, 20.

(7) L. 1 de ingen. moder. c. 17.
(8) Act. 2, 17.

affirmarit, Concilia et Ecclesiam universam auctoritate carere similia decernendi tanquam indubitata, et certissima dogmata christiano populo credenda. »

Nota 2. Ex dictis colligitur, in Ecclesia Christi nunquam nova dogmata oriri, nec eorundem numerum augeri, sed doctrinae christianae depositum semper, quoad substantiam, immutabile manere. Quaecunque enim Christus revelavit, haec et ab Apostolis fideliter annuntiata sunt, et ab Ecclesia, quae deficere non potest, constanter ad credendum proponuntur, atque vere ab omnibus Catholicis saltem implicite creduntur. Ideo *Origenes* (1), cum veritatem in Ecclesia catholica annuntiatam comparasset fulgori egredienti ab Oriente, et apparenti usque ad Occidentem, addit: « Sola autem Ecclesia neque subtrahit huius fulgoris verbum et sensum, neque addit quasi prophetiam aliud aliquid. » *Vincentius Lirin.* (2) praeclare scribit: « Christi Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena, sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata et inchoata, accuret et poliat; si qua iam expressa et enucleata, consolidet, firmet; si qua iam confirmata et definita, custodiat. » *S. Leo M.* (3) inquit: « Fides integra, fides vera, in qua nec augeri ab ullo quidquam, nec minui potest; quia nisi una est, fides non est, dicente Apostolo: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* » Idem (4) scribit: « Una, vera, singularis, catholica fides, cui nihil addi, nec minui potest. » — Merito igitur, uti observat Cl. *Kuhn* (5), illi aberrare dicuntur, qui docent, Spiritum sanctum tanquam principium veritatis non solum traditam a Christo Revelationem conservare, sed etiam per continuatam inspirationem novas semper veritates progignere. Contrarium prorsus gravissimi Theologi catholici propugnant. Sic Em. *Bellarminus* (6) ait: « Nihil est de fide, nisi quod Deus per Apostolos, aut Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur. Non enim novis revelationibus nunc regitur Ecclesia, sed in iis permanet, quae tradiderunt hi, qui ministri fuerunt sermonis, et propterea dicitur aedificata supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum. » Et Cl. *Phil. N. Chrismann* (7) inquit: « Nova itaque dogmata non producuntur in Ecclesia, sed vetera repetuntur, obscura explicantur, defenduntur que eadem, quae Christus tradidit; ac ideo fidei revelatae et catholicae articulorum numerum augeri posse, vel ignorantis est, vel calumniantis oratio. Spiritus vero sanctus secundum promissa Christi semper affuit, atque affuturus est iudiciis Ecclesiae, non ut novae revelationes fiant, aut nova revelentur per ipsius Ecclesiae vocem dogmata, sed ut, dum sacrae litterae et antiqua traditio diligenter consuluntur, tunc interpretatio recta ab Ecclesia instituatur, nullusque error in easdem subrepat. » Exinde etiam patet, quale sit discrimen inter dogma et solemnem Ecclesiae definitionem: dogma enim stabile et perpetuum est; so-

(1) Comment. in Matth. tr. 29, n. 47.
(2) Commonit. c. 23.
(3) Serm. 24 (al. 23) c. 6.
(4) Epist. 124 ad Monachos Palaest.
(5) Introd. c. 2, § 10, p. 100 in nota.
(6) Disput. de Verbo Dei, l. 4, c. 9.
(7) In Regula fidei, n. 12.

lemnes autem definitiones successu temporis urgentibus circumstantiis eduntur. Contingere enim potest, ut fidelibus non satis innotescat, quid ab Ecclesia ad credendum proponatur, vel ut vetus doctrina ab adversariis negetur, aut corrumpatur; ubi deinde opus est, ut ad errores conterendos et fideles in fide confirmandos solemnis procedat ab Ecclesia definitio, quae autem non novum dogma producit, sed solum de perpetua eiusdem existentia fideles certos reddit. — Hanc rem egregie declarat *Sylvius* (1) dicens: « Ecclesia quando vel definit, vel credendum proponit aliquod dogma fidei, non condit articulum omnino novum, sed partim declarat, quod vel in S. Scriptura, vel in Apostolorum Traditionibus contineatur; partim definit, et praecipit ita esse credendum, quomodo antea non credebatur *explicite*, quia illud dogma nondum erat erutum ex principiis, neque constabat, an contineretur in S. Scriptura, vel Traditionibus. Erat quidem fidei, priusquam definiretur ab Ecclesia, et consequenter oppositum tenentes iam tum errabant in fide, sed inculpabiliter, quia non errabant in fide definita et declarata » (2). Itaque expressa, seu solemnis Ecclesiae definitio hunc quoque effectum producit, ut cum ante illam inculpabilis error in fide contingere potuerit, post illam idem error culpabilis, et qui illum pertinaciter tenet, haereticus fiat. Ita *S. Cyprianus* et alii, qui baptisma ab haereticis collatum invalidum dixerunt, communiter a culpabili errore, seu ab haeresi excusantur; non autem illi, qui post Ecclesiae definitionem eundem errorem tenuerunt: quod considerans *Vincentius Lirinus* (3) exclamat: « O rerum mira conversio! Auctores eiusdem opinionis catholici, consectatores vero haeretici iudicantur, absolvuntur magistri, condemnantur discipuli; conscriptores librorum filii regni erunt, adsertores vero gehenna suscipiet. »

Nota 3. Non omnia, quae in Ss. Litteris leguntur, e. g. de bellis, de fatis populorum aut singularium hominum, de sermonibus et actionibus impiorum etc., fidei christianae dogmata dici possunt; sicuti enim illa directe ad fidem et mores non spectant, ita etiam directe et per se ab Ecclesia fidelibus ad credendum non proponuntur: negari tamen etiam illa absque culpa non possunt, quia indirecte ad fidem spectant; nam qui ista negaret, ipsam quoque divinam S. Scripturae auctoritatem, seu inspirationem negare deberet, quae de fide credenda est (4).

Nota 4. Quamvis ad dogma constituendum non solum Revelatio divina, sed etiam Ecclesiae propositio requiratur; motivum tamen credendi et assentiendi revelatis non est nisi infinita auctoritas et veracitas Dei revelantis. Ecclesia enim id tantum praestat, ut fidelibus absque erroris periculo contestetur, quod Deus locutus sit, et quid locutus sit, cui testimonio innixus Catholicus firmissimam concipit fidem, non ex alia ratione, nisi quia sibi intime persuasum est, Deum, Ens perfectissimum, infinita scientia et veracitate praeditum, falli et fallere non posse, et talis fides merito inter virtutes theologicas numeratur. Perperam ergo Protestantes clamitant, Catholicos hominibus credere, non Deo. Nam auctoritas Ecclesiae tantum efficit, ut fi-

(1) Comment. in s. Thomae 2 2, q. 1, a. 7.
(2) Cf. Billuart de fide diss. 1, a. 7, § 1.
(3) Comm. c. 6
(4) V. Conc. Trident. sess 1.

deles de facta Revelatione et de genuino eius sensu certi reddantur, quibus cognitis ipsi Deo praestatur fides. Ideo nonnulli Theologi distinguunt motivum credendi, quod est veracitas Dei, et modum discernendi (ac recte intelligendi) revelata, seu *regulam fidei*, quae est auctoritas Ecclesiae (1). Alii in ipsa regula fidei distinguunt *principium materiale* (seu *constitutivum*), quod est divina Revelatio, in S. Scriptura et Traditione contenta, et *principium formale* (seu *regulativum primarium*), quod est infallibile Ecclesiae magisterium (2). Dum autem Ecclesiae magisterio fides habetur, non tam creditur hominibus, quam potius ipsi Christo, qui per illud tanquam per os suum loquitur, et Spiritui sancto qui iudicium Ecclesiae circa revelata ab omni errore praeservat. Ideo dantur Theologi, qui ipsum verbum Dei in S. Scriptura et Traditione manifestatum regulam fidei appellant. Ita Cl. *Berti* (3) scribit: « Neque affirmandum esse puto, aliam praeter Dei verbum scriptum et traditum *statuendam esse Regulam Fidei;* propterea quod addiderim *auctoritatem Ecclesiae* multifariam ea, quae credenda sunt, proponentis. Eadem est lex lata a principe, conscripta in tabulis et promulgata a praetore: idem profecto verbum Dei, sive ore Domini pronunciatum, sive consignatum sacrorum librorum Codicibus, sive ab Ecclesia Christi propositum atque explanatum. Eam ob rem non aliud est credere propter verbum Dei, et aliud credere propter auctoritatem Ecclesiae: sed quemadmodum excipientes, et executioni mandantes iussa principis, nobis indicta ab alia persona, quae eiusdem principis vices gerit, non iis obtemperamus, nisi quatenus sunt mandata, et praescripta ipsiusmet principis, minime vero illa accipimus et adimplere curamus tanquam praecepta praetoris, aut administri; ita credentes verbo Dei, nobis a rectoribus Ecclesiae proposito, non accipimus illud prout verbum est eorundem Rectorum, sed prout est verbum ipsius Dei. Docet, ni fallor, id Apostolus Paulus scribens: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis* (4). »

Nota 5. Protestantes id tantum pro dogmate habent, quod in S. Scriptura legitur, quam quilibet spiritu suo privato interpretari potest. Ex hoc principio sequitur, quod nullum certum dogma teneant, nec unquam veram et firmam fidem habeant, uti praeclare ostendit *D. Moehler* (5). Nam siquis, quomodocunque hermeneuticis disciplinis instructus, S. Scripturae verba exponat, et per hanc expositionem, quid sibi credendum sit, decernat; concedere omnino debet, saltem possibile esse, ut a viro doctiori, de alio eorundem verborum sensu convincatur, vel ut ipsemet successu temporis in studio biblico proficiens, et maiori eruditione refertos, in iisdem verbis sensum a priori plane diversum inveniat. Possibilitatem istam animo revolvens, nunquam omnino certam, firmam et ab omni dubio alienam fidem concipere, et circa ea, quae ut revelata apprehendit, solum dicere potest: haec est mea sententia, vel mea opi-

(1) V. Billuart l. c. s. 2.
(2) V. Schwetz Th. gen. p. 3, c. 5.
(3) In dissert. in defens. Encyclicae Benedicti XIV, in fine tomi secundi edit. Romae 1766, p. 362
(4) I Thess. 2, 13.
(5) Symbol. § 39.

nio, non autem mea fides; haec enim immobilem assensum mentis propter infallibilem Dei revelantis auctoritatem postulat. — Hoc idem iam *S. Thomas* asseruit (1), scribens: « Quicunque non inhaeret, sicut infallibili et divinae regulae, doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum fidei; sed ea, quae sunt fidei alio modo tenet, quam per fidem: sicut si aliquis teneat mente aliquam conclusionem, non cognoscens medium illius demonstrationis, manifestum est, quod non habet eius scientiam, sed opinionem solum.... Unde manifestum est, quod talis haereticus circa unum articulum fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quandam secundum propriam voluntatem » (Cf. Th. gen. § 221). Quod si iuxta systema Protestantium ne docti quidem certa dogmata statuere et immobilem fidem concipere possunt; multo minus indocti id valent, qui, necessariis ad Scripturam exponendam subsidiis destituti, dogmata credenda a Doctorum suorum magisterio recipere tenentur, quod tamen errori obnoxium esse cognoscunt.—Praetereundum denique non est, quod Protestantes, quamvis dicant, se ex sola S. Scriptura omnia dogmata petere, posthabito omni ad iudicium Ecclesiae respectu, practice tamen ipsi quoque in formatione dogmatum auctoritati Ecclesiae innituntur, quia illos tantum libros ut divinos venerantur, qui tales semper ubique et ab omnibus habiti sunt: ex testimonio ergo Ecclesiae ipsam S. Scripturam, et sic mediate etiam dogmata in illa contenta sicuti Catholici recipiunt, cum hoc tamen lugendo discrimine, quod infallibilem Ecclesiae auctoritatem agnoscere recusent, et traditione hermeneutica, seu ecclesiastica contemta, verba Scripturae iuxta proprium ingenium exponere velint (v. Th. gen. § 195).

(1) 2 2, q. 5, a. 3 in c.

III. *Divisiones dogmatum.*

§ 6. Theologi, praesertim recentiores, dogmata variis modis distinguere seu dividere solent.

1. Ex materia, quam continent, petitur dogmatum divisio in *theoretica* et *practica*. Illa proxime in mera contemplatione versantur, et fidem tantummodo postulant, unde etiam *dogmata fidei*, *cognitionis*, seu *speculativa* vocantur. *Practica* proxime actiones respiciunt, et quid vitandum agendumque sit praescribunt, quapropter etiam *dogmata morum*, *actionis*, *praecepta* etc. dicuntur. Antiquissima est haec divisio, quam iam innuit *S. Augustinus* (2) qui ea, quae nobis patefacta sunt in « praecepta vivendi, et regulas credendi » dividit, ac inferius addit, in Ss. Scripturis inveniri illa omnia, quae « continent fidem, moresque vivendi, spem scilicet, atque charitatem. » Notandum tamen est, quod dogmata theoretica, quamvis proxime et immediate ad contemplationem spectent, et fidem tantum exigant, remote tamen et immediate ad actiones quoque dirigendas moresque perficiendos ordinentur, tum quia moralitatis motiva exhibent, tum quia ex iisdem usus practicos deducere licet: et dogmata practica, quamvis proxime actiones respiciant, simul tamen veritates theoreticas, seu credendas in se continent; sic e. g. in praecepto: *non occides*, continetur veritas theoretica, quae credendum proponit, homicidium illicitum esse: in praecepto: *non concupisces*, fide divina credendum esse

(2) L. 2 de doctr. chr. c. 9.

asseritur, etiam impura cordis desideria graviter prohibita esse: et qui talem veritatem credere renuit, non minus haeresin incurrit, quam qui dogma theoreticum negat, quoniam in his quoque veritatibus indigitatis conditiones ad dogma requisitae inveniuntur. Per hanc porro divisionem Theologi communiter obiectum Theologiae dogmaticae et moralis determinant, illi *dogmata theoretica*, huic *dogmata practica* assignantes. Ut autem pro omnibus Theologiae catholicae partibus speciale et determinatum obiectum indicetur, dogmatibus theoreticis et practicis adiungenda sunt etiam *dogmata hierarchica*, per quae ministrorum sacrorum iura et officia stabiliuntur. Quamvis enim dogmata ista ad theoretica, et practica revocari possint, et soleant; attamen, quia ad specialem personarum ecclesiasticarum statum referuntur, haud incongrue ab his distinguuntur, ac pro tertio divisionis membro statuuntur. Et sane - Christus multa revelavit non solum quoad Symbolum et Codicem, sed etiam quoad Hierarchicon, quae omnia ab infallibili Ecclesiae magisterio credenda proponuntur. Recte ergo dogmata in *theoretica*, *practica* et *hierarchica* dispescuntur: speciale vero Theologiae dogmaticae obiectum dogmata theoretica constituunt (Cf. Th. gen. § 12 et § 13 etc.).

2. Omnia dogmata, ut ex dictis (§ praec.) patet, ex divina Revelatione haurienda sunt. Sed nihilominus quoad modum, seu medium ea cognoscendi duplicis generis dogmata discernere licet. Alia quippe sunt, quae ex sola divina Revelatione nobis innotescunt; alia, quae tum ex speciali Revelatione, tum ex naturali rationis lumine a nobis cognoscuntur. Hinc oritur distinctio dogmatum in *pura* et *mixta*. Dogmata pura sunt veritates illae, quae unice ex divina Revelatione a nobis cognosci possunt, e. g. Angelorum malorum peccatum, poena, Incarnatio Filii Dei, aeternitas poenarum inferni etc. Dogmata mixta nominantur illae veritates ad Religionem spectantes, quae tum lumine naturali, tum Revelatione supernaturali nobis patefiunt; sic e. g. Deum esse aeternum, immensum, auctorem huius mundi tum ex ratione, tum ex Revelatione probatur. — Per hanc divisionem grato animo et humili mente profitemur magnum divinae Revelationis beneficium, vi cuius multae nobis veritates manifestatae sunt, quas limitata nostra ratione nunquam cognoscere potuissemus. Immerito igitur haec divisio a quibusdam ut adiaphora, aut absona reiicitur (1). Negari enim nequit, dari veritates divinitus revelatas, sed humanae rationi impervias. Aut quomodo ratio humana, remota Revelatione, ex suis duntaxat principiis existentiam daemonum, incarnationem Filii Dei etc. cognosceret atque probaret? — Philosophi, qui dogmata pura post factam eorundem revelationem per fidem recipiunt, scientifice pertractant, vel etiam suis systematibus inserunt, illa per solam rationem detexisse, aut probasse dicendi non sunt.

3. Dogmata etiam recte dividuntur in *comprehensibilia*, et *incomprehensibilia* seu *mysteria*. Dantur enim dogmata, quae post revelationem ita nobis innotescunt, ut non solum probe perceptas habeamus notiones subiecti et praedicati; sed etiam nexum cognoscamus, quo praedicatum subiecto cohaeret. Contra vero dantur alia, quae etiam facta revelatione ita sunt humanae intelligentiae im-

(1) V. Staudenmayr Th. chr. t. 1, § 10, n. 1.

pervia, ut, quanquam quid sibi subiectum et praedicatum velint, intelligamus, quo tamen modo praedicatum subiecto conveniat, nulla ratione assequi possimus. Ac istius quidem generis propositiones appellantur *mysteria* revelata, seu theologica. — Haec divisio cum priori confundenda non est. Nam haud omnia dogmata pura prorsus incomprehensibilia, seu veri nominis mysteria sunt, sic e. g. Angelos ob peccatum commissum a Deo iustissimo punitos esse, facta revelatione, comprehendi potest. E contra non omnia dogmata mixta comprehensibilia dici possunt; si e. g. Deum simplicissimum et immensum esse, ex ratione et revelatione probatur; sed tamen intrinsecum modum, quo haec duo attributa uniuntur, limitata nostra mente comprehendere non valemus. — Displicet equidem haec divisio illis, qui putant, saltem successu temporis omnis generis veritates revelatas a ratione exculta perspici et comprehendi posse (v. Th. gen. § 298, nota 1). Ast ipsa sana ratio agnoscit, mysteria non solum possibilia, sed et convenientissima esse (ibid. § 54). Semper etiam, ubique, et ab omnibus creditum est, dari in Religione revelata mysteria, seu veritates, quae rationis captum superant. Recte igitur Cl. *Klüpfel* (1) expositam divisionem defendit, et inter alia haec notatu digna verba profert: « Asserere cum Socinianis, nihil esse credendum, quod est incomprehensibile, est e medio tollere omnem religionem. Nulla enim religio potest esse absque mysteriis: siquidem religio sit agnitio et cultus Dei. Deus autem summum est mysterium. Quidquid in Deo est, incomprehensibile mysterium est. Aeternitas, omnipotentia, omniscientia, immensitas, caeteraeque perfectiones, quae Dei naturam constituunt, totidem mysteria sunt. Si itaque mysteria neganda sunt, quia incomprehensibilia, negandus est Deus. En quo deducat insanum illud Socinianorum principium; videlicet ad atheismum ac impiissima Spinozistarum deliramenta. »

(1) Proleg. § 25, not. 2.

4. Sat communis est inter Theologos distinctio dogmatum, quae *fidem explicitam requirunt*, et dogmatum, circa quae *fides implicita sufficit*. Dicimur autem explicitam fidem habere, dum doctrinae alicui nobis diserte propositae riteque intellectae firmum praebemus assensum, Dei revelantis auctoritate ducti: implicitam fidem dicitur habere, qui, etsi dogmata non cognoscat, omnia tamen credit, quae a Deo revelata sunt et ab Ecclesia ad credendum proponuntur. Dogmata explicite credenda vocari solent *principalia*, sive *primaria*, sive *necessaria:* caetera dicuntur *minus principalia*, sive *secundaria*, sive *utilia*. Certum equidem est, unumquemque Christianum ad hoc obligari, ut, quantum potest, crescat in cognitione doctrinae salutaris, in dies rerum divinarum notitiam pleniorem sibi acquirat, firmaque fide, eaque explicita, teneat dogmata, quae Deus salutis nostrae causa humano generi manifestavit. Ast de nimio rigore argueudus esset, qui diceret, cuilibet Christiano ad obtinendam salutem necessarium esse, ut omnia dogmata revelata perspecta habeat et explicite credat: tam gravis obligatio, quam plurimi ob temporis, aut ingenii, aut mediorum defectum implere non possent, neque ex S. Scriptura, neque ex Traditione, neque ex persuasioue et praxi Ecclesiae probari potest, ex qua potius contrarium elucet. — In oppositum autem errorem

prolaberetur, qui assereret, pro salute aeterna nullius dogmatis cognitionem et explicitam fidem requiri; talis enim sententia effatis S. Scripturae et Ss. Patrum, imo ipsi fini Revelationis divinae aperte repugnat. Recte igitur Theologi inter haec duo extrema media via incedentes, distinguunt dogmata quae necessario cognosci et explicite credi debent; atque alia, circa quae fides implicita sufficit. Et quod illa attinet, non omnia eodem modo scitu necessaria dicuntur. Nam quaedam dogmata a quolibet adulto cognosci et explicite credi debent *necessitate medii*, ita ut spes salutis nulla suppetat his, qui eorum dogmatum laborant ignorantia, etsi invincibilis sit: alia autem cognosci et explicite credi debent *necessitate praecepti*, ita ut homo ad haec addiscenda et explicito credenda graviter quidem obligetur, sed tamen salvari possit, si ex ignorantia inculpabili, vel impossibilitate eadem nesciat. — Iuxta omnes fides explicita *Dei, ut existentis et ut remuneratoris*, omnibus ratione utentibus necessaria est necessitate medii; nam Hebr. XI, 6 legitur: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit:* ideo *Innocentius XI* damnavit sequentem propositionem (n. 22): « Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris. » Iuxta communiorem sententiam eodem modo requiritur fides explicita de *SS. Trinitate*, ac *de Christo incarnato et Redemptore ;* nam Io. XVII, 3 dicitur: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum.* Io. III, 14 etc.: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Act. IV, 12: *Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Rom. X, 9: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris..... salvus eris:* haec loca satis ostendunt, fidem explicitam de Incarnatione Filii Dei ad salutem necessariam esse: atque ideo eadem fides explicita habenda est de mysterio SS. Trinitatis, « quia, ut ait S. Thomas (1), mysterium Incarnationis Christi explicite credi non potest sine fide Trinitatis. » His quatuor dogmatibus principalibus rectissime adiunguntur dogmata *de immortalitate animae, et de gratiae divinae ad salutem necessitate*, quae cum dogmatibus de Deo Remuneratore, et de Christo Redemptore intime cohaerent, et ad vitam recte instituendam maxime requiruntur. — Inter credenda fide explicita de necessitate praecepti recensentur: 1° *Articuli Symboli apostolici*, 2° *Oratio dominica*, 3° *Praecepta Decalogi*, *et Ecclesiae*, 4° *Sacramenta*, ea praecipue, quae aliquis recipere obstringitur, 5° *Obligationes* statui, cui quis addictus est, competentes. — Reliqua vero dogmata implicite credere sufficit, ita tamen, ut ab hac implicita fide ne unum quidem dogma excipere liceat. Et ex hoc patet discrimen, quod inter recensitam distinctionem catholicam, et inter distinctionem Protestantium in *articulos fundamentales*, et non *fundamentales* obversatur. Iuxta Protestantes enim articuli non fundamentales sine salutis dispendio non solum ignorari, sed etiam negari possunt, per quam sententiam Deo revelanti atrox iniuria infertur (v. Th. gen. § 294). Iuxta Catholicos autem quilibet ita animo comparatus esse

(1) 2 2, q. 2, a. 8.

Digitized by Google

debet, ut sine exceptione credere velit omnia, quaecunque a Deo revelata sunt, et ab Ecclesia ad credendum proponuntur. Neque, ut opinari videtur Cl. *Staudenmayr* (1), a Theologis catholicis omnis obligatio negatur, etiam minus principalium dogmatum cognitionem sibi comparandi, sed solum non tam gravis adstruitur, ut ob eius defectum homo salutem consequi non possit. Immerito igitur haec distinctio vellicatur, unanimi Theologorum consensu firmata.

Nota 1. Quaedam dogmata solent *articuli fidei* nuncupari, ea nimirum, quae sunt principalia, explicite credenda, et plura sub se alia dogmata continent. *S. Thomas* (2) inquit: « Aliqua sunt credibilia, de quibus est fides secundum se... et secundum ista distinguuntur articuli fidei... Aliqua vero sunt credibilia, de quibus non est fides secundum se, sed solum in ordine ad alia... et secundum talia non oportet articulos distinguere. » Et (3) ostendit, articulos fidei convenienter ab Ecclesia in Symbolo Apostolico enumerari (4). Idem sentit Cl. *Perrone* qui (5), dicit: « Inter veritates fidei veniunt primo *articuli fidei*, qui sunt veluti quaedam fidei capita, in quibus caetera dogmata continentur, quales sunt articuli contenti in Symbolo, quod Ecclesia fidelibus credendum proponit »(6). Quoad substantiam autem articuli fidei a caeteris dogmatibus non distinguuntur, et sub hoc respectu dici potest, quod *dogma catholicum articulus fidei*, *doctrina de fide*, *veritas fidei* sint expressiones unum, idemque designantes (7).

Nota 2. Quidam dogmata alia *biblica*, alia *ecclesiastica* nuncupant (8). Ast si respectus habetur ad fontes revelationis ex quibus dogmata haurienda sunt, divisio alio modo concipienda, et dicendum est, quod duplex sit dogmatum genus: unum eorum, quae tum Scripturae, tum Traditionis auctoritate nituntur; alterum eorum, quae sola auctoritate Traditionis fulta sunt: nullum enim genus est eorum, quae sola constarent Scripturae auctoritate. Nam Apostoli omnia, quae Christus revelavit, oretenus fideliter iam annuntiaverant, antequam sacri N. T. libri exarati essent (v. Th. gen. § 189); et Ecclesia quovis tempore omnem et solam doctrinam Apostolorum credendam proposuit. Quamobrem illi quoque non satis accurate loquuntur, qui ceu dogma habendum esse docent, « quod *sive* ab Apostolis in scriptis ipsorum clare et dilucide est propositum, *sive* ab Ecclesia, et quidem aut in conciliis oecumenicis solemniter est definitum, ceu divinitus revelatum, aut ceu tale per consensum Ecclesiae dispersae agnitum, et declaratum (9). » Nam etiam relate ad Scripturam, cuius authenticus et infallibilis interpres est Ecclesia, propositio non disiunctive, sed coniunctive proferenda est. Quippe *Concilium Tridentinum* (10), quin inter loca clara et obscuriora distinguat, — « decernit, ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei, et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, *cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum sanctarum*, aut

(1) L. c. n. 4.
(2) 2 2, q. 1, a. 6.
(3) Ibid. a. 8.
(4) Cf. Billuart de fide, diss. 1, a. 7.
(5) Tract. de locis theol. p. 3, sect. 2, c. 2, n. 345 in nota.
(6) Cf. Dieringer Dogm. § 2, n. 1 et 5.
(7) V. Cl. Schwetz, l. c. p. 531.
(8) V. Dobmayr t. 5, § 2.
(9) Schwetz l. c. § 71, n. 2.
(10) Sess. 4, decret. de edit. et usu a libr.

etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat. »

Nota 3. Ad dogma constituendum semper requiritur, ut veritas revelata qua talis ab Ecclesia ad credendum proponatur. Cum autem hoc non semper per solemnem definitionem fiat, hinc dogmata *simpliciter proposita*, et *solemniter definita*, seu *declarata* distinguuntur. Circa prioris generis dogmata contingere potest, ut fideles inculpabiliter nesciant, quid de illis Ecclesia ad credendum proponat (§ praec. nota 2). Huiusmodi veritates sunt quidem dogmata *in se*, seu *obiective*, sed non *subiective* intuitu fidelium, quibus propositio Ecclesiae non innotescit, qui ideo ad ea explicite credenda non obligantur, imo etiam inculpabiliter circa ea aberrare possunt. Haec nominari solent *dogmata materialia*, cum e contra *dogmata formalia* illa dicantur, quae ab Ecclesia solemniter definita, seu perspicuo declarata sunt, ita ut ea explicite credendi obligatio in fidelibus pariatur (1). —Huic divisioni nonnulli aliam iungunt, dogmata in *explicita* et *implicita* distinguentes (2). Ast quamvis rectissime a Theologis *fides* explicita et implicita distinguatur, non tamen in eodem sensu dogmata ipsa distingui possunt, cum omnia a Deo vere manifestata, et semper ab Ecclesia non sine eorundem cognitione ad credendum proposita sint, ita ut nunquam *nova* dogmata enascantur. Ergo haec divisio solum admitti potest, quatenus convenit vel cum priori, vel, uti innuit Cl. *Dieringer* (3), cum alia, qua Theologi distinguunt veritates, in verbo Dei contentas, in *directe*, seu *immediate revelatas*, et in *indirecte*, *mediate*, seu *virtualiter revelatas*. Qua conditione autem istae veritates tanquam dogmata habendae sint, specialiter investigandum est.

(1) V. Dieringer l. c. § 2, n. 5.
(2) V. Staudenmayr l. c. n. 3.
(3) L. c. n. 6.

IV. *De veritatibus indirecte, implicite, virtualiter, seu mediate revelatis.*

§ 7. Ex principiis certis consectaria deduci, et alias veritates cognosci posse, omnis Philosophia docet. Eodem modo ex dogmatibus divinitus revelatis per legitimam consequentiam alias veritates derivari, omnes Theologi admittunt. Quaestio autem movetur, an huiusmodi veritates non solum certae, sed etiam fide divina credendae sint, quamvis ad dogma constituendum semper requiratur veritas a Deo ipso revelata? Ad hanc quaestionem non una est Theologorum responsio, quorum varias sententias hic breviter recensere oportet.

1. Graves Theologi affirmant, id esse de fide, quod evidenter ex aliqua propositione fidei deducitur. Ita *Bellarminus* (4) id de fide esse dicit, « quod Deus per Apostolos, aut Prophetas revelavit, aut quod evidenter inde deducitur: » idem asserunt *Vega*, *Canus*, *Gazzaniga* etc. Contrarium alii tenent. Sic *Veronius* (5) ait: « Nullam consequentiam certo licet, ac evidenter deductam ex propositione aliqua fidei, et alia evidenti lumine naturae per formam logices evidentem, — sufficientem esse fundando fidei catholicae articulo: seu nullam doctrinam, quae constat solum tali consequentia, esse doctrinam fidei catholicae; idque ex duplici defectu, 1° quia non est revelata, 2° quia Ecclesia hanc litem nondum diremit. » Eandem propugnat *Petr. Annatus* (6) cum aliis.

(4) Disp. de verbo Dei, l. 4, c. 9.
(5) Reg. fid. c. 1, § 3.
(6) In appar. l. 1, a. 6

Digitized by Google

2. Nonnulli distinctionem ineuntes sequentes regulas statuunt: Si in huiusmodi argumentationibus ambae praemissae sunt de fide, etiam conclusio erit de fide: e. g. Omnes Apostoli acceperunt Spiritum sanctum; Petrus erat Apostolus; ergo accepit Spiritum sanctum: vel Christus ut verus Deus est adorandus; Christus est in Eucharistia praesens; ergo in Eucharistia est adorandus: in utroque exemplo conclusio est de fide, quia ambae praemissae sunt de fide. Ast si alterutra ex praemissis non est de fide, etiam conclusio non est de fide, quia iuxta regulas logicas conclusio semper sequitur partem debiliorem (1). At praeterquam quod non ab omnibus admittatur, ideo conclusionem esse de fide, quia ambae praemissae dogmatibus adnumerantur, multo magis multis displicet posterior regula, ex qua sequeretur, non de fide credendum esse, e. g. Antonium peccatum originale contraxisse, quoniam revelatum non est, Antonium hominem esse.

3. Aliam magisque solidam distinctionem refert *D. Billuart* (2), dicens: « Id dicitur de fide, quod est revelatum: dupliciter autem aliqua veritas revelatur, 1° immediate in se, ut haec: *Deus est unus et trinus; Christus est homo;* 2.° mediate in alio: et hoc iterum dupliciter, velut effectus in causa, seu proprietas in essentia, ut haec: *Christus est risibilis* revelata est, in hac: *Christus est homo*, ut proprietas in essentia, seu effectus in causa: — vel ut pars in suo toto, ut haec: *Petrus est mortalis*, in hac: *omnis homo est mortalis*, vel: *David peccavit in Adam*, in hac: *omnes peccaverunt in Adam*, vel haec: *Christus est mortuus pro me*, in hac: *Christus est mortuus pro omnibus*. — Quae revelantur mediate ut effectus in causa, seu proprietas in essentia, non sunt obiectum fidei, sed assensus theologici tantum, quia effectus in causa non continetur formaliter, sed virtualiter duntaxat. Quae autem revelantur ut partes in toto sunt obiectum fidei, quia partes non sunt solum virtualiter in toto, sed formaliter, et veritas propositionis universalis per se petitur ex veritate propositionum particularium, quae in ipsa formaliter continentur; in tantum enim propositio universalis est vera, in quantum propositiones particulares, quas continet, sunt verae, v. gr. ideo verum est quod omnes homines sunt mortales, quia verum est quod iste et iste homo sit mortalis. Unde eoipso, quo revelatur propositio universalis, revelantur etiam omnes propositiones particulares, sicque ad idem fidei lumen pertinent, seu eodem fidei habitu attinguntur. » Iuxta hanc theoriam conclusio est de fide, quamvis propositio minor revelata quidem non sit, sed tamen in propositione maiori de fide credenda tanquam pars in toto contineatur: ex gr. si dicam: *Omnes homines peccaverunt in Adam; sed Caius est homo, ergo peccavit in Adamo*: haec conclusio de fide est credenda, licet *Caium* hominem esse revelatum non sit. Neque dici potest, quod ista fides discursui rationis innitatur; nam, ut observat D. *Billuart* (3), ille discursus rationis non est causa, seu motivum, propter quod credo, *Caium* in Adam peccasse, sed est tantum applicatio huius revelationis universalis: *Omnes in Adam peccaverunt* huic particulari subiecto, nempe *Caio:* ipsa autem revelatio divina est motivum, cur credam *Caium* in Adam peccasse, et si hoc credere re-

(1) V. Chrismann l. c. § 19.
(2) De fide diss. 4, a. 9.
(3) Ibid. in solut. obiect.

nuerem, non veritatem rationalem, sed veritatem revelatam negarem. — Equidem nonnullis Theologis non satis arridet sententia, qua generaliter dicitur, ea, quae mediate revelantur ut effectus in causa, seu ut proprietas in essentia, non esse obiectum fidei. Nam revelata essentia, etiam essentiales proprietates censentur revelatae: ex gr. in propositione: *Christus est homo* continetur haec: *Christus habet corpus humanum et animam humanam*, et conclusio certe est de fide in sequenti argumentatione: *Deus est bonus*, *sed Christus est Deus*, ergo *Christus est bonus*. — Ast notandum est quod haec et similia non dicantur *mediate*, sed potius *formaliter*, *et immediate* (saltem *implicite*) revelata, et ideo obiectum fidei constituunt: sic in propositione: *Christus est homo* omnia ea revelata sunt, sine quibus verus homo cogitari non potest; et in propositione: *Christus est Deus* omnes ipsi adiudicantur perfectiones divinae, quae unum sunt cum essentia Dei. In allatis ergo et similibus exemplis non tam conclusio fit, aut argumentatio rationalis occurrit, quam potius ipsa veritas revelata aequivalentibus terminis exprimitur. *Mediate* ut effectus in causa, seu proprietas in essentia revelatum illud dicitur, quod in veritate revelata non formaliter, sed virtualiter tantum continetur, ita ut per ratiocinium humanum eruendum et probandum sit, quapropter obiectum fidei non censetur constituere (1).

4. Cum ad dogma constituendum semper requiratur, ut veritas revelata qua talis ad credendum proponatur, rectissime ad praesentem quaestionem solvendam sequens regula statuitur: Veritas ex principiis fidei deducta tunc semper, et tunc solum ceu dogma est habenda, quando ab Ecclesia tanquam legitima consequentia ex verbo Dei deducta semper agnita fuit, et ab eadem fidelibus ut credenda proponitur. In hac regula Theologi, qui sibi contradicere videntur, apprime conveniunt. Ideo enim nonnulli consequentias evidentes fidei dogmatibus adnumerant, quia pro certo statuunt, illas semper, ubique, et ab omnibus creditas fuisse. Qui autem contrarium tenent, solum negant, per ratiocinium humanum — licet evidens — dogma catholicum construi posse; sed consequentias constanti Ecclesiae iudicio deductas, et ad credendum propositas, ut fidei dogmata venerantur. — Iam *Hugo Grotius* (2) prae Protestantibus Catholicos exaltavit, quod hi consequentias de fide credendas non admitterent, nisi quas admisit vetus Ecclesia antiquo et universali consensu. *Muratorius* (3) docet, hisce in quaestionibus infallibilem Ecclesiam audiendam esse, cuius iura recensens ait: « Primum ius exercet ipsa, quum explicat, quid revera Traditio ferat in doctrina Christi, et quid significent Scripturarum verba aequivoca aut obscura. Alterum cum dogmata probat, aut improbat, quae e sacris Litteris aliisve certissimis dogmatibus consectaria sunt, aut esse censentur. » Ex his D. *Chrismann* (4) duas regulas deducit: primam: « Omnis veritas ex principiis fidei deducta, quam Ecclesia ceu dogma fidei definiendo proponit, ab omnibus fide divina credi debet: » alteram: « Nulla conclusio, quatenus praeciso conclusio est, sufficit fundando fidei catholicae articulo. » Cum hac doctrina consentit Cl. *Perrone* (5) scribens: « Conclu-

(1) Cf. Antoine Theol. spec. et dogm. tract. 1, sect. 1, a. 4. Chrismann l. c. § 19.
(2) In annot. ad consult. Cassandri.
(3) L. 1 de ingen. moder. c. 13.
(4) L. c. § 23.
(5) L. c.

siones theologicae vel deducuntur a duabus praemissis, quae ambae immediate sint revelatae, vel quarum una tantum de fide sit, altera vero lumine duntaxat naturali innotescat. In utroque casu non sunt immediate revelatae a Deo, sed tantum mediate, vel implicite. Porro si conclusio theologica aliunde sit revelata, aut Ecclesiae iudicio nitatur, ad fidem immediate pertinere dubium non est. Secus vero cum propositionem unam ex alia ratiocinando eruere rationis humanae sit opus, conclusio eiusmodi ad fidem directe non pertinet. Quod si tamen per evidentem deductionem ex principiis immediate revelatis illata sit, ad fidem mediate saltem et indirecte pertinere poterit, pro iis saltem, qui vim deductionis comprehendunt. »

Nota. Ex hactenus pertractatis facile colligitur, quomodo dogmata a *conclusionibus theologicis*, a *piis opinionibus*, et a *placitis scholarum* distinguenda sint. Conclusiones theologicae sunt illationes ex dogmatibus ope rationis deductae. Talis conclusio dicitur *veritas*, seu *propositio theologice certa*, si firmis argumentis ex revelatione petitis innititur, aut ex dogmatibus per evidentem consequentiam infertur, sed tamen ceu dogma ab Ecclesia non proponitur. *Pia opinio* est sententia, quae licet sat firmis argumentis ex revelatione petitis probari non possit, attamen reliquae doctrinae catholicae magis quam sententia contraria convenit, et propterea pio sensui probatur. *Doctrina Catholicorum* vocatur id, quod a Theologis catholicis passim docetur, quamvis ab Ecclesia non sit definitum. *Per propositionem catholicam* non semper intelligitur veritas de fide credenda, aut theologice certa, sed quandoque etiam sententia, quae impune inter Catholicos sustineri potest, seu quae fidei catholicae contraria non est. Denique notandum est, quod Theologi catholici, quamvis circa fidei dogmata omnes consentiant, attamen, dum eorum, quae rationis captum superant, intrinsecum nexum aliquo modo explicare et rationi humanae attemperare student, in varias sententias abeant, seu varia systemata sequantur. Varia haec systemata, quoniam in scholis exponi et defendi consueverunt, a recentioribus *placita scholarum nuncupantur*: eaque cum fidei dogmatibus non esse confundenda ex dictis manifestum est.

ARTICULUS II.

De obiecto Theologiae polemicae, seu de propositionibus doctrinae catholicae contrariis.

§ 8. Theologia polemica in erroribus religioni oppositis detegendis et refellendis occupatur. Varii autem distinguuntur errorum gradus pro diversitate modi, quo dogmatibus fidei et morum opponuntur. Idcirco variae sunt etiam censurae, quibus propositiones malae seu heterodoxae tum a Theologis inuruntur, tum ab ipsis quoque summis Pontificibus damnantur. Necesse omnino est, ut Theologiae candidati has *propositionum censuras* probe intelligant, quae ideo breviter hic exponendae sunt.

1. Propositio *haeretica* est ea, quae opponitur dogmati; seu est propositio, quae adversatur doctrinae a Deo revelatae, et ab Ecclesia credendum propositae. Nonnulli in declaranda propositione haeretica hanc distinctionem ineundam esse censent, quod propositio opposita propositioni *explicite revelatae* sit haeretica ante Ecclesiae definitionem; propositio vero opposita propositioni *implicite tantum revelatae*, non sit haeretica nisi

post Ecclesiae definitionem (1).—Alii vero hanc distinctionem non admittunt, quia definitio Ecclesiae non novum dogma efficit, sed solum de eius existentia fideles certos reddit. Hinc colligunt, omnem propositionem, quae modo est haeretica, semper haereticam fuisse; nec Ecclesiam definitione ex non haeretica haereticam facere, sed id, quod reipsa erat ignoratum tamen et occultum, declarare (2). Sed haec controversia facile componitur, si propositio haeretica tum *obiective* in se, tum *subiective* in illo, qui eam profert, consideretur. Si obiective, seu in se spectetur, certum est, quod in posteriori sententia dicitur, propositionem semel haereticam semper haereticam esse; sicuti enim dogma immutabiliter verum est, ita propositio, quae illi directe opponitur, immutabiliter falsa, dogmati contraria, seu haeretica est. Si autem propositio subiective in illo, qui eandem tenet et enunciat, consideretur, certum pariter est, talem de formali haeresi argui non posse, si inculpabiliter dogma ignorat, et errori suo pertinaciter non inhaeret. Ideo Theologi communiter haereticos *materiales*, qui inculpabiliter, et *formales*, qui culpabiliter errant, distinguunt: haereticus autem materialis ille tantum dici potest, qui propositionem obiective tantum haereticam tenet et enunciat.

2. Propositio *erronea* dicitur illa, quae opponitur propositioni theologice certae, seu est propositio, quae repugnat veritati, quam communis Doctorum catholicorum sententia mediate revelatam iudicat, licet ab Ecclesia nondum expresse fuerit definita. — Hanc definitionem contra nonnullos, propositionem erroneam aliter intelligentes, defendunt *Bannez*, *Suarez*, *Tournely*, et alii.

3. Propositio *de haeresi suspecta* ea est, quae ex se se utriusque sensus, catholici et heterodoxi, capax est, quaeque sive ratione sui, sive ratione circumstantiarum sufficiens praebet fundamentum, non quidem ad probabile iudicium ferendum, quod auctor sit haereticus, sed solum ad suspicionem, et timorem aliquem absque temeritate de eo concipiendum (3). Recte observant Theologi, quod propositio, ut dicatur suspecta de haeresi, in se sola considerari non debeat, sed attendendae sint circumstantiae scriptoris, loci et temporis. Eadem enim propositio, quae quodam tempore catholice profertur, alio tempore suspicionem haeresis ingerere et ad omne periculum haereticae pravitatis a fidelibus avertendum merito damnari potest. Sic propositio: *Christus est creatura*, catholice profertur, quia Christus est creatura secundum naturam humanam: sed tempore Arianorum divinitatem Christi negantium eadem propositio penitus vitanda erat, utpote de haeresi suspecta. Propositio vero: *Maria est Christotocos*, seu *Christipara*, tempore Nestorianismi fuit proscripta; hodie autem est catholica, in Litaniis enim dicitur: *Mater Christi.*

4. Propositio *haeresim sapiens* nuncupatur illa, quae in significatione, quam verba prima fronte referunt, sensum ostendit haereticum, etsi benignius ac mitius intellecta significatum verum et orthodoxum patiatur: talis propositio non solum suspicionem aliquam ingerit, sed sufficiens praebet fundamentum ad probabile iudicium ferendum, quod auctor sit

(1) V. Thom. ex Charm. proleg. diss. 6, q. 1.
(2) V. M. Canus de loc. theol. l. 12, c. 6.

(3) V. Tournely de loc. theol. tom. 2, p. 2, de Censur.

haereticus. Sed tamen in tali iudicio caute procedendum est, et circumstantiae, auctoris potissimum, perpendendae sunt. Id eleganter docet et adductis exemplis comprobat *M. Canus* (1) his verbis: « Quid haeresin sapiat, quid non sapiat, non tam definitione et argumentatione speculatricis disciplinae, quam sensu quodam gustuque iudicatur, » hoc est, non praecise ex propositione absolute sumpta iudicium ferri, sed etiam relative ad proferentem spectari debet. « Expediam brevi rem hanc, pergit Canus, et planam exemplo uno faciam. Leges illam propositionem: *Pater maior me est*, in Evangelio: habes illius doctrinae auctorem cognitum et perspectum; antecedentia et consequentia in Evangelio verba diligenter attendis, eius doctrinae principia reliqua memoria tenes. Iam experiere, nisi habes humore aliquo malo affectum gustum, propositionem illam: *Pater maior me est*, non haeresim tibi sapere, sed modestiam. Legebat eandem in Arianorum libris *Athanasius*, auctores iutus, et in cute noverat; Arianae disciplinae causas et effecta, principia et connexa perspexerat; et quae in Evangelio Christi dulcis erat super mel et favum, eadem propositio in Arii libros transfusa sapiebat haeresim, eratque eius gustui vel amarissima. Atque ut idem vinum ex vase uno sapit picem, ex altero non sapit.... sic una et eadem oratio ex uno corde et ore odorem spirat iucundissimum, ex altero deterrimum, ex uno saporem suavem servat, ex altero insuavem.... Non itaque e rerum ipsarum orationumque natura sapor odorque omnis existimandus est; sed tum res, tum orationes ipsae a venis aliquando et viis, per quas permeant, saporem et odorem accipiunt. Saporem igitur propositionum, ut dixi, non tam scientia, quam prudentia diiudicat. Quocirca quae propositio haeresim sapiat, quae contra non sapiat, non Theologi quivis, sed prudentes solum atque experientes poterunt iudicare. »

(1) L. 12 de loc. theol. c. 10.

5. Propositio *haeresi proxima* iuxta graves Theologos ea vocatur, quae ex consensu omnium fere Theologorum directe et immediate adversatur doctrinae revelatae, paucis duntaxat ex adverso dissentientibus Theologis levi ductis motivo (2). — Alii autem vocis etymon spectantes, illam propositionem haeresi proximam dicunt, quae tantam cum doctrina haeretica connexionem habet, ut sine hac vix concipi aut sustineri possit, unde fit, ut cum maxima probabilitate haeretica iudicetur (3).

6. Propositio *schismatica* est ea, quae fideles ab obedientia summo Pontifici aliisque Superioribus ecclesiasticis debita retrahit, e. g. si quis diceret, nimis durum, seu tyrannicum esse Romani Pontificis imperium. Propositio autem, quae ita comparata est, ut subditos ab obedientia principibus debita retrahat, illosque ad rebellionem inducat, *seditiosa* vocari solet, talem profert asserens, iugum a principibus impositum homines infelices reddere, et ideo excutiendum esse; omnes homines aequales et nulli legitimam in alios potestatem inesse etc.

7. Propositio *haeresi aut schismati favens* illa nuncupatur, qua haeretici ad suos errores propugnandos, aut schismatici ad suam inobedientiam defendendam uti possunt. Sic, qui doceret, Eucharistiae Sacramentum non esse solemni ritu per vias publicas circumferendum, faveret errori

(2) V. Tournely l. c.
(3) V. Th. ex Charm. l. c.

Digitized by Google

Calvinistarum docentium, Christum substantialiter non contineri in Eucharistia, et Lutheranorum negantium, Christum in ista extra sumptionem praesentem esse; item qui sustineret, Pium IX non esse canonice electum, faveret schismati retrahendo fideles ab obedientia legitimo Pontifici debita.

8. Propositio *falsa* est, quaecunque veritati opponitur. Communiter vero hac nota inuruntur propositiones illae, quae contra historicam veritatem factum aliquod, ad fidem mediate spectans, vel cum quodam dogmate intime coniunctum, aut affirmant, aut negant.

9. Propositio *temeraria* dicitur illa, quae absque ullo aut Scripturae, aut Traditionis, aut rationis theologicae fundamento a communi Theologorum sententia recedit. Recte etiam nonnulli cum *Suarez*, *Delugo*, *Tournely*, et aliis advertunt, propositionem duobus modis dici posse temerariam, *positive* scilicet, et *negative*. Positive temeraria dicitur, quando pugnat contra receptam sententiam vel Patrum, vel Scholasticorum, ita ut omnes, vel fere omnes in illa conveniant, etiamsi non asserant, esse fide divina certam, sed omnino probabiliorem, aut simpliciter veram: talem propositionem propugnans certe notam temeritatis incurrit, quoniam privatum suum iudicium communi Patrum, aut Theologorum consensui praefert. Negative temeraria dicitur propositio illa, quae solo proprio iudicio sine sufficiente auctoritate, vel cogente ratione excogitata est. Nam, ut ait *S. Antoninus* (1), « Temerarium est asserere tanquam certum illud, quod non potest ratione, vel auctoritate probari efficaciter; sicut asserere, quod mundus terminetur post centum, vel ducentos annos. Quamvis enim hoc possit esse verum, tamen hoc asserere tanquam certum est temerarium, quia ad hoc nec auctoritas, nec ratio efficax habetur. »

(1) P. 2, summae theol. tit. 12, c. 5.

10. Propositio *scandalosa* nominatur ea, quae a virtutibus retrahit, vel ad vitia inducit, dans alteri occasionem ruinae spiritualis; ut si quis incommoda enumeraret ieiunii, confessionis sacramentalis, aliorumve spiritualium exercitiorum, eorundemque emolumenta reticeret etc., nemo non videt, quam pravos effectus in animis audientium excitaret.

11. Propositio *male sonans* ea est, quae, licet in bonum sensum exponi queat, ita tamen profertur, ut in ipsa pravus sensus sano et catholico praevaleat ac praeponderet. Id duplici modo contingere potest, nempe *ab intrinseco*, vel *ab extrinseco*. Male sonans ab intrinseco ea est propositio, quae ex sese, praecisis extrinsecis circumstantiis, pravum sensum praevalentem involvit; unde propositiones eiusmodi ex sese, et intrinseca natura malum sensum praeseferunt. Male sonans ab extrinseco vocatur propositio, quando pravus ipsius sensus non ex propositione nude sumpta, sed cum circumstantiis personae, loci, aut temporis oritur: ut haec propositio: *fides iustificat*, absolute pronuntiata, nunc obortis haeresibus praeponderantem sensum pravum involvit, quem olim nondum enatis erroribus non involvebat.

12. Propositio *piarum aurium offensiva* ea dicitur, quae vera quidem profert, sed modo absono et rebus Religionis indigno, ita ut aures catholicae, prudentes et piae merito offendantur. Hanc censuram mereretur, qui Sanctos invocando eorum peccata ipsis improperaret, e. g. « S. Paule,

persecutor Ecclesiae, ora pro nobis. »

13. Propositio *captiosa* ea est, quae sub pietatis specie venenum obtegens apta est simplicium mentes seducere. Sic Ariani, ut simplices seducerent, dicebant: « Christum esse similem Patri » non natura, sed alia quadam ratione.

14. Quid demum sit propositio *impia*, *athea*, *blasphema*, *perniciosa*, *Ecclesiae praxi iniuriosa*, *contumeliosa*, *superstitiosa*, *improbabilis*, *stulta*, *aequivoca* etc. ipsa nomina satis videntur indicare.

Nota 1. Duplex distingui potest et debet sententia theologicam ferens censuram, *doctrinalis*, *seu privata*, et *iudicialis*, *seu authentica*. Doctrinalis seu privata est eorum, qui licet nulla fruantur auctoritate coelitus sibi commissa ad servandam fidei integritatem, nihilominus tamen varias notant propositiones, quarum virus discernunt eo facilius, quo peritiores babentur et sunt. Talis sententia doctrinalis a Doctoribus Theologis profertur; elucet autem maxime in censuris a sacris facultatibus latis, cum emanet a coetu peritorum mutuo sibi lumine mutuaque prudentia faventium. Constat autem, inter Theologos alienas propositiones invidis censuris vexantes non paucos abusus contigisse; quapropter Romani Pontifices iteratis vicibus prohibuerunt, ne Theologi privata auctoritate aliorum propositiones, ab Ecclesia nondum proscriptas, censuris suis vellicare praesumant. — Altera, quae propositionibus theologicas inurit notas, sententia iudicialis, seu authentica appellatur: huius auctores sunt Episcopi, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, et dedit fidelibus Pastores et Doctores, ut non circumferantur omni vento doctrinae; unde ipsis pro munere competit, depositum fidei servare, veritatem tueri, errores profligare. Primario autem id spectat ad summum Pontificem, qui est Pastor Pastorum et Centrum unitatis, cuius effata cum maxima reverentia suscipienda sunt, nec licet eis contrarium dogmatizare.

Nota 2. Triplici modo damnari possunt propositiones heterodoxae. *Primus* est, cum propositiones singillatim referuntur, iisque singulis debita apponitur censura. Ita ab *Innocentio X* quinque Iansenii propositiones damnatae, et a Pio VI in Bulla, *Auctorem fidei*, heterodoxa Concilii Pistoriensis asserta proscripta fuerunt. — *Secundus* modus censuram ferendi theologicam est, cum, nulla relata propositione, integer damnatur liber ut venenosus atque Christianis nocivus. Ita iam Synodus Nicaena I librum Arii, qui inscribitur Thalia, prohibuit. — *Tertius* modus, inter duos praecedentes medius, propositiones quidem singillatim refert; ast notas, seu censuras singulis non applicat, sed has in unum congestas indicatis propositionibus *respective* convenire asserit. Sic heterodoxae propositiones *in globo* damnari dicuntur. Hic modus multoties usurpatus fuit in Ecclesia: sic in Concilio V generali errores Origenis, Nestorianorum et Eutychianorum, in Suessionensi Synodo propositiones Abaelardi, in Rhemensi Gilberti dogmata, in Constantiensi Concilio Wicleffi et Ioannis Huss sententiae in globo et respective proscribuntur: eumdem tenorem observarunt summi Pontifices *Leo X* contra Lutherum, Pius V in damnatione errorum Baianorum, et *Clemens XI* in Bulla, *Unigenitus*, in qua 101 propositiones Quesnelli damnantur. — Particula autem, *respective*, quae reperitur in decretis propositiones in globo damnantibus, duo significat: *primum*, nullam esse notam ex assignatis, quae

non alicui saltem propositioni competat; et *secundum*, nullam esse ex damnatis propositionibus disiunctive, in quam non cadat una saltem ex notis, quae in damnationis decreto referuntur: « Unde, ait *Thom. ex Charmes* (1), decreto apostolico sic concepto sufficientem exhibet obedientiam, qui credit, nullam esse propositionem damnatam, in quam non cadat una saltem ex censuris, quibus in globo notantur. » — Errant autem, qui putant, hunc propositiones in globo damnandi modum ambiguum, vagum, fini damnationis minus consentaneum esse, nihilque certi ex illo discere fideles. Hi enim discunt, quidquid eos vult docere Ecclesia, scilicet propositiones notatas omnes vitiosas esse et reiiciendas, ac praeterea commonefiunt, librum, ex quo propositiones sunt extractae, periculosum esse et errores continere, aut haeresis esse infectum. Idcirco doctissimi Theologi hunc propositiones in globo damnandi modum laudant et commendant: sic Cl. *Zallwein* in principiis iuris eccl. (2) inter alia haec habet: « Quod Ecclesia hoc potius quam alio qualificandi modo utatur, neutiquam ipsius ignorantiae est adscribendum, utpote quae ideo hoc facit, tum quod modus iste facilior, expeditior, et non raro utilior eidem videatur; tum quod Ecclesia soleat esse valde cauta et circumspecta in similibus censuris, ita quidem, ut licet assistentiam Spiritus sancti sibi adfuturam in necessariis non dubitet, temerarie tamen de illa confidere nolit, nisi apertissima necessitas et utilitas id exigat. »

Nota 3. Cl. *Tournely* (3) observat, censuram theologicam non cadere in ipsos praecise propositionis terminos ipsaque verba, quorum usum mere removeat; ast afficere potissimum propositionum sensum et doctrinam verbis expressam, quam configit ac diffamat. Idem inferius docet, terminorum et propositionum sensum ex triplici potissimum capite colligi: 1° ex usu constanti et universali; ipse enim summa est acceptionis terminorum regula: 2° ex antecedentibus et consequentibus; namque licet termini frequenti usu ad certam significationem determinentur, attamen dum sibi adhaerent varias patiuntur notiones, diversosque sensus exhibere possunt; ad unum autem prae caeteris determinantur per antecedentia et consequentia: 3° ex intentione auctoris nota et constanti; etenim termini ita ab usu dependent, ut tamen liberae auctoris acceptioni subiici possint; unde fit, ut tradit *S. Ambrosius* (4), « quod sermonem dubium mens non dubia obumbret et defendat a lapsu. » Et, ut habetur cap. *Intelligentia*, Extra. De verborum significatione: « Verba sunt intelligenda non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis. »

CAPUT II.

DE OFFICIIS THEOLOGIAE THEORETICAE

§ 9. Si quis magni momenti scientiam recte tradere velit, omnino opus est, ut officia probe cognoscat, quae adimplenda sunt, ut traditae disciplinae finis feliciter obtineatur. Haud inutile igitur, sed perquam necessarium est, ut 1° tum *dogmaticae*, 2° tum *polemicae* officia exactius describantur.

ARTICULUS I.

Officia Theologiae dogmaticae.

§ 10. Quinque sunt munèra, seu officia sedulo ab illo adimplenda,

(1) Prol. diss. 6, c. 2, quaer. 18, II.
(2) T. 1, q. 4, c. 2, § 6.
(3) T. 2, p. 2 de censuris, seu notis theol. art. 3.
(4) Epist. 48.

Digitized by Google

qui institutiones dogmaticas debito modo elucubrare, et per illas Religionis revelatae claram, completam, solidam et efficacem cognitionem producere desiderat. Debet enim *veritates theoreticas*, ad Religionem revelatam pertinentes, *colligere*, *recto ordine disponere*, *clare explicare*, *idoneis argumentis comprobare*, *ususque practicos, qui ad pietatem faciunt, indigitare*. — Equidem de officiis docentium Theologiam iam Th. gen. § 17 actum est; sed quae ibi in genere de disciplinis theologicis dicta sunt, propius hic studio dogmatico applicare, et scopulos nonnullos, in dogmaticis institutionibus caute vitandos, indicare oportet.

I. *De veritatibus Religionis revelatae theoreticis colligendis.*

§ 11. 1. Ad Theologiam dogmaticam spectat, veritates Religionis revelatae *theoreticas* pertractare. Omnis autem Revelatio in duplici fonte continetur, scilicet in S. Scriptura et in Traditione. Constat autem, in Libris divinis varii generis veritates contineri, non solum theoreticas, sed etiam practicas, hierarchicas, historicas etc. Idem dicendum est de Traditione, altero Revelationis fonte. Ad Theologum dogmaticum ergo, spectat, veritates, proxime ad fidem pertinentes, credendas, seu theoreticas ex sacris fontibus haurire et sedulo colligere. Dum autem hoc munere fungitur, tanquam magistram et ducem sequi tenetur Ecclesiam, quae ex ipsa institutione Christi divinam Revelationem custodit, commonstrat ac interpretatur, et sine cuius infallibili iudicio nulla doctrina tanquam dogma divinitus revelatum venditari potest(1).

2. Quamvis primarium Theologiae dogmaticae obiectum, ut ipsum nomen innuit, *dogmata* constituant; secundarium tamen eiusdem obiectum recte dicuntur *conclusiones theologicae*, seu veritates, quae licet de fide divina non sint, attamen ex ipsis dogmatibus per legitimam consequentiam deducuntur. Veritates istae mediate saltem ad Religionem revelatam pertinent, atque ideo in institutionibus dogmaticis non sunt negligendae, sed potius solerter colligendae. Recte idcirco Cl. *Dobmayr* (2) dicit: « Ratio, dum veritates revelatas reflectendo contemplatur, saepe vel principia earum, vel consectaria detegit, quae quidem Dogmaticae addere non licet modo, sed oportet etiam: insunt enim ea revelationis non quidem litterae, sed spiritui, et prodeunt ex naturali rationis lege, simulque religionem revelatam illustrant ac evolvunt. » Conclusiones equidem, quae ex dogmatibus eruuntur, non semper theologicae certitudinis gradum attingunt: sed quandoque solum maiorem vel minorem probabilitatem pariunt, quandoque in controversiam deducuntur, cum ipsi Theologi in varias sententias abeant. Ast non licet Theologo circa istas quaestiones et controversias in omnimoda ignorantia versari, cum etiam istae haud raro ad Religionis doctrinam dilucidandam, et ad nexum dogmatum clarius perspiciendum plurimum conferant. Et si in Theologia morali, in Historia, in Philosophia, et aliis disciplinis, praeter regulas et veritates certas, etiam variae opiniones, quaestiones et controversiae vix ullo reclamante proponuntur, qua de causa istae sub odioso scholasticarum nomine ex Theologia dogmatica penitus eliminandae erunt? — « Ad discendum, ait *S. Augustinus* (3), item necessario dupliciter ducimur, auctori-

(1) Cf. Stattlenmayr Dogm. t. 1, § 8.

(2) T. 5, § 7, p. 14. (3) De ordine c. 9.

tate atque ratione; » et (1) scribit: « Nulli dubium est, gemino pondere nos impelli ad discendum, auctoritatis atque rationis. » Multa idcirco Deus nobis revelavit, et per Ecclesiam ad credendum proponit, quae inconcussa fide tenenda sunt: alia vero, quae ad Religionem referuntur, clare revelata, et ab Ecclesia definita non sunt; in his ergo liberum erit ingenio humano id sentire, quod post diligens examen veritati magis consonum apparebit, iuxta celebre citati Doctoris effatum: « In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas. »

3. Cum omnis tractatio theologica ad gloriam Dei et salutem animarum tendere debeat, sequitur tanquam regula principalis, quod in institutionibus dogmaticis nonnisi ea colligenda et proponenda sint, quae utilia sunt, et ad praefatum finem promovendum inserviunt. Dubitari autem nullatenus potest, omnia utilia esse, quaecunque a Deo nobis revelata fuerunt; nam, ut ait Apostolus: *Quaecunque... scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, et consolationem Scripturarum spem habeamus* (2); et: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* (3) etc., quod idem valet de divina Traditione, quae in S. Scriptura commendatur. Aliter disserendum est de opinionibus theologicis et quaestionibus scholasticis, ex quibus illae, quae utilitatem afferre queunt, institutionibus dogmaticis inserendae, illae vero, quae prorsus vanae, futiles et nullius emolumenti cognoscuntur, omittendae sunt. Hanc regulam tradit *M. Canus* (4), ita praeclare scribens: « Quam ergo intelligimus theologicam quaestionem (in Theologia pertractandam)? Opinor eam, quae plane ad rem faciat, hoc est, ad Theologiam spectet. Non autem spectant vanae, ineptae, noxiae, sed solidae, aptae, commodae. *Ego*, inquit Is. XLVIII, 17, *Dominus Deus tuus, docens te utilia*. Theologia ergo, quae Dei nimirum doctrina est, nullo modo inutilia colligit: quin super fidei fundamentum, quod ab Apostolis est positum, aurum, argentum, lapides pretiosos superaedificat (5); nam qui ligna, foenum et stipulam, ii non hoc ex Theologia, sed ex errore faciunt. Maneat igitur, eam esse proprie theologicam conclusionem, quae ex Theologiae principiis, ut effecta ex causis suis, oriatur. Unde illud consectarium, nullam Theologiae quaestionem existimandam, quae non possit ad eiusmodi initia referri, exque iis apte et congruenter argumentando definiri. Quanquam sunt quaestiones quasi appendices, quas, quoniam gratia explicandi illas, quae vere et proprie theologicae sunt, apposite et graviter adiunguntur, iure quodam vel similitudinis, vel propinquitatis, vel etiam ordinis *Theologicas* itidem haud absurde appellaveris. »

Nota. Primarium Theologiae dogmaticae officium est, ut veritates Religionis theoreticae *a Christo traditas* colligat, et iuxta constantem Ecclesiae sensum proponat. Maxime ergo aberrant illi, qui docent, successu temporis, et crescente humanorum ingeniorum cultura nova et puriora dogmata exorta esse, et ipsam Religionem christianam obiective continuo perfici posse et debere. Impiam hanc doctrinam Rationalistae inter Protestantes cum *Semler*, *Krug*, *Schelling*, *Hegel* etc. passim defendunt. Aiunt isti, quarumlibet rerum initia imper-

(1) Contra Academ. l. 3, c. 20.
(2) Rom. 15, 4. (3) 2 Tim. 3, 16.
(4) L. 12 de loc. theol. c. 5.
(5) 1 Cor. 3, 12.

fecta esse, et omnia pedetentim solum crescere et ad suam perfectionem pertingere; quod principium Religioni quoque christianae applicandum esse censent. — Ast longissime a veritate aberrant. Nam falso imprimis supponunt, Religionem christianam tunc demum incepisse, cum Filius Dei incarnatus apparuit: illius initia potius ad mundi primordia referenda sunt, in quibus Messias promissus fuit, atque ideo fides in Christum incepit (Th. gen. § 105). Neque dubitari potest, tum Religionem patriarchalem (ib. § 92 etc.), tum Religionem mosaicam (ib. § 95 etc.) a Deo revelatam fuisse. Quod si in veteri lege, quae fuit *umbra futurorum* (1), lumen revelationis gradatim hominibus affulsit; Christus tandem, qui fuit *finis legis* (2), plenam revelationis lucem attulit, ita ut huius incrementum haud amplius exspectandum sit. Et sane Christus omnia hominibus annuntiavit, quae ad eorundem salutem promovendam requiruntur; ideo dicitur: *Non est in alio aliquo salus. Nec enim alind nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (3). Christus vocatur *via*, *veritas*, *et vita* (4). Paulus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus* (5). Idcirco idem Apostolus soli doctrinae a Christo revelatae et ab Apostolis praedicatae inhaerendum esse docet, novas autem doctrinas ita reiicit et condemnat, ut scribat: *Licet nos, aut angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (6). Ex his satis patet, Religionem a Christo revelatam ita perfectam esse, ut obiective crescere, augeri, aut perfici non possit. Contrarium rationalistae ideo tantum sentiunt, quia de divinitate Christi, et de assistentia Spiritus sancti tum Apostolis, tum Ecclesiae concessa male sentientes, opus divinum cum institutionibus humanis confundunt. Istae enim, cum summum perfectionis gradum nunquam attingant, ab aliis emendari et perfici queunt. Ast *Dei perfecta sunt opera* (7), quapropter Christus, qui est Filius Dei, *unus-Magister* (8), et *lux mundi* (9), qui *venit quaerere, et salvum facere quod perierat* (10), et qui pro hominibus omnia fecit, ut *vitam habeant, et abundantius habeant* (11), talem profecto doctrinam attulit, quae emendatione, aut perfectionis incremento nec indigeat, nec illius capax sit. Id semper, ubique, et ab omnibus creditum est, qui rectam fidem tenentes de Christi divinitate, et de Spiritus sancti assistentia, Apostolis et Ecclesiae in docendo promissa, non dubitarunt. Recte igitur *Vincentius Lirin.* (12) contrarium sentientes acriter perstringit dicens: « Mirari satis nequeo tantam quorundam hominum vesaniam, tantam excaecatae mentis impietatem, tantam postremo errandi libidinem, ut contenti non sint tradita semel, et accepta antiquitus credendi regula, sed nova ac nova in diem quaerant, semperque aliquid gestiant Religioni addere, mutare, detrahere; quasi non coeleste dogma sit, quod semel revelatum esse sufficiat, sed terrena institutio, quae aliter perfici nisi assidua emendatione, imo potius reprehensione, non possit, cum divina clament oracula: *Ne transferas terminos, quos posuerunt patres tui* (13).

(1) Col. 2, 17. (2) Rom. 10, 4.
(3) Act. 4, 12 etc. (4) Io. 14, 6.
(5) 1 Cor. 3, 11. (6) Gal. 1, 8.

(7) Deut. 32, 4. (8) Matth. 23, 8.
(9) Io. 8, 12. (10) Luc. 19, 10.
(11) Io. 10, 10. (12) Commonit. c. 21.
(13) Prov. 22.

Et: *Super indicantem ne iudices* (1). Et: *Scindentem sepem mordebit eum serpens* (2). Et illud Apostolicum, quo omnes omnium haereseon sceleratae novitates velut quodam spirituali gladio saepe truncatae, semperque truncandae sunt: *O Timothee! depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt* (3) » Cf. § 5, nota 2. Denique *Concilium Nicaenum II*, Act. VI (4), ita loquitur: « Quae tradita sunt in Catholica Ecclesia neque augmentum, neque detrimentum admittunt (5). »

II. *De systematica veritatum revelatarum dispositione.*

§ 12. 1. Sacros Libros pervolventes saluberrimas veritates, divinitus patefactas, non autem systematico ordine dispositas, invenimus. Etiam in scriptis Ss. Patrum, qui maxima ex parte in exponendis Ss. Bibliis, et in refellendis sui temporis erroribus occupantur, systematica omnium dogmatum theoreticorum pertractatio desideratur. Haec igitur ad finem Religionis *necessaria* dici non potest; doctrina enim Christi, simplici modo proposita, praecipue in primis saeculis efficaciam suam in emendandis hominum moribus, et promovenda eorundem salute clarissime manifestavit; nam: *Virtus... Dei est omni credenti, Iudaeo primum, et Graeco* (6); et: *Placuit Deo, per stultitiam praedicationis salvos facere credentes* (7).

2. Negari autem non potest, systematicam dogmatum pertractationem perquam *utilem* esse. Ea enim est humanae rationis natura, ut, sicut unius Veritatis lumine illustratur (Th. gen. § 34), ita etiam ad unitatem tendat, rerum harmonia delectetur, et inordinatum chaos refugiat. Ipsi igitur rationi, praecipue si iam per alias disciplinas naturales magis exculta sit, valde consonum et exoptatum est, ut etiam Religionis revelatae veritates apto ordine disponantur, et quomodo inter se intime connexae sint, ac unum quasi corpus constituant, quantum fieri licet, ostendatur. Dubitari sane non potest, doctrinam apte dispositam non solum iucundiorem reddi, sed etiam eiusdem dignitatem et excellentiam melius perspici, illius quoque capita facilius intelligi, atque firmius memoriae imprimi: ex quo sequitur, tractationem systematicam ad Religionis tum honorem, tum finem promovendum haud parum conferre. Ideo iam *Clemens Alex.* (8) commendat perfectam veritatum revelatarum cognitionem, seu gnosin, quam dicit esse « fidem scientifice explicatam et ordinatam. » *Origenes* (9), considerans veritates in Revelationis fontibus dispersim contentas, ita loquitur: « Oportet igitur velut elementis ac fundamentis huiusmodi uti - secundum mandatum, quod dicit: *Illuminate vobis lumen scientiae* - omnem, qui cupit *seriem quandam, et corpus* ex horum omnium ratione perficere, ut manifestis et necessariis assertionibus de singulis quibusque quid sit in vero rimetur, et *unum*, ut diximus, *corpus* efficiat exemplis et affirmationibus, vel his quas in sanctis Scripturis repererit, vel quas ex consequentiae ipsius indagine ac recti tenore repererit. » Theologi scholastici probe cognoverunt, bene ordinatam veritatum revelatarum per-

(1) Eccli. 8. (2) Eccl. 10. (3) 1 Tim. 6.
(4) Ap. Mansi l. 13, col. 235 seq.
(5) Cf. Liebermann t. 2, Prolus. § 2, Prop. 2. — Kuhn Dogm. Introd. c. 2, § 10.

(6) Rom. 1, 16. (7) 1 Cor. 1, 21.
(8) L. 2 Strom. c. 18.
(9) De princip. praefat. n. 10.

Digitized by Google

tractationem magna emolumenta afferre; quapropter totam Theologiam in varios tractatus diviserunt, quos congruo modo inter se connectere studuerunt. Cum autem ista in tractatus divisio imperfectionibus et naevis non caruisset, recentiores Theologi nova divisionum capita quaesierunt, et institutiones dogmaticas iuxta systema magis logicum et perpolitum elucubrare conati sunt; probe cognoscentes, nostris temporibus, in quibus omnes disciplinae systematice tradi solent, Theologiam vilipendendam fore, si in ista bene coordinatum systema deesset.

3. Systema perfectum, seu *mathematicum* dici solet, in quo ex uno summo principio omnes veritates pertractandae per legitimam consequentiam deducuntur. Tale systema, ut contra *Ficthe* observat, et probat Cl. *Kuhn* (1), vix in aliqua scientia exhiberi potest; praesertim autem nullo modo Theologiae dogmaticae applicari potest, in qua non paucae veritates continentur, quae rationis captum superant, ac ideo nequaquam ope ratiocinii humani ex uno principio deduci queunt. In hac igitur disciplina ratio per revelationem illustrata tale solummodo systema condere valet, ut veritates, quae pertractantur, apto nexu inter se cohaereant, una ex alia, quantum fieri potest, inferatur, ac ea, quae praecedunt, succedentibus lucem affundant. — Cum autem Theologia dogmatica specialis nonnisi circa *veritates revelatas* occupetur, summum illius et maxime universale principium, per quod omnia dogmata ad unitatem revocantur, est ipsa *Revelatio divina*, seu Deus, se regnique sui moralis constitutionem nobis per Ecclesiam manifestans. Hoc summum principium ita enuntiari potest: Omnia, quae Deus revelavit, et per Ecclesiam ad credendum proponit, infallibiliter vera, ac ideo firmiter credenda sunt. Exinde etiam clare patet, Theologiam dogmaticam specialem omnimode tanquam basi et fundamento iis incumbere, quae in Theologia generali, seu fundamentali exposita et probata sunt (2).

4. Si de ordine quaeritur, quo veritates ad Theologiam dogmaticam specialem spectantes pertractandae sunt, plerique recentiores Theologi in hoc conspirant, quod Theologiam dicant in Deo tanquam in communi Centro totam versari moverique, ut ita tota illud vere sit, quod nomine suo indicat, *sermo de Deo*. Quo posito, sacra haec disciplina in duas partes abit; quoniam Deus tum *ut est in se*, tum *ut est extra se agens* considerari debet. — Probe autem attendendum est, in Theologia dogmatica pertractandam esse Religionem a Christo revelatam, seu exponendum esse Symbolum christianum, cuius veritatem principalem et notam characteristicam constituit mysterium Trinitatis. Deus nempe, in se spectatus, est unus in essentia, et trinus in personis: quod dogma principale primo loco pertractandum erit. Ast etiam dum Deus extra se agens consideratur, Trinitatis ratio habenda est, quoniam Patri appropriatur Creatio, Conservatio, et Gubernatio Universi, Filio Redemptio hominum, et Spiritui sancto Sanctificatio eorundem. Ultimo declarandum est, quomodo a Deo uno et trino omnia consummentur, et ad fines suos perducantur, quod quidem circa homines fit per iudicium, remunerationem bonorum, et punitionem impiorum. Hunc esse legitimum ordinem veritates Revela-

(1) L. c. p. 147.

(2) Cf. Dieringer Dogmat. § 6.

tionis christianae theoreticas pertractandi patet ex ipsis Symbolis, Apostolico, et Nicaeno-Constantinopolitano, in quibus circa articulos fidei idem fere ordo breviter quidem, sed satis clare innuitur (1).

Nota 1. Nonnulli cum Cels. *B. Galura*, Cl. *M. Dobmayr*, et aliis putant, optimum in Theologia systema concinnari, si omnia Religionis revelatae capita sub idea *regni divini moralis* proponantur, quam ideam ipsa S. Scriptura commendat, in qualibet fere pagina *regnum Dei regnum coelorum*, etc. commemorans. — Ast quamvis isti termini frequenter in sacris Libris occurrant, negari tamen non potest, multo frequentius Deum ipsum praedicari, Ens primum et summum, a quo omnia derivantur, et ad quem omnia referuntur. Dein voces: *regnum Dei*, *regnum coelorum*, etc. haud in eodem semper sensu a scriptoribus hagiographis adhibentur, sed hincinde solam Ecclesiam militantem (2), hincinde solam Ecclesiam triumphantem (3) significant. Magna itaque explicatione opus est, ut universalitas ideae regni divini moralis recte concipiatur, et ut appareat, quod *regnum physicum*, cui *morale* opponi videtur, cuius autem etiam Deus auctor, conservator et gubernator est, ab obiecto Theologiae non excludatur. Praeterea regnum morale nullatenus ut primum principium, ex quo caetera deducantur, statui potest, cum necessario quaestio exurgat, undenam praefatum regnum originem habeat, haec autem origo nonnisi in Deo, summo rerum omnium principio, inveniri possit. Denique non iam Deus existit propter regnum morale, sed regnum morale existit propter Deum; nam *universa propter semetipsum operatus est Dominus* (4). Ergo etiam in Theologia Deus ubique ut primum omnium rerum principium, et supremus omnium finis considerandus est. Hac idea imprimis stabilita et firmiter retenta, etiam idea subordinata regni moralis adhiberi et explicari potest, ut ait Cl. *Liebermann* (5): « Si quis nunc velit his (de Deo dictis) ideam regni coelestis aut regni moralis Christi substruere, minime repugnamus, tanti enim non est vocabuli alicuius accessio, re ipsa in integro manente. »

Nota 2. Methodus scientifica, seu systematica, duplex distinguitur; nempe *analytica*, quae a particulari ad universale, a composito ad simplex, ex partium resolutione singularumque investigatione, in veritatis incognitae et latentis notitiam quasi tentando devenit; et *synthetica*, quae ab universali ad particulare, a simplici ad compositum, de una ad aliam veritatem mutuo nexu cum illa coniunctam quasi componendo assurgit, et non tam veritatem inquirit, quam iam exploratam caeteris tradit ac ostendit. Prima ut methodus *inventionis*, altera ut methodus *demonstrationis* spectatur. Illa non incongrue in scientiis applicatur, in quibus rationis ope veritates detegendae et determinandae sunt: haec vero adhibenda est in Theologia dogmatica speciali, cuius obiectum constituunt veritates iam iam a Deo revelatae, et ab infallibili Ecclesiae magisterio ad credendum propositae, quas solum disponere, explicare et probare oportet. Haec fuit constans celeberrimorum Theologorum sententia et praxis. Contrarium propugnare conatur *G. Hermesius*, qui in sua Methodologia praemissa Introductioni positivae invehitur in communem Theologorum me-

(1) Cf. Cl. Kuhn Dogm. § 10, Dieringer l. c.
(2) Matth. 25, 1. (3) Matth. 7, 21.
(4) Prov. 16, 4. (5) T. 3, in prooem.

thodum syntheticam, et analyticam commendans eo usque progreditur, ut asserat dogmata omnia hactenus a Theologis tractata in sordibus iacere, nisi ad strictam *analysin* revocentur, ac propterea vehementer carpit superiorum aetatum Theologos, quod nec firmitati scientiae theologicae, nec veritati fidei methodo sua synthetica consuluerint. — Temerarium, et malesuadum hunc auctorem merito castigat Cl. *Perrone* (1), qui methodi syntheticae commoda et emolumenta recenset, ac dein ita prosequitur (2): « Contra vero plura analytica methodus secum ferret incommoda. Siquidem praeterquamquod difficile tunc quaestiones omnes ita disponi possent, ut strictus ordo nexus ac dependentia, saltem quantum rei patitur natura, inter unam atque aliam veritatem constituerentur; mirum, quod per eam methodum ambagibus innodaretur theologica disceptatio! Quodvis enim obiectum, de quo *analytice* inquirendum esset num aliquid, et quidnam revelatio doceat, prius in omnes suas partes ac relationes dispertiri oporteret; dein circa omnes istas partes relationesque novam singillatim instituere quaestionem; rationes *pro* et *contra* singulas illarum ex propriis revelationis fontibus expendere; difficultates omnes superare; videre, utrum conclusio alii veritati opponatur, utrum principium aliquod exploratum rationis eidem obsistat, ac demum decernere, num aliquid certi ex tota hac inquisitione ratio colligere queat (haec enim omnia *Hermes* in sua Methodologia pro recta analysi requirit). Iam vero quis non videt quam difficile et salebrosum sit per tot tantasque ambages ad argumenti demum exitum pervenire? Quam facilis in adeo perplexa et multiplici inquisitione erroris illapsus! Quam latus campus subtilitatibus ac tricis pateret, a quibus nonnisi aegre te expedias! — Quid vero magis inopportunum iuvenum theologorum mentibus informandis? » — Nullatenus autem Cl. *Perrone* methodum analyticam penitus reiicit, sed illam (3) tum ad dogmata explicanda, tum ad solvendas adversariorum difficultates proficuam declarat; « ast, ait (4), pro toto theologico dogmatum sive generali, sive speciali systemate adornando, ac pro recta dogmaticae tradendae ratione *synthetice* ac *demonstrative* procedendum contendimus. »

III. *De dogmatum explicatione.*

§ 13. 1. Dogma explicare idem est ac doctrinam divinitus revelatam declarare, seu ostendere, de quonam subiecto agatur, et quale huic praedicatum iuxta eloquia divina coniungendum sit. Cum autem authenticus et infallibilis Revelationis interpres Ecclesia sit, meminerit Theologus, se in dogmatum explicatione Ecclesiae sensum investigare et sequi debere, quem ex Conciliis, Libris symbolicis, Constitutionibus R. Pontificum, Ss. Patribus et Theologis cognoscere valebit. Explicatio autem vel est *verbalis*, quae voces, quibus dogmata enuntiantur, recte interpretatur, vel *realis*, quae res per voces indigitatas rite explanat. Notandum vero est, voces, quae ad dogmata, et praecipue ad mysteria enuntianda adhibentur, non tam iuxta sensum grammaticalem, aut philosophicum, quam potius iuxta sensum Ecclesiae intelligendas et exponendas esse. Ut autem explicationi reali satisfiat, propositae rei clara definitio est sistenda; aut etiam descriptio, seu paraphrasis ap-

(1) De locis theol. p. 3, sect. 2, c. 2.

(2) N. 348. (3) N. 351. (4) N. 355.

plicanda; hincinde etiam pertractanda veritas exemplis et similitudinibus illustrari potest, ubi tamen, ut monet Cl. *Klüpfel* (1), « Cavendum est, ne quid admisceatur vel falsi, vel indecori, quod maiestatem Numinis, dignitatem divinorum dogmatum, aut sanctitatem religionis dedeceat. » Iuvat interdum per negationem oppositi rem declarare, et generatim in id praecipue incumbendum est, ut perspicuo ostendatur, quaenam notiones, seu quinam conceptus in doctrina revelata contineantur, quinam vero ab illa excludantur. Nemo inficias ibit, accuratam hanc explicationem in Theologia dogmatica summi esse momenti: quicunque enim falsam notionem, seu erroneum conceptum cum dogmate coniungit, aut genuinam notionem, seu rectum conceptum ab illo seiungit, absque dubio circa ipsam fidem aberrat.

2. Si clare explicatum, et exacte determinatum est, quid Revelatio doceat, et Ecclesia ad credendum proponat; Theologus ulterius procedere, et muneri suo, quod *speculativum* dicitur, satisfacere debet. Recte hunc in finem reflexiones theologicae, et philosophicae circa explicata dogmata instituuntur, mutua eorum relatio, dependentia, ac nexus ostenduntur, latentes ex illis consecutiones deducuntur, imo etiam intrinsecae eorundem rationes investigantur, ut sic dogmata fidei, quantum fieri potest, *ad intelligentiam* evehantur; et non solum credibiles, sed etiam suasibiles efficiantur. Philosophica, seu speculativa haec dogmatum investigatio et declaratio, quamdiu intra iustos continetur limites, haudquaquam est damnanda, quinimo laudem meretur. Nam ad investigandam et perspiciendam veritatem data est nobis ratio, neque obiectum excellentius, aut utilius datur, circa quod ipsa vires suas exerceat, quam Religio divinitus revelata. Non minus solide, quam eleganter, hanc in rem scribit Cl. *Perrone* (2): « Ad eum modum, quo Deus admirandum huius universi, in quo versamur, spectaculum haud subiecit oculis nostris, ut stupidi illud, prout specie sese obtutui nostro offert, unice inspiciamus, sed etiam, imo potissime, ut per partes singulas illud rimemur, ordinem inquiramus, expendamus leges, relationes quas res omnes ad invicem habent intelligamus, deducamusque industria ac solertia in usum et commodum nostrum, ex iisque proinde Deum sapientissimum eius conditorem admiremur, atque laudemus; sic mundum, ut ita loquar, divinum ac supernaturalem, qui ex fide historica coalescit, nobis exhibuit, non ut eius tantummodo *obiectivitatem* credamus, eique unice inhaereamus, verum etiam ut intimius quoad eius per nos fieri potest, pro uniuscuiusque ingenii modulo, ac prout natura rei patitur, eum intelligentia nostra perscrutemur ac contemplemur, assurgamus ad altiora cognoscenda, nitamurque assequi quae ea sub cortice delitescunt. Hinc eadem ratione, qua ex penitiore huius universi cognitione longe augustiorem nobis de supremo Numine ideam comparamus, eadem ex penitiore, quam per tractationem scientificam adipiscimur, mundi supernaturalis notitia, sublimiorem de Deo eiusque religione cognitionem obtinemus. Fides proinde historica et obiectiva quoddam veluti vehiculum est, quo in eorum intelligentiam perducimur, quae prius sola fide tenebamus; germen est quod ulterioris semper evolutionis capax est; fons deni-

(1) Proleg. § 81.

(2) De locis theol. p. 3, sect. 1, c. 3, n. 206.

que est speculativae contemplationis, ex quo aquas haurire Theologi iugiter possunt ad scientificam suam tractationem magis elaborandam perficiendamque. » Idcirco iam Ss. Patres non solum dogmata fidei ex S. Scriptura et Traditione eruerunt ac probarunt, sed etiam eadem philosophicae ac scientificae investigationi subiecerunt, ex omni parte cum maxima assiduitate illa contemplarunt, et quantum valuerunt, rectam eorundem intelligentiam in se et in aliis promovere conati sunt. Hoc idem praestiterunt Theologi scholastici, qui Philosophia in usum Theologiae adscita de rebus fidei subtilissime disputarunt. Haud immerito igitur negligentia eorum reprehenditur, qui dogmata fidei perscrutari, et pleniorem eorundem intelligentiam sibi comparare praetermittunt. « Negligentiae mihi videtur, ait *S. Anselmus* (1), si, postquam confirmati sumus in fide, non studemus, quod credimus, intelligere. Cuius rei rationem affert *Origenes*, qui (2) ita disserit: Illud autem scire oportet, quoniam sancti Apostoli fidem Christi praedicantes de quibusdam quidem quaecunque necessaria crediderunt, omnibus etiam his, qui pigriores erga inquisitionem divinae scientiae videbantur, manifestissime tradiderunt rationem scilicet assertionis eorum relinquentes ab his inquirendam, qui spiritus dona excellentia mererentur, et praecipue sermonis, sapientiae et scientiae gratiam per ipsum Spiritum sanctum percepissent; de aliis vero dixerunt quidem *quia* sint, *quomodo* autem, et *unde* sint, siluerunt, profecto ut studiosiores quique e posteris suis, qui amatores essent sapientiae, exercitium habere possent, in quo ingenii sui fructum ostenderent hi videlicet, qui dignos se et capaces ad recipiendam veritatem praepararent. »

3. Ut speculativa dogmatum pertractatio recte procedat, celebre *S. Augustini* dictum: « Crede, ut intelligas, » perpetuo ante oculos habendum est. Doctrinae ergo revelatae firma fide inhaerendum est, ne ratio per speculationem in devia abripiatur. Dogmata enim declarare oportet; ea vero corrumpere aut immutare non licet. Neque enim agitur de veritate invenienda sed de inventa, seu per divinam revelationem cognita explicanda, et quantum fieri licet, ad intelligentiam evehenda. Theologus ergo, munus speculativum suscipiens, dogma revelatum tanquam immutabile fundamentum considerare, ab isto in omni sua inquisitione procedere, ad idem continuo respicere, ac solicite cavere debet, ne illud ad philosophicas suas ideas detorquere praesumat; generatim enim loquendo quodlibet rite ordinatum systema veritatibus accommodari debet, non autem veritates systemati accommodare licet. Cautelas istas pro speculativa dogmatum investigatione Ss. Patres praescribunt. Ita *S. Augustinus* (3) praeclare ostendit, dogmata revelata imprimis credenda esse, ut dein etiam eorum intelligentia obtineri possit, et inter alia scribit: « Rationabiliter dictum est per Prophetam Is. VII, 9 (ex graeca vers. 70): *nisi credideritis non intelligetis;* ubi procul dubio discrevit haec duo, deditque consilium, quo prius credamus, ut id, quod credimus, intelligere valeamus; » et cum dixisset, infidelem ad doctrinae revelatae intelligentiam pervenire non posse, postea subiungit: « Si autem iam fidelis rationem poscat ut quod

(1) L. cur Deus homo, c. 2.
(2) L. de princip. prael. n. 3.
(3) Epist. 120 ad Consentium, c. 1 et seq.

credit intelligat, capacitas eius intuenda est, ut secundum rationem redditam sumat fidei suae quantum potest, intelligentiam maiorem si plus capit, minorem si minus: dum tamen quousque ad plenitudinem cognitionis perfectionemque perveniat, ab itinere fidei non recedat.... Haec dixerim, ut fidem tuam ad amorem intelligentiae cohorter, ad quam ratio vera perducit, et cui fides animum praeparat. » — Notatu dignissima etiam sunt monita *Vincentii Lirin.* qui exponens verba Pauli: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidem promittentes circa fidem exciderunt* (1), ita disserit (2): « O tractator, o doctor! si te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina; esto spiritualis tabernaculi Beseleel (3), pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur: per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quae didicisti doce; ut cum dicas *nove*, non dicas *nova*. Sed forsitan dicit aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transversatur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, *in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.* Imitetur animarum religio rationem corporum; quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant permanent... Fas est etenim, ut prisca illa coelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur: sed nefas est, ut commutentur; nefas, ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem. Nam si semel admissa fuerit haec impiae fraudis licentia, horreo dicere quantum exscindendae atque abolendae Religionis periculum consequatur. »

4. Nimis magnifice de humanae rationis viribus sentiunt, qui putant hominem per ingenii culturam, et philosophicas investigationes eo usque pertingere posse, ut omnia Religionis revelatae dogmata intime perspiciat et penitus comprehendat; quo posito *mysteria* evanescerent, et ad ordinem veritatum rationalium, seu ad conceptus logicos vel metaphysicos revocarentur. Sed qui ita sentiunt, graviter aberrant. Nam Apostolus expresse dicit: *Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem* (i. e. in altera vita) *facie ad faciem* (4); ex quo (5) concludit, fidem in hac vita manere: quod confirmat dicens: *Per fidem enim ambulamus, et non per speciem* (6), quae loca expendens Cl. *Staudenmayr* (7), ipsemet fatetur, perfectam eorum, quae creduntur,

(1) I Tim. 6. (2) In Commonit. c. 22 et 23.
(3) Ex. 31, 2 etc. (4) I Cor. 13, 12.
(5) Ibid. v. 13. (6) 2 Cor. 5, 7.
(7) T. 1, § 9, l. c. p. 61.

cognitionem in hac vita obtineri non posse. Concedendum ergo omnino est, dari veritates, quarum subiectum quidem et praedicatum cognoscimus, utriusque nexum autem non perspicimus, sed de isto per solam revelationem certi reddimur (Cf. Th. gen. § 298). Dari talia mysteria, quae a limitata ratione comprehendi non possunt, unanimi consensu docuerunt Ss. Patres, quorum testimoniis iam alibi citatis sequentia addi possunt. S. *Augustinus* (1) loquens de praedestinatione et gratiarum distributione, citatum caput terminat exclamans: « *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit* (2)? —Aut *tu qui es homo, qui respondeas Deo* (3)? Numquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est? numquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit, non possumus invenire? — » *Lactantius* (4) inquit: « Veritas, id est, arcanum summi Dei, qui fecit omnia, ingenio, ac propriis sensibus non potest comprehendi; alioquin nihil inter Deum hominemque distaret, si consilia et dispositiones illius maiestatis aeternae cogitatio assequeretur humana. Quod quia fieri non potuit... Deus notionem veritatis munus suum fecit, ut et sapientiam humanam nullam esse monstraret, et erranti ac vago viam consequendae immortalitatis ostenderet. » Ipsemet Vincentius Lir. distinguit veritates revelatas, quae comprehendi, et alias quae non comprehendi possunt, et ideo (5) hanc regulam praescribit: « Ex toto Ecclesiae dogmate quod intellectu capi potest capiant, quod non potest, credant. » S. *Bernardus* (6) de *Abaelardo* mysteria fidei per rationem explicare contendente, dicit: « Dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quae sunt supra rationem, et contra rationem praesumit et contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quam rationem conari transcendere? et quid magis contra fidem, quam credere nolle, quidquid non possis ratione attingere? » S. *Thomas* (7) ita disserit: « Humana ratio ad cognoscendam fidei veritatem, quae solum videntibus divinam substantiam potest esse notissima, ita se habet, quod ad eam potest aliquis veras similitudines colligere: quae tamen non sufficiunt ad hoc, quod praedicta veritas quasi *demonstrative*, vel per se intellecta *comprehendatur*. Utile tamen est, ut in huiusmodi rationibus quantumcunque debilibus se mens humana exerceat, dummodo desit comprehendendi, vel demonstrandi praesumptio, quia de rebus altissimis etiam parva et debili consideratione aliquid posse inspicere iucundissimum est. » Hoc idem docet (8), ubi sibi obiicit: « Ad ea, quae sunt fidei, a sacris auctoribus rationes inducuntur: ergo ea, quae sunt fidei, possunt esse scita: » atque respondet: « Ad secundum dicendum, quod rationes quae inducuntur a sanctis ad probandum ea, quae sunt fidei, non sunt demonstrativae, sed persuasiones quaedam manifestantes non esse impossibile quod in fide proponitur: vel procedunt ex principiis fidei, scilicet ex auctoritatibus sacrae Scripturae, sicut dicit *Dionysius* (9). Ex his autem principiis probatur aliquid apud fideles, sicut etiam ex principiis naturaliter notis probatur ali-

(1) L. de dono perseverantiae, c. 14.
(2) Rom. 11, 34. (3) Rom. 9, 20.
(4) L. 1 instit. c. 1. (5) In fine cap. 20.
(6) Epist 190 ad Innocent. P. c. 1.
(7) C. Gentes l. 1, c. 8.
(8) 2 2, q. 1, a. 5. (9) De div. nom. c. 2.

quid apud omnes. » Iuxta haec Ss. Doctorum effata, fides continet vera mysteria, seu veritates quae rationis captum transcendunt. Tales veritates plene ac perfecte comprehendi nequeunt, et ideo tantum illas modeste per rationem investigare et perscrutari licet, ut magis accurata, quanta nimirum haberi potest, illarum cognitio acquiratur, ut ipsae saltem aliquo modo rationi nostrae attemperentur, et praecipue ut contra adversarios efficacius ostendi possit, mysteria non esse contra rationem, quamvis semper concedendum sit, ea esse supra rationem. Rectissime igitur Cl. *Schwetz* (1) monet: « Quapropter speculatio humilitatis sensum comitem nunquam non habeat, quae radix ac fons uti omnis virtutis, ita etiam fidei est, simulque nos ab insolentia illa tuetur, qua autumamus, omnes hucusque in tenebris inscitiae sedisse, atque nobis tandem tam felicibus esse contigisse, qui verum lumen scientiae orbe caecutienti afferamus (2). »

Nota. Quicunque in speculativa dogmatum investigatione indigitatas cautelas observare recusarunt, in devia misere abrepti sunt. Ita *Gnostici* et alii haeretici aberrarunt, qui non tam doctrinam christianam explicare, quam potius eam suis praeconceptis opinionibus accommodare, vel etiam ipsi Philosophorum placita substituere ausi sunt. Ita etiam *Abaelardus* a recta via discessit, qui non immerito ceu rationalismi theologici parens habetur. Ita denique nostris temporibus multi hallucinati sunt, qui per philosophicam dogmatum investigationem doctrinam revelatam non illustrarunt, sed corruperunt, aut obscurarunt. Sic e. g. Fr. *Baader* ex speculatione sua scientifica, mysticismo nescio cui admixta, adeo progressus est longe, ut fidei doctrinam laeserit, atque omnes rectos catholicos a se averterit. Alii, qui se intimos ipsos mysteriorum recessus penetrare iactitant, tales de his iuxta novissimae Philosophiae principia explicationes proponunt, quae novis explicationibus indigent, et difficultates non minuunt, sed augent. Longe praestantiora sunt ea, quae ad mysteria aliquo modo declaranda, et humanae rationi attemperanda *S. Augustinus*, *S. Thomas*, et alii celeberrimi Theologi scripserunt. Recte itaque Cl. *Dieringer* (3) monet, etiam in praefata explicatione lineam Traditionis non deserendam, sed ea via, quam Veteres monstrarunt, progrediendum esse.

(1) Theol. dogm. Isag. § 3.
(2) Cf. Dieringer Dogm. § 7.
(3) L. c. n. 4.

IV. *De dogmatibus per idonea argumenta comprobandis.*

§ 14. Dogma comprobare nil aliud est, quam ostendere veritatem in dogmate enuntiatam vere a Deo revelatam esse. Argumenta igitur pro dogmate ex ipsis divinae Revelationis fontibus, scilicet ex S. Scriptura et ex Traditione, seu ex universali et constanti Ecclesiae fide petenda sunt. Duplicis autem generis dogmata dantur, *pura*, et *mixta* (§ 6, n. 2). Illa ex sola revelatione probari possunt; pro his autem etiam humana ratio argumenta suppeditat. Quamobrem in Theologia dogmatica triplicis generis argumenta adhibentur, *biblica*, *ecclesiastica*, et *philosophica*, de quibus singulis quaedam notanda sunt.

1. Argumenta ad dogmata probanda recte petuntur ex omnibus sacris tum veteris, tum novi Testamenti libris, qui ab Ecclesia tanquam canonici, seu divinitus inspirati declarati

sunt, quoniam in his omnibus divina Revelatio continetur. Convenit autem, prout adserit Cl. *Dieringer* (1), ut Theologus dogmaticus loca biblica iuxta Vulgatam adleget, quam versionem Ecclesia ut authenticam declaravit (2): licite tamen, imo etiam hincinde utiliter textum originalem consulere potest, ut vel locum obscuriorem facilius explanet, vel argumentum contra adversarios defendat, dummodo in rebus fidei et morum Vulgatam de errore arguere non praesumat. Textus autem biblicus, qui ut argumentum adducitur, nisi dogma probandum iisdem fere verbis, aut idem sonantibus exprimat, iuxta hermeneuticas regulas, et praecipue iuxta ecclesiasticae traditionis lineam explanandus, et perspicuo ostendendendum est, quomodo ex illo solida argumentatio inferatur. Quamvis porro etiam unicus Scripturae locus infallibilis sit auctoritatis, et ad probandum dogma sufficiat, cum tamen Deus multas magni momenti veritates nobis repetitis vicibus in Ss. Libris proponere dignatus sit; congruum omnino est, ut etiam pro eodem dogmate plures, si habentur, textus adducantur, tum quia saepe unus locus alteri lucem affundit, tum quia hincinde eadem doctrina in variis locis sub vario aspectu proponitur, et perfectior illius cognitio obtinetur, tum quia iam ita mens hominis comparata esse solet, ut per maiorem consonantium sibi testimoniorum numerum efficacius ad firmam persuasionem perducatur.

2. Argumentum ex Traditione desumitur, dum commonstratur, dogma, de quo agitur, semper, ubique, et ab omnibus in Ecclesia catholica creditum esse (Th. gen. § 201). Universalis, et constans haec traditio praecipue ex Ss. Patrum scriptis ostendi potest. Ut autem solidum ex ipsis argumentum petatur, omnino opus est, ut eorum testimonia ex operibus genuinis hauriantur, et ut appareat, ipsos in illis non ut doctores privatos sententiam suam manifestare, sed ut testes doctrinae revelatae et ab Ecclesia ad credendum propositae loqui: neque sufficit unum, aut alterum Patrem citasse, sed plures ex variis locis et temporibus adducere oportet, ut moralis eorum consensio patefiat (ib. § 198, n. 3). — Ad Traditionem ostendendam magni etiam momenti sunt *Symbola*, in quibus fidelibus, quid credendum et profitendum sit, ab Ecclesia proponitur. Huc praeterea referuntur *libri symbolici*, *rituales*, *sacramentales* publica auctoritate Ecclesiarum editi (ib. 199). Denique ad dogmata probanda summi momenti sunt definitiones *Conciliorum generalium*, quae sunt infallibilis auctoritatis (ib. § 226): rectissime etiam adlegantur decreta *Conciliorum particularium*, quae ex se quidem infallibilia non sunt, sed talia fiunt, si a Romano Pontifice approbentur, et ab universa Ecclesia acceptentur (ib. § 231).

3. Si de dogmatibus mixtis agitur, probationibus ex revelatione petitis recte etiam adiunguntur *argumenta rationalia*, seu *philosophica*, tum ut harmonia revelationis et rationis ostendatur, tum ut intima animi persuasio magis magisque promoveatur. Si autem de dogmatibus puris, seu de mysteriis agitur, argumenta demonstrativa peti nequeunt ex ratione; sed haec tamen hincinde per congruas reflexiones dogmatis revelati convenientiam, dignitatem et utilitatem ostendere valet.

Nota 1. Circa modum, quo dogmata revelata probanda sunt, gravissime

(1) § 4, n. 1. (2) V. Conc. Trid. sess. 4.

aberravit *G. Hermes*. Hic etenim iam in sua Introductione philosophica tanquam primarium principium statuit, de quacunque veritate imprimis serium ac positivum dubium habendum esse, ut postea per analyticam rei investigationem certa eiusdem cognitio acquiratur. Dubium hoc ab ipsomet ad quamcunque veritatem etiam primitivam, etiam evidentissimam sive facti, sive rationis, ergo etiam ad principium contradictionis, imo ad ipsam quoque existentiam ac realitatem nostri *Ego* extendit, ita ut ne celebre quidem principium « Cogito, ergo sum » tanquam certum admittat. Hoc idem dubium Hermesius commendat, dum de certa dogmatum christianorum cognitione acquirenda agitur. Nam in sua Methodologia praemissa ad P. I Dogmaticae suae praescribit: 1° quodvis dogma *ut problema* spectandum esse; 2° quaeritur circa illud, quid habeant Theologiae fontes; 3° circa sensum cuiusque loci instituantur grammaticae, criticae, philosophicae inquisitiones etc. Hoc praestito, omnia praefato modo inquisita debent simul conferri, et considerandum est, num se mutuo fulciant. Quibus praemissis, ita prosequitur: « Ac tunc demum debet interrogari ratio, quid ipsa post hoc omne exigat, ut admittatur tanquam doctrina Iesu. Ista est doctrina unica historice vera. Si ratio *non exigit quidquam admittere* ut doctrinam Iesu historice veram, tunc doctrina problematice ab initio proposita... cadit per se veluti aliquid de quo Revelatio nil decernit, extra theologiam specialem Christ. Catholicam... Postea vero si *doctrina Iesu* historice certa sit, quaeritur de eius *interna* veritate... sed eatenus, quatenus aliis certis cognitionibus rationis contradicat, nec ne (1). » Hanc theoriam Hermesius in decursu Theologiae suae dogmaticae applicat, dogmata per omnes dubii ambages transvehit, ex omni parte ventilat ac perscrutatur, et iuxta philosophiae sua placita explicare et probare conatur, ex quo fit, ut hincinde talia proponat, quae fidei catholicae adversantur. —Facile autem ostenditur, quam falsum, insulsum, meritoque repudiandum sit totum Hermes systema. Nam *a*) dubium universale, de quolibet veritate excitandum putidum redolet scepticismum, qui a Philosophis et Theologis iam satis superque confutatus est. Ex universali profecto hominum persuasione constat, certas cognitiones tum ex testimonio sensuum, tum ex auctoritate, tum ex ratione, cum ipsa veritas lucet, haberi; quapropter recte *S. Thomas* (2) dicit: « Nullus potest cogitare, veritatem non esse: » et (3): « Ea quae naturaliter rationi sunt insita, verissima esse constat in tantum, ut nec, ea esse falsa, sit possibile cogitare. » Ei autem, qui de veritatibus evidentibus, de quibus omnibus hominibus firmissima persuasio inest, se dubitare profitetur, recte cum *Io. Duns Scoto* (4) reponitur: « Si quis proterve neget, illos actus inesse homini, non est cum eo ulterius disputandum, sicut nec cum dicente: non video colorem; sed illi dicendum: tu indiges sensu, quia caecus es. Ita quia quodam sensu interiori experimur istos actus in nobis, si istos neget, dicendum est, eum non esse hominem, quia non habet illam visionem interiorem, quam alii experiuntur se habere. » *b*) Sicut domus fundamento, ita quaelibet philosophica conclusio certis principiis inniti debet. Ast si de omnibus principiis, de iis, quae

(1) V. p. 135. (2) De Verit. q. 10, a. 12.

(3) C. Gent. l. 1, c. 7.
(4) In l. 4 sent., dist. 43, c. 2.

dictat sensus intimus, imo et de existentia et realitate obiectiva proprii *Ego* dubitandum est, qualis habebitur secura basis, ex quo philosophica inquisitio procedat, et ad veritatis cognitionem perducat? — Sibimetipsi contradicit Hermesius, dum principium certum, nulli dubio subiectum, et nulla argumentatione egens, non admittit, et tamen ex analyticis investigationibus conclusiones certas pollicetur. Recte Cl. *Perrone* (1) observat: « Quisquis totum Hermesii processum rimetur, videbit eum in perpetuo circulo versari, dum nunc testimonium immediatum conscientiae *problematice* sumit ut *ambiguum*, vel *gratuitum*, nunc *sceptice*, ut *fallax*, nunc *dogmatice*, ut *irrevocabile* et *infallibile*. » *c*) Aliis quoque contradictionibus scatet Hermesii doctrina. Nam (2) asserit, nullam contradictionem inter rationem et Christianismum commonstrari posse, et (3) ait, doctrinam christianam, « quae ex sola revelatione cognoscitur, » non posse per Philosophiam cum humana ratione conciliari, imo hoc impossibile et irrationale esse. Contradictorium autem est, ut observat Cl. *Staudenmayr* (4), ex una parte dicere, revelationem nil rationi contrarii continere, et ex altera propugnare, reconciliationem inter revelationem et rationem impossibilem esse. Porro Hermesius (5) negat, Dogmaticam veram scientiam esse, et (6) in Dogmatica scientificam, systematicam et philosophicam tractationem exigit. Reiecta autem Philosophia veteri, *novam* commendat, per quam nonnisi *suam* intelligit, putans, iuxta hanc solam omnia inquirenda, discutienda et commensuranda esse, ita ut non multum distare videatur a systemate Socinianorum: unde quae contra istos (Th. gen. § 220) et contra Rationalistas (ib. § 301) dicta sunt, ipsi quoque opponi possunt (7). *d*) Repudiandus penitus est modus, quem Hermesius in veritatum revelatarum inquisitione praescribit. Ipse enim exigit veluti *necessariam* animi praeparationem ad fidei veritatem inveniendam, ut animus etiam in homine iam fideli, saltem theologo, in omnimoda *indifferentia seria* ac *positiva* se ponat circa quodvis systema religiosum, licet *catholicum* sit, ut solum rationis ductum sequatur, quocunque demum haec ratio illum ductura sit: ergo dubium *positivum* ac *reale* de fide iam suscepta etiam catholica praescribit. Id abunde patet ex ipsius Methodologia praemissa Introductioni suae positivae: neque vero in altera Methodologia praemissa Dogmaticae speciali id retractat, sed potius suadet, unam eandemque methodum iam prius statutam debere etiam toti Dogmaticae aptari, ut fides in dogmatibus singulis *rationalis* sit (8). Quid autem rationi magis contrarium est, quam dubium illi praescribere, qui veritatem feliciter invenit, et inventae firma animi persuasione inhaeret? — Maxime iniquum illud est, si agitur de fide, quae est donum Dei (9), et in qua ipse animi assensus per gratiam divinam excitatur et firmatur: quapropter serium et voluntarium dubium in fide recte a Theologis peccatis infidelitatis adnumeratur. « Esto, ait Cl. *Perrone*(10), quod dubium initio *hypotheticum* tantum sit; sed *positivum* et *reale* facili progressu evadit. Quippe animus (si systema hermesianum sequatur), assuescit per-

(1) L. c. p. 3, sect. 1, c. 1, § 3, n. 167

(2) In sua dogm. p. 109.

(3) Ibidem. (4) Dogm. t. 1, § 11, l. d., p. 153, nota 3. (5) Ib. p. 104. (6) P. 107.

(7) Cf. Staudenmayr l. c., lit. e, p. 155 in nota.

(8) Cf. Dogm. § 30, p. 99.

(9) Phil. 1, 29.

(10) L. c. sect. 2, c. 2, n. 349.

suasionem in fidei veritatibus suspensam habere, propriis viribus unice fidere, auctoritatem omnem graviorum theologorum contemnere, novas conceptibus iam firmis ratisque ideas adnectere, Ecclesiae ipsius magisterium sin minus despicere, saltem ad sua cuiusque placita accommodare, atque ita revera rationem in rebus fidei non veluti universale quoddam instrumentum, sed veluti unicum medium ac principem normam habere. » Facile autem patet, quam absonum et perniciosum sit, praedictum systema in Theologia dogmatica speciali adhibere, in qua agitur de veritatibus revelatis hauriendis, explicandis et probandis ex ipsis Revelationis fontibus, quorum authenticus interpres non iam humana ratio, sed infallibile Ecclesiae magisterium est, praecipue cum inter veritates revelatas etiam mysteria dentur. *c*) Sapientissime ergo et iustissime doctrina Hermesii damnata est a *Gregorio XVI* qui, in decreto 26 sept. 1835 edito, praecipuos Hermesii errores his verbis indicat: « Magistri existunt erroris, quia veritatis discipuli non fuerunt. Peregrinis quippe improbandisque doctrinis sacra ipsi inficiunt studia, et publicum etiam, si quod tenent in scholis et academiis docendi magisterium profanare non dubitant, ipsumque, quod tueri se iactant, sacratissimum adulterare dignoscuntur fidei depositum. Atque inter huiusmodi erroris magistros, ex constanti et fere communi per Germaniam fama adnumeratur *Georgius Hermes*, utpote qui audacter a regio, quem universa Traditio et Ss. Patres in exponendis ac vindicandis fidei veritatibus stravere, tramite deflectens, quin et superbe contemnens et damnans, tenebrosam ad errorem omnigenum viam moliatur in *Dubio positivo tanquam basi omnis theologicae inquisitionis*, et in principio, quod statuit, *rationem*, *principem normam*, ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem. »

Nota 2. Nonnulli putant, argumenta rationalia, seu philosophica ideo in Theologia dogmatica adhibenda non esse, quia dogmata intellecta et probata per rationem obiecta fidei esse desinerent, seu quia fides per scientiam aut tolleretur, aut saltem valde debilitaretur. Nam, aiunt, iuxta Apostolum *fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (1). Obiectum ergo fidei obscurum et inevidens sit oportet. Ideo *S. Ambrosius* (2) inquit: « Aufer argumenta, ubi fides quaeritur. » *S. Augustinus* (3) ait: « Quid est fides, nisi credere, quod non vides? » *S. Gregorius M.* (4) de S. Thoma loquens dicit: « Fides illarum rerum argumentum est, quae apparere non possunt. Quae etenim apparent, iam fidem non habent, sed agnitionem. » *S. Thomas* (5) ex citatis Pauli verbis infert, quod « imperfectio cognitionis est de ratione fidei. Unde manifestum est, quod fides non potest esse perfecta cognitio, eodem numero manens; » et (6) de hac quaestione ex professo agens ait: « Omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota et per consequens visa, et ideo oportet quaecunque sunt scita, aliquo modo esse visa. Non autem est possibile, quod idem ab eodem sit visum et creditum. Potest tamen contingere, ut id, quod est visum, vel scitum ab uno, sit creditum ab alio. » Ex his conclu-

(1) Hebr. 11, 1. (2) L. 1 de fide.
(3) Tract. 40 in Io. n. 9.
(4) Hom. 26 in Evang.

(5) 1 2, q. 67, art. 3 0.
(6) 2 2, q. 1, art. 5 0.

dunt, a fine Theologiae dogmaticae, quae fidem stabilire debet, argumenta rationalia penitus abhorrere.— Ast horum sententia penitus est reiicienda. Nam: *a*) Deus per supernaturalem Revelationem, quam benignissime concessit, usum rationis neque sustulit, neque interdixit (v. Th. gen. § 297). Quapropter ratio veritates ordinis naturalis, quas divina clementia patefacere dignata est, ut homines in earundem cognitionem facilius, tutiusque pervenirent (ib. § 56 et seq.), etiam post factam revelationem indagare, intelligere et probare potest. Ideo ipsi Ss. Patres, praecipue *S. Thomas*, et Theologi scholastici veritates revelatas rationalibus seu philosophicis quoque argumentis demonstrare consueverunt. *b*) Neque veritates revelatae, si ex ratione probatae fuerint, fidei obiecta esse cessant; nam idem homo, qui illas ex principiis rationalibus cognoscit, alio actu easdem ut certissimas habere potest propter Dei revelantis auctoritatem, atque ita vere fidem exercet, quae essentialiter non est nisi firmus assensus Deo revelanti praestitus. Aut cur talis actum fidei elicere dicendus non erit, cum omnes admittant, homines in operationibus, ad quas per ipsam naturam impelluntur, quas autem alio actu ad Deum referunt, et propter Deum suscipiunt, virtutum actus meritorios exercere? — *c*) Si per scientiam fides tolleretur, aut valde debilitaretur, sequeretur, hominem, quo doctior evadit, eo magis de fide amittere, cum tamen ab experientia contrarium constet. Nam Ss. Doctores Ecclesiae sicuti scientia, ita et fide excellucrunt. *d*) Ecclesia non solum indoctis, sed etiam doctis Symbolum praescribit, in quo haec fit professio: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae*, quamvis docti ex ratione probent et intelligant, Deum existere, omnipotentem esse, cunctaque creasse. Similiter Paulus, etsi Rom. I, 19 profiteatur, Deum per solam rationem ex creaturarum consideratione cognosci, tamen Hebr. XI, 6, dicit: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Versiculo autem primo Paulus de fide generatim loquitur, in qua absque dubio veritates continentur, quarum argumenta non apparent, scilicet mysteria, atque idcirco Apostolus talem fidei virtutem exigit, qua homo paratus sit omnia credere, etiam quae rationis captum excedunt: exinde autem non potest inferri, huius naturae omnes fidei veritates esse. *e*) Si dicitur, ea, quae creduntur, etiam sciri posse, non agitur de visione, seu cognitione *intuitiva*, sed de visione, seu cognitione *abstractiva*, qualis per scientiam, seu per discursum rationis obtinetur, quaeque proinde capax est firmioris certitudinis, aut saltem firmioris adhaesionis intellectus, imperatae a voluntate ob Dei auctoritatem, quam habeat adhaesio illa, qua intellectus et voluntas in obiecto conquiescunt per solam cognitionem quae acquiritur per scientiam. His accedit, quod licet principia, cui argumentatio innititur, per se nota et evidentia sint, non tamen idem semper de conclusionibus, quae ex iisdem principiis longa saltem deductione trahuntur, dici possit; quapropter cum in istis, plerumque saltem, non eadem evidentia sicut in principiis affulgeat, etiam docti illas certius ex revelatione, quam ex ratione cognoscunt, et Deo potius quam suae rationi credunt. *f*) Sicut in caeteris virtutibus, ita et in virtute fidei varii gradus distingui possunt. Concedendum omni-

no est, perfectiorem fidei gradum in eo consistere ut homo ob solam Dei revelantis auctoritatem ea quoque credat, quae rationis captum excedunt; ast ideo inferior fidei gradus illi denegandus non est, qui ob auctoritatem Dei revelantis ea credit, quae etiam per rationem suam vera esse cognoscit. Certum autem est, quemlibet Christianum ad praefatum quoque perfectiorem gradum obligari; et hanc obligationem Ss. Patres inculcant, dum dicunt, non quaerenda esse argumenta, credendum esse, quod non videtur, et similia; loquuntur enim, ut ex contextu patet, de mysteriis, quae a ratione comprehendi non possunt. *g*) *S. Thomas* equidem satis clare asserit, obiectum fidei neque visum, neque scitum esse posse (1), et hoc idem, sibi semper constans, saepius repetit: quare hoc idem etiam ab eius discipulis defenditur, qui docent, obscuritatem non pertinere quidem ad rationem formalem fidei, sed tamen esse conditionem sine qua non (2). Hanc Thomistarum sententiam acriter perstringit *L'Herminier* (3), asseritque, hac in re a sententia S. Thomae recedendum esse. — Ast gravissimi Theologi contendunt, *S. Thomam* sententiae nostrae non adversari, quia dum dicit, idem non posse simul esse visum, seu scitum et creditum, loquitur de visione et cognitione intuitiva, quae competit Beatis, in quibus iuxta omnes fides desiuit. Ideo, ut ostendat, Angelos et homines ante lapsum habuisse fidem (4), dicit: « Illa sola manifestatio excludit fidei rationem, per quam creditur apparens, vel visum id, de quo principaliter est fides. Principale autem obiectum fidei est veritas prima, cuius visio beatos facit, et fidei succedit. Cum ergo Angelus ante confirmationem, et homo ante peccatum non habuerit illam beatitudinem, qua Deus per essentiam videtur, manifestum est, quod non habuit sic manifestam cognitionem, qua excluderetur ratio fidei. » Et (5) dicit: « Potest dici, quod contemplatio, quae tollit rationem fidei, est contemplatio patriae, quae supernaturalis veritas per essentiam videtur » (6).

(1) 2 2, q. 1, art. 1 et 5.
(2) Cf. Billuart de fide, diss. 1, a. 4.
(3) T. 1, p. 61 ed. ven.
(4) 2 2, q. 5, a. 1. (5) Ibid. ad 1.
(6) Cf. Cl. Perrone de loc. theol. p. 3, sect. 1, c. 2, a. 1, prop. 4.

V. *De usu practico ex dogmatibus eruendo.*

§ 15. 1. Deus, qui in concedenda hominibus Revelatione infinitam suam Sapientiam, Sanctitatem et Bonitatem clarissime manifestavit, plurimas etiam theoreticas veritates patefecit, non ut humana tantum curiositas satietur, sed ut per illas quoque finis hominis promoveatur, nempe ut homo, veritates istas cognoscens et credens, moralitatem perfectam sectetur, ac per hanc felicitatem veram et perdurantem consequatur (v. Th. gen. § 41). Non sufficit ergo, dogmata nosse et credere, sed necesse est, ut actiones quoque illis conformentur. Nam ait S. Iacobus: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum* (7)? et: *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est* (8). Idem Apostolus testatur, scientiam et fidem, quae mores non corrigit et virtutes non producit, obesse potius, quam prodesse; nam ait: *Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi* (9); quae verba exponens *S. Bernardus* (10), inquit: « *Scienti bonum, et non facienti, peccatum est ei;* ac si per similitudi-

(7) Ep. c. 2, v. 14.
(8) V. 26. (9) C. 4, v. 17.
(10) Serm. 36 super Cantica.

nem dicat: Sumenti cibum, et non digerenti, perniciosum est ei. Cibus siquidem indigestus, et qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, et corrumpit corpus et non nutrit. Ita et multa scientia ingesta stomacho animae, quae est memoria, si decocta igne caritatis non fuerit, et sic per quosdam artus animae mores scilicet, atque actus transfusa atque digesta', quatenus ipsa de bonis quae noverit vita attestante, et moribus bona efficiatur: nonne illa scientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conversus in pravos noxiosque humores? » — Quae cum ita sint, cuique Christiano maxime adlaborandum est, ut non sterilem ac inefficacem veritatum revelatarum scientiam, sed fidem habeat, *quae per caritatem operatur* (1). Ad talem fidem promovendam etiam Theologia dogmatica tendere debet. Haud equidem in ista longae tractationes morales, quae ad Theologiam practicam pertinent, suscipiendae sunt; sed tamen fini institutionum theologicarum maxime consentaneum ac perutile est, ut dum dogmata explicata et probata fuerint, breviter etiam indigitetur, qua ratione veritates theoreticae cum practicis connectantur, quaenam ex relationibus cognitis officia sequantur, quomodo fides opere exercenda sit, seu quales doctrinas practicas ex dogmatibus eruere oporteat.

2. Institutiones dogmaticae id quoque praestent necesse est, ut cultores suos, quos coelestibus doctrinis imbuant, futuros animarum pastores idoneos expeditosque reddant ad eadem salutaris doctrinae capita aliis cum dignitate, apteque instillanda. In hunc finem iam declarata Theologiae dogmaticae munera diriguntur. Attamen haud supervacaneum, sed valde proficuum est, ut hinc inde saltem indigitetur, quaenam praecipue dogmata in publicis institutionibus diligenter et frequenter proponenda, qualia argumenta rudiorum capacitati accommodata, quales erronei circa veritates fidei conceptus in populo aut praecavendi, aut corrigendi sint, et quasnam, qui publice docent, cautelas circa nonnullas sententias, seu opiniones theologicas observare debeant. Ita Theologia dogmatica etiam studio pastorali inservit, cuius quoquo fundamenta ponit.

(1) Gal. 5, 6. (2) 1 Cor. 11, 19.

ARTICULUS II.
Officia Theologiae polemicae.

§ 16. Sicuti Theologia dogmatica veritates revelatas explicat et probat, ita Theologia polemica easdem contra adversarios defendit, atque errores Religioni oppositos refellit. Huius igitur disciplinae officia sunt, errores Religioni oppositos *accurate cognoscere*, *eosdem solide confutare*, atque in isto negotio *cum tali prudentia et charitate* procedere, ut gloria Dei et salus animarum promoveantur.

I. *De erroribus Religioni oppositis accurate cognoscendis.*

§ 17. 1. Quod Apostolus praedixit, *oportet et haereses esse* (2), quovis tempore verificatum fuit. Superbia enim mentis et multo magis corruptio cordis saepissime efficit, ut homines a via veritatis recedentes *Spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum* (3) attendant. Ideo *S. Augustinus* (4) scribit: « Ex ipso animali sensu, quia homo animalis non percipit, quae sunt spiritus Dei, omnes dissensiones et schismata generantur. » Ex hac lugubri causa factum est, ut vix catholicum dogma inveniatur, quod non

(3) 1 Tim. 4, 1.
(4) L. 1 de bapt. c. Donat. c. 15 (23).

a quibusdam impugnatum fuerit, aut etiamnum inpugnetur. Istae mentis humanae aberrationes investigandae et describendae sunt in Theologia polemica, cuius munus est, quod iam etymon vocis indicat, dogmatum catholicorum adversarios *debellare*. Dimicat autem Andabatarum more, et sine fructu, qui descendit in arenam, quin videat aut cognoscat, quocum manus conferat. Cognoscendi ergo sunt imprimis illi, qui doctrinae orthodoxae adversantur. Recte igitur, quoniam Theologia polemica cum dogmatica coniunctim tradenda est (Th. gen. § 13, n.), cum dogma explicatum et probatum fuerit, recenseantur praecipui saltem adversarii, qui illud ex toto, aut ex parte negarunt.

2. Errores Religioni oppositi vel olim quidem propugnati, nunc autem penitus obsoleti sunt, vel sicut antiquitus, ita nostris quoque temporibus fautores et propugnatores habent, vel veteribus ignoti a recentioribus propalari et defendi coeperunt. Neque dubitari potest, aciem polemicam praesertim contra adversarios etiamnum existentes, et veritatem actu impugnantes dirigendam esse. Nullatenus tamen primi generis errores silentio penitus praeteriri possunt, quorum notitia non solum ad requisitam in Theologo eruditionem pertinet, sed etiam persaepe ad intelligenda scripta Ss. Patrum et decreta Conciliorum contra illos directa, prorsus necessaria est. His accedit, quod saepe errores, qui iam emortui putantur, repullulent, aut sub alia tantum forma a recentioribus heterodoxis reproducantur.

3. Errores aut a privatis solum hominibus propugnantur, aut integro cuidam coetui proprii sunt. Privatorum hominum errores ex ipsorum verbis et scriptis cognoscuntur. Cavendum autem est, ne error unius integro coetui, ad quem ille externe saltem pertinet, adscribatur. Saepe enim - praesertim inter Protestantes - contingit, ut ab horum scriptoribus sententiae propugnentur, a totius sectae fide penitus abhorrentes. — Charitati ergo repugnat, errorem unius toti coetui imputare. Huiusce errores ex publicis fidei professionibus, ex symbolicis cuiusvis sectae libris, et ex auctoribus inter suos claris ac praecipuis colligendi sunt. Quod Protestantes attinet, egregium opus elucubravit Cl. *Mohler*, nempe *Symbolicam*, in qua variarum sectarum protestantium errores ex indigitatis fontibus invicte monstravit. Hoc idem etiam praestitit Cl. *Buchmann* in sua *Symbolica populari*.

4. Ad accuratam erroris cognitionem requiritur, ut ea, quae adversarius admittit, sedulo secernantur ab iis, in quibus dissentit. In hac discussione tamdiu procedendum est, donec perveniatur ad duas propositiones contradictorias, quarum una negat, quod altera affirmat. Ita iuxta regulas logicas *quaestionis status determinatur*, quod in qualibet disputatione, quae suscipitur, maxime necessarium est, ne inanes ictus in adversarium vibrentur, aut tota controversia in meram logomachiam degeneret.

II. *De erroribus solide confutandis.*

§ 18. 1. Praecipuum Theologiae polemicae munus est, *adversariorum obiectiones diluere*, et *errores confutare*. Heterodoxi enim quovis tempore veritatem, a qua recesserunt, impugnare; errores autem, quos amplexi sunt, defendere studuerunt. Hac de causa tela sua contra argumenta dirigunt, quibus veritates revelatas probamus, eaque penitus e-

nervare conantur. Theologi autem polemici est, motas huiusmodi difficultates solvere, seu obiectiones diluere et clare ostendere argumenta pro dogmatibus allata firma esse et inconcussa. — Maxime autem veritates rationis captum excedentes, seu mysteria impugnari solent; his enim repugnantias metaphysicas, physicas aut morales inesse, Increduli, Sociniani et Rationalistae ostendere conantur, ut vel illis fidem negare, vel totam Religionem revelatam tanquam rectae rationi repugnantem destruere possint. Summi igitur momenti est, ut fallaces huiuscemodi obiectiones in Theologia polemica diluantur, apparentes repugnantiae, seu contradictiones e medio tollantur, et clare ostendatur, mysteria esse quidem *supra rationem*, nullatenus autem *contra rationem*. Denique heterodoxi ad defendendos suos errores varia congerunt argumenta. Abutuntur hunc in finem S. Scripturae verbis, quae iuxta genium suum interpretantur, et quandoque historicis et philosophicis argumentis causam suam sustinere tentant. Inania haec adversariorum conamina a Theologo polemico retundenda sunt: ostendendum nempe est, iuxta rectae interpretationis leges S. Scripturae verba ipsorum erroribus nequaquam patrocinari, et falsas esse conclusiones, quas ex illis inferre praesumunt: eodemque modo commonstrandum est, infirma et inania esse argumenta, quae ex historia, aut ex ratione ab ipsis deducuntur.

2. Summi momenti est, ut *clare et solide* tum obiectiones diluantur, tum errores refellantur: hac enim confutatione deficiente, non solum heterodoxi de veritate non convincuntur, sed etiam orthodoxi facillime in dubia pertrahuntur. Nulli ergo labori parcendum est, ut difficultates, quae proponuntur, penitus solvantur, et dubiis locus non relinquatur. Hunc in finem multi maxime commendant *formam syllogisticam*, seu *methodum scholasticam*, in qua ex adversariorum propositionibus vel ambae negantur, vel una conceditur, et altera negatur, vel posita distinctione ex parte conceditur, et ex parte negatur, ita ut sufficiens ad obiectionem responsio, et motae difficultatis solutio inde eruatur. Negari non potest, praefatam methodum praecipue in disputationibus publicis magna commoda praebere, et per illam vel maxime praecaveri, ne disceptantes a fixo scopo deflectant, ac mutato praeteritove controversiae statu ad res alienas, minutias incidentes, et logomachias inanes divergant. Iusto autem magnificentius de hac methodo sentiunt, qui eam in Theologia polemica necessario adhibendam esse existimant. Constat enim Ss. Patres, et praesertim *S. Athanasium*, *S. Augustinum*, *S. Hieronymum*, *S. Thomam* etc. sine praedicta methodo optime et efficacissime tum veritates revelatas defendisse, tum heterodoxos confutasse. Certe ergo etiam alii modi dantur, contra adversarios feliciter pugnandi. Caeterum, cum de polemica forma, seu methodo agitur, illam profecto seligere praestat, quae tum ipsi materiae, tum circumstantiis personarum, locorum et temporum maxime accommodata censetur. Quaecunque autem methodus adhibeatur, semper distinctionibus opus est, a quibus sagaciter initis multarum difficultatum solutio dependet. Saepe enim id, quod ab adversariis opponitur ex una parte, seu sub quodam sensu verum, ex altera vero parte, seu sub alio sensu falsum est: illud ergo concedere, hoc vero negare oportet. Cavendum autem est a futili-

bus illis distinctionibus, quae verbis tantum ludunt, soliditate carent, et ideo tantum a Dialecticis excogitatae videntur, ut semper aliqua responsio in promptu habeatur, et etiam solidissimae argumentationis vis externe saltem declinetur.

III. *De prudentia et charitate in munere polemico observanda.*

§ 19. 1. Tractatus polemici non ex alio fine suscipiendi sunt, nisi ut heterodoxi de veritate dogmatum catholicorum convincantur, et orthodoxi ab erroribus praeserventur. Ut finis iste obtineatur in omni controversia, quae agitur, cum magna prudentia et charitate procedendum est. Errores debellare oportet, errantes odisse et laedere non licet. Cavendum ergo est a conviciis, irrisionibus, calumniis aliisque iniuriis, quae adversarii animum non corrigunt, sed exacerbant. Praeclare S. *Augustinus* (1) ait: « Disputationis disciplina ad omnia genera quaestionum, quae in Litteris sanctis sunt, penetranda et dissolvenda plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi, et puerilis quaedam ostentatio decipiendi adversarium. » Idem (2) scribit: « Diligite homines, interficite errores: sine superbia de veritate praesumite; sine saevitia pro veritate certate; » et (3) de se ipso inquit: « Sane modum tenebo quantum potero, ut neque in illorum morbos, qui mihi sunt notissimi, tam graviter invehar, quam illi in ea, quae ignorant. Sanari enim eos potius, si fieri potest, quam oppugnari volo. » Ergo etiamsi adversarii charitatem graviter laedant, non idem tamen ipsis rependere licet, sed oportet, ut simus *nulli malum pro malo reddentes* (4). Quapropter Apostolus addit: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (5). Nam belle ait *S. Remigius*, seu Ecclesia Lugdunensis: « Qui non tranquille et pacifice moderatur, quod sentit, sed statim paratus est ad contentiones, dissensiones et scandala, etiamsi non habeat haereticum sensum, habet haereticum animum. »

2. Charitas maxime etiam commendanda est, dum non de dogmatibus fidei, sed de opinionibus theologicis disputatur, quae catholice defendi possunt. In his dissentientes vilipendere, quasi insipientes acri stylo exagitare, aut de haeresi suspectos pronuntiare, arrogantis animi est et impudentis. Servanda est « in necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas. »

CAPUT III.

DE FONTIBUS THEOLOGIAE THEORETICAE SEU DE LOCIS THEOLOGICIS

§ 20. Maximi momenti est, ut Theologus fontes sciat, ex quibus veritates pertractandae hauriuntur, et ut etiam cuncta subsidia et adminicula cognoscat, quae ipsum in explicanda, probanda et defendenda doctrina revelata iuvare possunt. Fontes illi, et subsidia, atque adminicula ista communiter *loci theologici* appellari consueverunt. De his post *Melchiorem Canum* Theologi speciales tractatus elucubrare, illorum auctoritatem definire, et rectum usum ostendere solent. Rationem reddit *M. Canus* (6) dicens: « Quemadmodum *Aristoteles* in Topicis proposuit communes locos, quasi argumentorum sedes et notas, ex quibus omnis argumentatio ad omnem disputationem inveniretur, sic nos peculiares quosdam Theologiae

(1) L. 2 de doctr. chr., c. 31, n. 48.
(2) L. 1, c. litt. Petil. c. 29.
(3) De mor. Eccl. cath. c. 1.
(4) Rom. 12, 17. (5) Ibid. v. 21.
(6) De loc. theolog. l. 1, c. ult.

Digitized by Google

locos proponimus, tanquam domicilia omnium argumentorum theologicorum, ex quibus Theologi omnes suas argumentationes sive ad confirmandum, sive ad refellendum inveniant. » His praemissis, citatus auctor decem enumerat locos theologicos, qui sunt sequentes: I. *S. Scriptura* (v. Th. gen. § 169 - § 183). II. *Traditio* (ib. § 184 - § 203). III. *Auctoritas Ecclesiae catholicae* (ib. § 208 -§ 222 - § 227 et § 229). IV. *Concilia praesertim generalia* (ib. § 224-§ 226 et § 231). V. *Definitiones Rom. Pontificum* (ib. § 230). VI. *Sancti Patres* (§ 198). VII. *Theologi scholastici* (ib. § 232). VIII. *Ratio naturalis* (ib. § 295 -§ 306). IX. *Philosophi*. X. *Historia ecclesiastica et profana* (ib. § 10). —De istis locis theologicis, in Theologia generali eo ordine actum est, quem systematis ratio poscebat, et firma de singulorum auctoritate principia stabilita fuerunt. Hic tamen nonnulli saltem ex praefatis locis theologicis magis practice proponendi sunt, et rectus eorundem in Theologia theoretica usus ostendendus est. Hunc in finem quaedam *de Ss. Bibliis, de Ss. Patribus, de Conciliis, de Rom. Pontificum definitionibus, de Symbolis et Libris symbolicis, atque de Philosophis et Historicis* exponentur.

ARTICULUS I.
De sacris Bibliis.

§.21. Ss. Biblia praecipuum Theologiae theoreticae fontem constituere, et ad tradendas defendendasque fidei veritates maximae et utilitatis et necessitatis esse, clare elucet ex verbis Apostoli dicentis: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* (1). Ad rectum autem Ss. Bibliorum usum requiritur, ut Theologus certo cognoscat, *quales libri canonici, seu divinitus inspirati sint, quaenam eorundem versio legitime adhibeatur*, et *quamnam normam in illorum interpretatione sequi oporteat*. Quaestiones istae iam per infallibile Ecclesiae magisterium solutae sunt, cuius iudicio in Theologia theoretica firmissime semper insistendum est.

1. Quot, et quales praecise libri divinitus inspirati sint, neque ex ratione, neque ex ipsa S. Scriptura sufficienter probari potest, sed ex sola Traditione divina colligitur, in qua agnoscenda et declaranda Ecclesia infallibilis est (v. Th. gen., § 177). Igitur absque erroris periculo Ecclesia *Canonem* statuit librorum divinitus inspiratorum, ipsiusque iudicium hac in re omnino infallibile est; nam si Ecclesia vel librum divinitus inspiratum reiiceret, vel opus mere humanum ut divinum proponeret, in utroque casu circa ipsam Revelationem aberraret, quod iuxta Christi promissa nunquam contingere potest. Hinc sequitur, illos omnes, et illos solos libros divinitus inspiratos, seu canonicos esse, qui ab Ecclesia ut tales declarati fuerunt. Ecclesia autem constanti Traditioni innixa in Concilio Tridentino (2) mentem suam clare manifestavit. Cum enim primo profiteretur, se *omnes libros tam veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor* etc. recipere et venerari, postea subiungit: *Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infrascripti. Testamenti veteris, quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuterono-*

(1) 2 Tim. 3, 16.

(2) Sess. 4.

Digitized by Google

mium, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus, et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, id est, Osea, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum, primus et secundus. Testamenti novi quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, et Ioannem; Actus Apostolorum a Luca evangelista conscripti: quatuordecim epistolae Pauli apostoli, ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos: Petri apostoli duae, Ioannis apostoli tres, Iacobi apostoli una, Iudae apostoli una, et Apocalypsis Ioannis apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur pro sacris et canonicis non susceperit .... anathema sit. Omnibus istis libris divinis Theologus ad fidei veritates cognoscendas, explicandas atque probandas rectissime utitur.

2. Quanam Ss. Librorum versione in Theologia theoretica utendum sit, Concilium Tridentinum in eadem sessione declaravit, in adiuncto decreto dicens: *Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum Librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam reiicere, quovis praetextu audeat vel praesumat.* Sapientissime ab Ecclesia haec statuta et declarata sunt; nam indigitatam versionem quoad substantiam, seu quoad ea, quae fidem et mores attinent, ab errore immunem et textui originali conformem esse, solida argumenta probant. *a)* Versio enim haec, quoad maximam partem, a *S. Hieronymo* est confecta, qui ad id opus perficiendum tum naturae et artis, tum gratiae divinae donis singulari modo erat instructus. Quae autem *Hieronymi* non sunt, ex antiqua illa versione ipso fere tempore apostolico adornata, quam *S. Augustinus* (1) *Italam* vocat, *S. Hieronymus* (2) *Vulgatam* et *communem*, et *S. Gregorius M.*, aliique *Veterem*, quamque *S. Augustinus* (3) « tenacitate, et sententiarum perspicuitate reliquas versiones superasse » testatur, retenta sunt; attamen a *S. Hieronymo* partim e graecis fontibus, partim ad versionem 70 Interpretum emendata. — *b)* Inde a tempore *Gregorii M.*, i. e. a saeculo VII ineunte, Ecclesia Latina sola hac versione usa est, hanc commentariis illustrabant Interpretes, hanc populo explanabant Pastores et verbi divini praecones, hanc adhibebant ipsa Concilia adversus haereticos. Non poterat vero Ecclesia vi infallibilitatis sibi concessae versionem aliquam adoptare, quae haud sanum verbum divinum referret, quoniam eo ipso a vero aberrasset et defecisset. *c)* Vulgata versio in do-

(1) De doctr. chr. l. 2, c. 15, n. 22.

(2) Comment. in Is. l. 3 in 9, 2-4. (3) L. c

ctrina de fide et moribus, ac etiam in iis, quae rerum in ea contentarum substantiam attingunt, nunquam alicuius erroris argui potuit. Nam varietates, seu differentiae a textu primogenio tantum ad accidentalia referuntur. Immo cura Rom. Pontificum Pii IV et successorum eius factum est, ut Vulgata, quantum fieri potuit, etiam a mendis accidentalibus purgaretur, eiusque editio ad mentem Concilii emendatissima in lucem prodiret. Rectissime ergo in Theologia dogmatica versio vulgata adhibetur. Nullatenus vero ab Ecclesia prohibetur, quin ad textum originalem recurratur. Id, ut observat Em. *Bellarminus* (1), persaepe utilissimum est ad vim et proprietatem quarumdam locutionum cognoscendam, et in Theologia polemica quandoque necessarium, dum adversarii textum originalem Vulgatae opponere, et ex illo doctrinam catholicam impugnare tentant (2).

3. Normam quoque, quam in S. Scripturae interpretatione sequi oportet, Ecclesia praescripsit; nam Concilium Tridentinum (3), *ad coërcenda petulantia ingenia decernit ut nemo, suae prudentiae innixus, in rebus fidei, et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat.* Hoc decretum negative quidem exprimitur; sed tamen positive interpretationis modum determinat; normam enim, a qua recedere non licet, positive sequi necesse est, sicut itinerans viam, a qua declinare prohibetur, ingredi et percurrere obligatur. Hinc in professione fidei catholicae a Pio IV edita positive pronuntiandum est: « Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione Ss. Scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. » Decretum Concilii equidem non impedit, quominus in exponendis Scripturis etiam regulae hermeneuticae, notitiae archeologicae et philologicae adhibeantur: ast per haec subsidia biblica *privata* tantum, *doctrinalis*, seu *scientifica* interpretatio habetur, quam falli posse ex iis ipsis patet, qui praefatis subsidiis muniti in exponenda Scriptura frequentissime dissentiunt. Interpretatio *authentica*, seu *dogmatica*, et quidem *infallibilis*, qualis in re tanti momenti requiritur, solum ex traditione divina, et Ecclesiae declaratione repetitur. Huic in Theologia dogmatica firmiter insistendum, et omnis interpretatio ipsi contraria tanquam erronea reiicienda est (v. Theol. gen. § 191 et § 221).

Nota. Ad S. Scripturam iuxta mentem Ecclesiae intelligendam et exponendam maxime conferunt scripta Ss. Patrum, qui in exponendis sacris Libris eminuerunt, et traditionis hermeneuticae testes sunt. Verum equidem est, quod in Homiliis, quas ad erudiendum populum concinnarunt, praecipue sensum S. Scripturae moralem, allegoricum et anagogicum exponunt, sed tamen litteralem non negligunt, ex isto dogmata eruunt, et haereticos sui temporis impugnant,

(1) L. 2, de Verbo Dei c. 11.

(2) Cf. Perrone de loc. theol. p. 2, c. 4, n. 243 etc. Schwetz Theol. gen. p. 3, c. 5, § 84.

(3) L. cit.

Digitized by Google

uti ex Homiliis *S. Basilii*, *S. Chrysostomi*, *S. Ambrosii*, *S. Augustini*, *S. Petri Chrysologi* et aliorum abunde patet. Caeterum Ss. Patres locorum biblicorum sensum litteralem, et dogmaticum praecipue in suis commentariis, et in operibus dogmaticis, et polemicis explicant, et contra adversarios defendunt. — Rectissime ergo Ecclesia ordinavit, ut in exponenda S. Scriptura tantae auctoritatis duces sequamur, quorum consensus invictum de traditione apostolica, et de constanti Ecclesiae fide testimonium perhibet. Ut autem unanimis Ss. Patrum consensus ostendatur, non opus est, ut quoad singula loca, quae ad dogmata probanda citantur, omnium Patrum expositiones adducamus, sed sufficit, si praecipui illius aetatis, qua dogma agitabatur, Patres in adducti loci expositione conveniant, caeteris non contradicentibus sed in eadem saltem fide conspirantibus: generatim enim non requiritur consensus Patrum physice et mathematice, sed sufficit moraliter universalis, ex quo catholica illorum temporum fides satis manifesta redditur (v. Theol. gen. § 198). Hinc simul intelligitur, nequaquam, ut nonnulli ex Protestantibus praetendunt, adeo operosum, aut plane impossibile esse, sententias Patrum ad rem facientes, colligere et memoratum consensum invenire: praecipue cum plura iam praesto sint subsidia maiora et minora, sudore eruditorum parta, quae negotium hoc insigniter alleviant. Hunc in finem enim confectae sunt *Catenae Patrum*, seu opera exegetica, interpretationem Ss. Librorum e plurium Patrum expositionibus contextam exhibentia: sic celebris est, e. g., catena aurea *S. Thomae Aquinatis* in Evangelia: reliqua huiusmodi opera in institutionibus hermeneuticis, et etiam in Patrologiis passim enumerantur. Multi etiam commentaria in Ss. Libros ediderunt, Ss. Patrum expositiones colligentes et explanantes, inter quos eminent *Cornelius a Lapide*, *Calmetus*, *Tirinus*, et praesertim *Maldonatus* in Evangelia, *Estius*, ac *Bernardinus a Piconio* in Epistolas *S. Pauli*.

II. *De Ss. Patribus*.

§ 22. 1. Scripta Ss. Patrum in qualibet disciplina theologica, praecipue autem in Theologia theoretica summopere commendari merentur, ad cuius munera rite obeunda non solum maxime utilia, sed et perquam necessaria dicenda sunt. *a)* Dogmata enim ex S. Scriptura et Traditione colligere oportet. Ss. Patres autem tum S. Scripturam, ut iam dictum est, praestantissimo modo interpretantur, tum ea divinae Revelationis capita, quae Apostoli oretenus tantum docuerunt, litteris consignarunt. Quapropter cum illi Traditionis divinae et hermeneuticae et constitutivae testes sint, maxima est eorundem in Theologia dogmatica auctoritas (Th. g. § 198). *b)* Ss. Patres, sicuti rerum divinarum scientia et pietate eminuerunt, ita etiam dogmata coelestia clare et perspicuo explicarunt: imo varia et multiplici ratione ab ipsis praecipua saltem et fundamentalia Religionis christianae dogmata pertractata sunt, modo eruditis, modo simplicibus exposita lectoribus, nunc methodo magis philosophica et accurata, nunc plana et simplici ratione: variae etiam quaestiones, quibus illa dogmata omni ex parte illustrantur, ab iisdem propositae et sufficienter, imo cum mira hincinde sagacitate solutae reperiuntur. Magnopere igitur Ss. Patrum scri-

pta Theologum iuvant ad dogmata clare explicanda, et adaequate aliis tradenda. *c)* In Ss. Patrum scriptis argumenta quoque, quibus dogmata probantur, solide exposita inveniuntur. Omnem enim conatum viri illi, doctrina et sanctitate conspicui adhibuerunt, ut de Religionis revelatae veritatibus, de quibus ipsis intime persuasum fuit, etiam alios convincerent, et fidem catholicam ubique propagarent et confirmarent. Cum porro ingenii acumine et arte dialectica excellerent, in Ss. Scripturis meditandis recteque intelligendis multos haud raro vitae annos immenso labore insumpsissent, nec non Ecclesiae et maiorum sensum de rebus fidei sedulo et religiose investigassent; plurimas et firmissimas rationes, quibus fidei dogmata innituntur, afferunt, earumque probandi vim luculentam nervosamque reddunt. *d)* Praeterea ex Ss. Patrum scriptis etiam cognosci potest, qua ratione argumenta, quibus adversarii fidei impugnant sana dogmata, solide refelli possint: cum enim haeretici ope S. Scripturae, atque rationis humanae veram fidem impugnarent, Ss. Patres, ut tela ista e manibus illorum eriperent, sensum S. Scripturae verum statuebant, falsa ratiocinia destruebant, ac principia eorum evertebant: et cum pleraque errorum figmenta, quae olim circumferebantur ad veritatem revelatam impugnandam, vel adulterandam, hodie etiam, forma licet nonnihil immutata, per ora volitent, in scriptisque serpant, facile perspicitur, quanti etiam ex hoc capite sit momenti Ss. Patrum usus. *e)* Denique Ss. Patres maxime solliciti fuerunt, ut in iis, quibus dogmata coelestia proponebant, non sterilem, sed talem fidem producerent, quae per charitatem operatur. Ideo institutionibus dogmaticis documenta moralia adiungere solent, et praeclare ostendunt, qualis usus practicus ex dogmatibus theoreticis eruendus sit.

2. Ex communi probatoque Ecclesiae usu sub nomine Ss. Patrum proprie sumto veniunt viri ecclesiastici, qui doctrina eminent, sanctitate florent, antiquitate vigent, et expressa, vel tacita Ecclesiae approbatione gaudent. Inter istos nonnulli *Doctores* per excellentiam nominantur. Sicuti enim in Academiis illi, qui doctrina excellunt, Doctoratus laurea insigniuntur, ita etiam Ecclesia eos, qui doctrina et sanctitate maxime conspicui per scripta sua ad orthodoxam fidei doctrinam illustrandam, probandam et defendendam plurimum contulerunt, eximio Ecclesiae Doctorum titulo publice decoravit. Dubitari sane nequit, Doctores istos, si de auctoritate quaeritur, primum locum tenere. Secundum locum occupant reliqui, qui sensu strictiori Ss. Patres nominantur, qui nempe praeter antiquitatem et doctrinam orthodoxam, quam in scriptis suis proponunt, etiam tanquam Sancti coluntur, et ab Ecclesia catholica in magno honore habentur. Tertio loco veniunt ii, qui equidem ratione antiquitatis et scientiae, quam in operibus suis manifestant, illustres sunt, sed tamen Sanctis non adnumerantur. Isti, si stricte loqui velimus, tantum *Scriptores ecclesiastici* vocari possunt, quamvis in sensu latiori etiam Patrum nomine decorentur. Caeterum isti quoque Scriptores magnae auctoritatis sunt, et quidem eo maioris, quo proximiores sunt aevo apostolico, et quo certius de eorum scientia et veracitate constat. Quodsi nonnulli ex ipsis, e. g., *Tertullianus*, in quosdam errores contra fidem prolapsi

Digitized by Google

sunt, circa reliqua tamen dogmata recte senserunt, eaque egregie proposuerunt et defenderunt, quapropter multa ipsorum opera inter Catholicos maximi aestimantur, illorumque testimonia in Theologia dogmatica rectissime adlegantur.

3. Haud supervacaneum est, ut primo S. Ecclesiae Doctores, et dein Sancti Patres, et Scriptores ecclesiastici chronologico ordine enumerentur.

SS. ECCLESIAE DOCTORES

Semper in maximo honore habiti, et a Bonifacio VIII an. 1298 declarati:

GRAECI		LATINI	
S. Athanasius Patr. Alex. *obiit*	373	S. Ambrosius Ep. Mediolan.	» 397
S. Basilius M. Ep. Caesar. Capad.	379	S. Hieronymus Presb.	» 420
S. Gregorius Nazianz.	» 389	S. Augustinus Ep. Hippon.	» 431
S. Io. Chrysostomus	» 407	S. Gregorius M. Papa	» 604

Recentiori aevo declarati

S. Hilarius Ep. Pictav. Ex decreto Pii IX, an. 1851, 29 Mart.	» 368	*S. Petrus Damiani* Cardinal. Ex decreto Leonis XII, an. 1828.	» 1072
S. Petrus Chrysologus Ep. Raven. In officio eccl. die 5 Dec.	» 450	*S. Anselmus* Ep. Cantuar. In officio eccles. die 21 Apr.	» 1109
S. Leo M. Papa Ex Bulla Benedicti XIV, an. 1754.	» 461	*S. Bernardus* Ab. Claraval. Ex decr. Pii VIII, an 1830.	» 1153
S. Isidorus Ep. Hispal. In officio eccles. die 4 April.	» 636	*S. Thomas Aq.* Ord. Praed. Ex Const. Pii V, an. 1567.	» 1274
		S. Bonaventura Ord. Min. Ex Constit. Sixti V. an. 1588.	» 1274

SS. PATRES ET SCRIPTORES ECCLESIASTICI

SAECULO I.

ORIENTALES SEU GRAECI		OCCIDENTALIS SEU LATINI	
S. Barnabas *obiit c. an.*	60	*S. Clemens* Rom. Papa, epistolas suas graece scripsit *obiit c. a.*	101
S. Hermas » *c. a.*	96		
S. Polycarpus Ep. Smyr. » *c. a.*	99		
S. Papias Ep. Hierapol. de quo solum fragmenta extant » *c. a.*	99		

ORIENTALES SEU GRAECI	OCCIDENTALES SEU LATINI
S. Ignatius M. Ep. Ant. *obiit a.* 107	
S. Dionysius Areop., huius opera praestantia sunt, sed a recentioribus ut genuina non habentur » *c. a.* 96 vel 108	

SAECULO II.

ORIENTALES SEU GRAECI	OCCIDENTALES SEU LATINI
S. Iustinus M. *obiit c. a.* 166	*S. Irenaeus* Ep. Lugdun. opera sua graece scripsit *obiit a.* 202
Athenagoras » *c. a.* 180	*S. Hegesippus*, Historiam suam probabiliter in urbe Roma, sed graece scripsit » *a.* 180
S. Melito Ep. Sardens. » *c. a.* 180	
S. Dionysius Ep. Corinth. » *c. a.* 180	
S. Teophilus Antioch. » *c. a.* 186	
Tatianus » *c. a.* 180	
Hermias Philos. Christ. » *c. a.* 190	

SAECULO III.

ORIENTALES SEU GRAECI	OCCIDENTALES SEU LATINI
Clemens Alex. Presb. » *a.* 220	*Tertullianus* Presb. Carthag. » *a.* 220
Origenes Presb. Alex. » *a.* 253	*Minutius* Felix » *c. a.* 210
S. Gregorius Thaumat. » *c. a.* 265	*Caius* Presb. Rom. » *c. a.* 220
S. Dionysius Ep. Alex. » *c. c.* 265	*Arnobius* Afer » *a.* 326
S. Methodius Ep. Tyri » *a.* 311	*S. Hippolytus* Ep. Portuens. » *a.* 235
	S. Cyprianus Ep. et M. » *a.* 261
	Lactantius Firm. » *c. a.* 330

SAECULO IV.

ORIENTALES SEU GRAECI	OCCIDENTALES SEU LATINI
S. Alexander Ep. Alex. » *a.* 326	*S. Firmicus* Maternus Siculus » *a.* 340
Eusebius Ep. Caesariens. » *c. a.* 340	*S. Eusebius* Vercell. Ep. » *c. a.* 370
S. Eustathius Ep. Antioc. » *c. a.* 360	*S. Pacianus* Ep. Barcinon. » *a.* 390
S. Cyrillus Ep. Hierosol. » *a.* 386	*S. Optatus* Milev. Ep. » *a.* 380
S. Ephraem Syrus » *a.* 379	*S. Zeno* Ep. Veron. » *c. a.* 380
S. Amphilochius Ep. Icon. » *c. a.* 394	*S. Philastrius* Ep. Brix. » *c. a.* 387
S. Gregorius Nyss. » *a.* 396	*S. Damasus* Papa » *a.* 384
S. Macarius Sen. Aegypt. » *c. a.* 390	*S. Siricius* Papa » *a.* 398
Evagrius Ponticus » *c. a.* 399	*Lucifer* Ep. Calarit. » *a.* 371
Didymus Alexandr. » *c. a.* 395	*Phoebadius* Ep. Agin. in Gallia » *c. a.* 380
Titus Ep. Bostrensis » *c. a.* 370	*Iuvencus* Presb. Hisp. » *c. a.* 360
	Victorinus Afer » *c. a.* 370
	Ruffinus Presb. Aquil. » *a.* 410

Digitized by Google

SAECULO V.

ORIENTALES SEU GRAECI

S. Epiphanius obiit a. 403
Asterius Ep. Amaseae » c. a. 400
Philostorgius » c. a. 430
Socrates Histor. » c. a. 440
Sozomenus Histor. » c. a. 450
S. Cyrillus Ep. Alex. » a. 444
Isidorus Pelusiota Presb. » c. a. 445
S. Nilus Monachus » c. a. 450
S. Synesius Ep. Ptolemaid. » c. a. 450
Theodoretus Ep. Cyri » c. a. 457
Proclus Ep. CPtanus » c. a. 450
Basilius Ep. Seleuc. » c. a. 460

OCCIDENTALES SEU LATINI

Prudentius Hisp. Poëta chr. obiit a. 418
Sulpicius Severus Histor. » c. a. 420
S. Chromatius Ep. Aquil. » c. a. 407
S. Gaudentius Ep. Brix. » c. a. 410
Io. Cassianus Monach. » c. a. 434
S. Eucherius Ep. Lugdun. » c. a. 433
S. Paulinus Ep. Nolan. » a. 431
S. Maximus Ep. Taurin. » c. a. 466
Paul. Orosius Presb. Hisp. » c. a. 420
Hilarius Ep. Arelat. » a. 449
Marius Mercator Afer » c. a. 450
S. Prosper Aquitanus » c. a. 455
Vincentius Lirin. » c. a. 450
Salvianus Presb. Massil. » c. a. 490
Vigilius Tapsensis » c. a. 490
S. Gelasius Papa » a. 496

SAECULO VI.

Aeneas Gazaeus » c. a. 500
Nemesius Ep. Emisenus » c. a. 500
Andreas Ep. Caesar. Capp. » c. a. 520
Ioan. Maxent. Mon. Ant. » c. a. 536
Io. Climacus Abbas » c. a. 580
Leontius Byzant. Mon. » c. a. 550
Anastasius Ep. Antioch. » c. a. 599
Procopius Gazaeus » c. a. 560
Dorotheus Archimandr. » c. a. 560
Anastasius Sinaita » c. a. 564
Evagrius Histor. » c. a. 598

Gennadius Presb. Massil. » c. a. 500
Victor Uticensis Hist. » c. a. 500
Boëthius Philos. » a. 524
S. Avitus Ep. Vienneus. Gall. » a. 525
S. Fulgentius Ep. Rusp. » a. 533
Dionysius Exiguus Abb. » c. a. 536
S. Caesarius Ep. Arelat. » a. 543
Cassiodorus Monachus » a. 562
Iunilius Ep. Affricanus » c. a. 550
S. Gregorius Ep. Turon. » a. 596

SAECULO VII.

S. Sophronius Ep. Hieros. » c. a. 650
S. Maximus Mon. et Mart. » a. 662
Ioan. Moschus al. Eviratus » c. a. 650
Antiochus Monachus » c. a. 650
Isaias Abbas » c. a. 680

S. Ildephonsus Ep. Tolet. » a. 669
S. Iulianus Ep. Tolet. » a. 690
Desiderius Ep. Cadurc. Gall. » c. a. 670
S. Theodorus Ep. Cantuar. » a. 690

SAECULO VIII.

S. Germanus Ep. CPtanus » a. 730
S. Io. Damascenus Mon. » a. 754
S. Andreas Cretensis » c. a. 720

S. Gregorius II Papa » a. 714
Beda Venerabilis » a. 735
S. Bonifacius Ep. Mogunt. » a. 755

Digitized by Google

SAECULO IX.

ORIENTALES SEU GRAECI

*S.Nicephorus*Ep.CPtanus*obiit a.* 828
*S. Theodorus*Studites M.» *a.* 826
Simeon Metaphrastes » *c. a.* 858
Photius Ep. CPtanus » *c. a.* 870
Theodorus Abubacara » *c. a.* 890

OCCIDENTALES SEU LATINI

*Paulinus*Ep.Aquileiens.*ob.c. a.* 804
Alcuinus Diac. » *a.* 804
Amalarius Fortun. Ep. Trevir. » *c. a.* 840
Rabanus Maurus Ep. Mogunt. » *a.* 886
Haymo Ep. Halberstadt.» *c. a.* 860
Paschasius Radbertus » *a.* 851
Anastasius Biblioth. » *c. a.* 880
Hincmarus Ep. Remens.» *a.* 882
S. Remigius Ep. Lugdun.» *a.* 875
S. Ado Viennens. Ep. » *c. a.* 875
Agobardus Ep. Lugdun.» *c. a.* 852

SAECULO X.

Leo Sapiens Imper. » *a.* 911
Moses Barcephas Ep. Syrus » *c. a.* 950
Oecumenius » *c. a.* 990

*Remigius*Antisiodorens. » *c. a.* 900
S. Odo Abbas Cluniac. » *a.* 942
Regino Abbas Prumiens.» *c. a.* 950
Radulphus Mon. Flaviac.» *c. a.* 950
*Luitprandus*Ep.Cremon.» *c. a.* 950
Stephanus Ep. Eduensis » *c. a.* 970

SAECULO XI.

Theophylactus Ep. Bulg., Schismati Graecorum pertinaciter inhaerens» *c. a.* 1090
Georgius CedrenusHist.» *c. a.* 1080
Ioan. Curopalates Hist. » *c. a.* 1090
Michaël Psellus » *c. a.* 1096
Nicetas Pectoratus » *c. a.* 1096
*Nicolaus*Ep.Methonens.» *c. a.* 1086

*S. Fulbertus*Ep. Carnot.» *a.* 1028
*S.Burchardus*Ep.Worm.» *a.* 1026
Berno Abb. Augiensis » *c. a.* 1030
Humbertus Cardinalis » *c. a.* 1070
*Lanfrancus*Ep.Cantuar.» *a.* 1089
Adam BremensisCanon.» *c. a.* 1080
S. Odilo Abb. Cluniac. » *c. a.* 1100
*S.Bruno*Carthus. instit.» *c. a.* 1101

SAECULO XII.

Zacharias Ep. Chrysopol. » *c. a.* 1120
Euthymius Zigab. Mon.» *c. a.* 1140
Zonaras Monachus » *c. a.* 1130
Gulielmus Ep. Tyri » *c. a.* 1190

S. Ivo Ep. Carnotensis » *a.* 1115
Goffridus Abb. Vindoc.» *c. a.* 1130
Rupertus Abb. Tuitiens.» *a.* 1135
Hugo a S. Victore » *a.* 1142
Richardus a S. Victore » *a.* 1173
Hildebertus Ep. Turon.» *c. a.* 1140
*Petrus*Ven.Ab. Cluniac.» *c. a.* 1150
Gratianus Monachus » *c. a.* 1160
*Petrus*Lomb. Ep. Paris.» *a.* 1164
Otto Ep. Frisigensis » *a.* 1159
Guericus Abbas Igniac. » *c. a.* 1190
*Petrus*Cellens.Ep.Carn.» *c. a.* 1196
Petrus Comestor. » *c. a.* 1180
Petrus Blessensis » *a.* 1200

Nota 1. Ut Ss. Patres in Theologia theoretica recte adhibeantur, maxime commendanda est *Patrologia*, seu scientia exhibens ea quae requiruntur ad Ss. Patrum rectum in Theologia usum. In hac disciplina theologica Patres enumerantur, et describuntur; eorum auctoritas determinatur, opera genuina a dubiis et spuriis discernuntur, optimae editiones indicantur, subsidia ad Patres facilius intelligendos proponuntur, et regulae praescribuntur, in Ss. Patrum lectione et usu observandae. Hac de re in Gallia prodiit egregium opus *Natalis Bonaventurae Argonnensis Carthusiani: De optima methodo legendorum Ecclesiae Patrum*. Postmodum in Germania *Institutiones Patrologiae* concinnarunt *G. Wilhelm* Can. Reg. *B. Schleichert* O. S. B. *Tobenz* Can. Reg. *Macarius a S. Elia* Carmel. *Steph. Wiest* Ord. Cisterc., et alii. Praecipuam vero laudem merentur tum ob spiritum apprime catholicum, tum ob eximiam eruditionem, perspicuitatem et soliditatem, *Institutiones Patrologiae*, quas concinnavit Cl. *Io. Fessler* S. Theologiae Doctor et Professor, excusae Oeniponti 1850 et seq.

Nota 2. Ex allato Ss. Patrum, et Scriptorum ecclesiasticorum indice satis patet, vix possibile esse, ut quis omnia eorundem opera perlegat, et ex ipsis dogmata hauriat: neque id necessarium est; nam virorum doctorum industria factum est, ut Patrum testimonia, ad dogmata catholica pertinentia, colligerentur, et in eruditis operibus proponerentur. Celebris est hac in re *Iodoci Coccii Thesaurus catholicus* (1). Insigne quoque est opus *Dion. Petavii de dogmatibus theologicis*, sed dolendum, quod ad finem perductum non sit. Simile opus *de dogmatibus theologicis* elucubravit *Lud. Thomassinus*, Presb. Orat. Commendari in eundem finem merentur sequentia opera: *Ant. Boucat Theologia Patrum Dogmatica: Angeli Cigheri Veterum Patrum Theologia universa* (2). *Card. Thomasii Institutiones theol. antiquorum Patrum* recensitae, et auctae ab *Ant. Vezzosi* (3), *R. Ceillier Historia generalis Auctorum sacrorum et ecclesiasticorum* (4) opus praeclarum, sed gallice scriptum. *Sprenger Thesaurus rei patristicae* (5). *G. Lumper Historia theologico-critica de vita scriptis et doctrina Ss. Patrum* (6). *Tricaletii Bibliotheca manualis Ecclesiae Patrum* (7).

Nota 3. Absque dubio summi momenti est, ut Patrum testimonia ad dogmata catholica comprobanda nonnisi ex genuinis illorum operibus colligantur. Ast ideo operibus, quae a recentioribus Criticis ut dubia, aut supposititia habentur, haud indiscriminatim omnis auctoritas deneganda est. Nam si constat, opera quaedam iam antiquitus inter Catholicos in magno honore habita fuisse, nunc quoque tanquam fide digna antiquitatis monumenta aestimari merentur, et recte etiam adlegantur iuxta praeclaram regulam: « Non attendas, quis hoc dixerit, sed quid dicatur attende. » — Ipsa Ecclesia *Symbolum Athanasii*, quamvis genuinum non sit, summi tamen aestimat, quoniam orthodoxam fidem clare proponit, illudque publice recitare iubet. Ex eadem ratione rectissime opera *S. Dionysii* citantur, quamvis solum saeculo quinto exarata fuisse putentur;

(1) Coloniae 1600.
(2) T. 13, in 4, Florent. 1791.
(3) T. 4, Romae 1709.
(4) T. 23, in 4, Paris. 1729-63.
(5) 3 vol. in 4, Wirceburgi 1784-92.
(6) T. 13 in 8, Augustae Vind. 1783-99.
(7) T. 9, Bassani 1733.

illa enim opera probantur a *S. Gregorio M.* (1), a *S. Martino P. et M.* (2), a *S. Agathone* (3), a *Nicolao I* (4), a *Concilio generali VI* (5), et a *Conc. gen. VII* (6), atque demum a sanctis Doctoribus plurimis commendantur. Simile quid etiam de aliis operibus dubiis aut spuriis, quae operibus Patrum genuinis adiuncta reperiuntur, hincinde dici potest. Haud immerito igitur illa quoque opera quandoque citantur, quod etiam fit a recentioribus Theologis, e. g. a Cl. *Klee*, qui saepius praefata opera adlegat, sed sub nominibus: *Pseudo-Iustinus*, *Pseudo-Hieronymus*, etc.

III. *De conciliis.*

§ 23. Concilia generalia, si requisitae conditiones in ipsis inveniantur, infallibilis esse auctoritatis, iam (Th. gen. § 224-226) probatum est. Necesse autem est, ut Theologus cognoscat, quaenam Concilia ut generalia habenda sint: ista iam hic enumerantur, et circa unumquodque breviter exponitur, quo tempore, sub quibus Pontificibus et Imperatoribus, et qua de causa celebratum, quid in ipso definitum, et qua ratione a Romana Sede approbatum, et ab Ecclesia receptum fuerit. Omissis autem Conciliis apostolicis iam aliunde notis, ea solum recensemus, quae post tempora Apostolorum in Ecclesia celebrata fuerunt.

I. *Concilium Nicaenum I*, anno Christi 325 sub Sylvestro I. R. P. et Constantino M. Imp. Nicaeae in Bithynia ad sedandos turbines ab Arianis excitatos celebratum fuit. Huic Concilio interfuerunt 318 Episcopi, eique praefuerunt *Osius* Cordubensis Episcopus, *Vitus* et *Vincentius* Presbyteri Sylvestri R. P., cuius Legati erant, nomine, ut testantur *Eusebius* (7), *Socrates* (8), *Teodoretus* (9), *Photius* (10). In hoc Concilio damnata est haeresis Ariana, Divinitas Filii eiusque Consubstantialitas cum Patre definita, et Symbolum fidei editum. Damnati etiam sunt Quartodecimani, et determinata est dies, qua Pascha ubique terrarum celebrandum sit. Acta Concilii a S. Sylvestro R. P. approbata, in Concilio Romano 275 Episcoporum confirmata fuerunt, iisque orthodoxi Episcopi, ac fideles tam firmiter inhaeserunt, ut multi pro dogmaticis eiusdem Concilii definitionibus persecutiones, carceres et ipsam mortem perpeti non dubitarint (v. Th. gen. § 225 n. 4).

II. *Concilium Constantinopolitanum I* anno 381 sub *Damaso* R. P. et *Theodosio M.* Imper. habitum est, ut Nicaena fides tot procellis iactata de novo adversus Arianos stabiliretur, et praesertim ut Macedonii haeresis, negans Divinitatem Spiritus sancti, profligaretur: ideo ad Symbolum Nicaenum addita sunt ea, quae Spiritus sancti Divinitatem enuntiant: « Credimus in Spiritum sanctum, Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum, qui locutus est per Prophetas. » Ad hoc Concilium convenerunt 150 Episcopi, omnes ex Oriente, nullis legatis Rom. Pontificis praesidentibus. Ast licet hoc Concilium non fuerit generale tempore quo celebrabatur, quia nulli aderant Occidentales, tamen evasit generale oecumenicum quando *Damasus* Papa illius decreta dogmatica, et plerosque canones approbavit, ac ei cum Concilio Romano, cui ipse personali-

(1) Hom. 34 in Ev.
(2) In Concilio Romano.
(3) In Ep. ad Constantinum IV Imp.
(4) In Ep. ad Michaëlem Imp

(5) Act. 4. (6) Act. 2.
(7) L. 1, H. E. c. 7. (8) L. 1, c. 5 et 9.
(9) L. 1, c. 7. (10) L. de septem Synodis.

Digitized by Google

ter praesedit, anno 383 accessit: unde factum est, ut duo illa Concilia Nationalia in unum, et idem Concilium oecumenicum coaluerint. — Canonem autem, quo primus locus post Rom. Pontificem conceditur Episcopo Constantinopolitano, non admisit Ecclesia Romana (nisi diu post in Conc. Later. IV), eundemque improbavit S. *Leo M.* in Concilio Chalcedonensi.

III. *Concilium Ephesinum* anno 431 sub *Coelestino* R. P. et *Theodosio II* Imp. ab Episcopis circiter 200 celebratum, et in illo contra Nestorium definitum fuit, unam esse in Christo personam, et Mariam recte dici *Theotocon*, seu *Deiparam*. Hoc Concilium convocatum fuit de consensu Papae, qui ei per *S. Cyrillum Alex.* et alios tres legatos praesedit, eique cum suo Romano Concilio accessit. Equidem Synodo Ephesinae non adfuerunt Episcopi Patriarchatus Antiocheni, immo non satis intellecto anathematismorum S. Cyrilli, quos Concilium approbaverat, legitimo sensu, cum Ioanne Antiocheno obluctati sunt: verum postmodum resipuerunt, sicque illud Concilium ab omnibus ubique fidelibus pro legitimo et oecumenico habitum fuit.

IV. *Concilium Chalcedonense* anno 451 a *Leone M.* R. P. sub *Marciano* Imp. convocatum fuit. Huic Synodo, ad quam convenerunt 636 Episcopi, praefuit S. Pontifex per suos Legatos *Paschasium* et *Lucentium* Episcopos, et *Bonifacium* Presbyterum, uti constat ex tribus primis Actionibus. Contra haeresin Eutychianam definitum est, duas esse in Christo naturas, et Conciliabuli seu Latrocinii Ephesini II acta reprobata, et 28 canones conditi sunt. Acta Concilii a Leone M. approbata fuerunt, ut constat ex eius Epistola 59 ad Synodum: sed canonem 28 R. Pontifex reprobavit.

V. *Concilium Constantinopolitanum II* anno 553 sub *Vigilio* R. P. et *Iustiniano I* Imp. a 165 Episcopis, praeside *Eutychio* Constantinopolitano Patriarcha, pro trium Capitulorum lite dirimenda celebratum fuit. Ideo anathema dictum est in *Theodorum* Mops. et in nefanda eius scripta: damnata pariter sunt scripta *Theodoreti* Concilio Ephesino adversantia, et Epistola *Ibae* Edesseni ad Marim Persam, sed horum duorum personis, quae susceptae erant a Concilio Chalcedonensi, nulla iniusta est nota: denique damnati sunt errores Origenistarum de poenis damnatorum aliquando finiendis, de forma corporum rotunda in resurrectione etc. Summus Pontifex nec per se, nec per legatos huic Concilio interfuit: sed post sex menses a solutione Concilii *Vigilius* decretalem Epistolam dedit ad *Eutychium* Constantinopolitanum, in qua ipse quoque tria capitula damnat, et decreta Concilii approbat. In hac epistola auctoritatem suam aperte testatur, dum hanc Synodum nequidem nomine Synodi dignatur, et definitioni illius omne robur ex hoc suo decreto tribuit. Hinc Graeci, ne imposterum de hac quinta Concilii auctoritate dubitari posset, praefatum Vigilii decretum continenter post Concilii definitionem retulerunt, et per idem hoc decretum Synodus Constantinopolitana II, velut universalis, in Oriente et Occidente recepta est. Unde *Pelagius I* Vigilii successor nomen *universalis* illi tribuit in Epistola ad Narsen ducem Italiae. Eam etiam susceperunt *Pelagius II* et *Gregorius M.* qui (1) postquam dixit: « Sicut S. Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, et venerari me fateor, » subiungit: « Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo E-

(1) L. 1 Epist. 24.

pistola, quae Ibae dicitnr, erroris plena reprobatur etc. » — Idem hic magnus Pontifex nonnullos Istriae et Liguriae Episcopos, qui Concilium quintum reiecerant, ad unitatem Ecclesiae reduxit.

VI. *Concilium Constantinopolitanum III* anno 680 sub *Agathone* R. P. et *Constantino Pogonato* Imper. celebratum est. Interfuerunt circiter 200 Episcopi, quibus Legati Agathonis praefuerunt. Damnati sunt Monothelitae, et definitum est duas esse in Christo voluntates, et duas naturales operationes. Hoc Concilium ab *Agathone* et a *Leone II* approbatum, et in universa Ecclesia receptum fuit.

VII. *Concilium Nicaenum II* anno 787 de expresso *Hadriani I* R. P. consensu a *Constantino* Imp. et *Irene* eius matre convocatum est contra Iconomachos, i. e. impugnatores imaginum. Hoc Concilium indictum prius erat Constantinopoli; verum tumultuantibus in hac urbe Iconomachis, Episcopi 350 cum duobus legatis Hadriani Nicaeae in Bithynia congregati Iconomachos damnarunt, usum et cultum sacrarum imaginum approbarunt et restituerunt, nec non 22 canones ediderunt. Acta Concilii ab *Hadriano* approbata fuere, exceptis tamen canonibus primo et octavo. Hoc Concilium equidem reiectum fuit ab Episcopis anno 794 Francofurti collectis: sed id ex errore facti contigit, quo ex mala versione decepti putarunt Patres Nicaenos adorationem, seu cultum latriae Sanctorum imaginibus impendendum esse pronuntiasse. Hoc errore detecto, Occidentales quoque Episcopi decisionibus Concilii Nicaeni II subscripserunt, quod postmodum ab universa Ecclesia ut oecumenicum habitum est.

VIII. *Concilium Constantinopolitanum IV* anno 869 tempore *Hadriani II* et *Basilii* Imp. a 102 Episcopis, quibus Papa per Legatos praesedit, celebratum fuit. In hoc concilio *Photius* fuit depositus, et *Ignatius* sedi Constantinopolitanae restitutus. Anathema dictum est haereticis iam in prioribus synodis damnatis, et praesertim Iconomachis. Concilium hoc, cui omnes Patriarchales Ecclesiae subscripserunt, ab *Hadriano II* confirmatum, et universim in Ecclesia catholica receptum est. Soli Graeci schismatici octavam Synodum respuunt, falso ac temere existimantes, illam a Photiano conciliabulo, sub Ioanne VIII anno circiter 879 celebrato, abrogatam fuisse.

IX. *Concilium Lateranense I* anno 1123 *Callixtus II* tempore *Henrici V* indixit Romae in Basilica Lateranensi, cui ipsemet interfuit cum 300 et amplius Episcopis. In hoc Concilio composita est lis, quae iamdiu inter Ecclesiam et Imperium erat accensa ex usurpatis ab Imperatoribus beneficiorum investituris: nam *Henricus V* dimisit Ecclesiae omnem investituram per annulum et baculum tradendam; *Callixtus II* autem concessit Imperatori ut electis regalia per sceptrum daret. Actum est etiam in hoc Concilio de expeditione Hierosolymitana et Hispanica contra Infideles, eamque promoventibus indulgentiae sunt concessae. Ad simoniae scelus reprimendum, et ecclesiasticam disciplinam promovendam, varii canones editi sunt. Oecumenicitas huius Concilii certa est apud omnes.

X. *Concilium Lateranense II* anno 1139 sub *Innocentio II* et *Lothario* Imp. celebratum est. Convenerunt ex universo orbe catholico circiter 1000 Episcopi, et summus Pontifex ipse Concilio praefuit. In isto *Petri Leonis* aliorumque schismaticorum acta sunt rescissa. Damnati sunt haeretici *Pe-*

trus de Bruis et *Henricus*, inter alios errores veritatem Corporis Christi in Eucharistia negantes, eius oblationem in Missa reiicientes, et asserentes bona opera defunctis haud prodesse. *Arnaldo de Brixia* docenti, nec Clericos proprietatem, nec Monachos possessiones habentes salvari posse, silentium impositum est. Canones plures editi sunt. Hoc Concilium a cunctis Catholicis ut oecumenicum receptum est.

XI. *Concilium Lateranense III* anno 1179, in cathedra Petri sedente *Alexandro* III, et imperante *Friderico I*, ab Episcopis 300 ipso Papa praesidente celebratum fuit. In hac Synodo ad schisma Octaviani penitus extinguendum, et ad vitanda in posterum similia schismata definitum est, nullam deinceps Papae electionem fore canonicam, nisi duae partes Cardinalium in ea conspirent. Damnati sunt *Waldenses*, seu *pauperes de Lugduno*, qui sub praetextu paupertatis evangelicae varios errores, praecipue circa auctoritatem Rom. Ecclesiae, circa sacramenta et cultum divinum, disseminabant. Cum Waldensibus etiam *Cathari*, *Patareni* et alii Haeretici damnati sunt. In agnoscenda huius Concilii oecumenicitate omnes Catholici conveniunt.

XII. *Concilium Lateranense IV* anno 1215 ab *Innocentio III*, imperante *Friderico II*, convocatum est. Ad hoc convenerunt Patriarchae *Constantinopolitanus* et *Hierosolymitanus* in persona, *Antiochenus* vero et *Alexandrinus* per legatos, Primates et Metropolitani 71, Episcopi plusquam 400, Abbates et Priores ultra 800. — In hoc Concilio damnati sunt *Albigenses*, qui cum erroribus Manichaeorum novas haereses et impias blasphemias coniungebant: contra istos fidei catholicae professio edita est. Proscriptus est error *Abbatis Ioachim*, qui essentiam a divinis Personis ita distinxit, ut non Trinitatem, sed Quaternitatem in Deo statueret. Damnata etiam sunt impia dogmata *Almerici de Bena*, qui inter alias insanias docebat, corpus Christi non aliter esse in pane consecrato, quam in alio pane et in qualibet alia re, transsubstantiationem negans. Statuta est expeditio pro recuperatione Terrae sanctae, et pro reformatione morum multi canones editi sunt. Maxima fuit semper huius Concilii in toto orbe catholico auctoritas.

XIII. *Concilium Lugdunense I* anno 1245 ab *Innocentio IV*, regnante S. *Ludovico* in Gallia, praesidente summo Pontifice, et praesentibus pluribus Cardinalibus, tribus Patriarchis, 140 Episcopis, *Balduino* Constantinopolitano Imp. et Oratoribus Regum Galliae, Angliae, Aragoniae et aliorum Principum habitum est contra *Fridericum II* Imp. erga Ecclesiam Romanam inique se gerentem, in quem propterea sententia excommunicationis et depositionis lata est. Renovatum quoque est decretum pro expeditione contra Turcas facienda, atque cruciatis magna privilegia concessa sunt. Condita denique sunt varia decreta disciplinae reformationem spectantia. Concilium hoc recte oecumenicis adnumeratur, quia legitime fuit convocatum, celebratum, et a summo Pontifice, qui ei praefuit, approbatum.

XIV. *Concilium Lugdunense II* anno 1274 sub *Gregorio X* et *Rodulpho I* Imper. celebratum est. Cum summo Pontifice, qui praesedit, convenerant 15 Cardinales, 2 Patriarchae, Constantinopolitanus et Antiochenus, 500 Episcopi, et plurimi Abbates. Consentientibus Graecis definitum est, Spiritum sanctum a Patre, Filioque procedere: decreta quoque

condita sunt tum ad auxilium Christianis orientalibus ferendum, tum ad mores Christianorum, et speciatim Clericorum reformandos. Oecumenicitas huius Concilii apud omnes est indubia.

XV. *Concilium Viennense* anno 1311 a *Clemente V* tempore *Henrici VII* Imp. convocatum est. Ad hoc Concilium accesserunt *Clemens V* Praeses, duo Patriarchae, Alexandrinus et Antiochenus, 300 Episcopi et tres Reges, nempe *Philippus* pulcher Rex Galliae, *Eduardus II* Rex Angliae, et *Iacobus II* Rex Arragoniae. In hoc Concilio *Templariorum Ordo* ob varia crimina, de quibus accusabatur, penitus extinctus est. Damnati sunt etiam *Fraticelli*, seu *Dulcinistae*, *Beguardi* et *Beguinae*, qui homini viatori sine lumine gloriae visionem Dei attribuentes turpissimos luxuriae actus in hoc statu inculpabiles declararunt. Proscripta est doctrina *Petri Ioannis*, qui inter alios errores negavit, gratiam et virtutes in baptismo infundi. Multi canones disciplinares in hoc Concilio editi sunt, quod omnes ut generale venerantur.

XVI. *Concilium Pisanum* anno 1409 sub *Roberto* Imp. a Cardinalibus convocatum est, cum duo, nempe *Gregorius XII* et (Petrus de Luna) *Benedictus XIII* de Papatu contenderent. Convenerunt 24 Cardinales, 4 Patriarchae, Alex., Antioch., Hieros. et Gradensis, 12 Archiepiscopi per seipsos, et totidem per Procuratores, circiter 300 Episcopi partim per se, partim per Procuratores; plurimi quoque Abbates, Doctores, Principum et Universitatum Legati. Concilio praefuit Cardinalis Decanus. Duo de Papatu contendentes post trinam de iure citationem non comparentes ut schismatici declarati, et e suo praetenso Pontificatu deiecti sunt, ac in utriusque locum suffectus est Cardinalis Philaretus, Graecus, Doctor Parisiensis, O. Fr. Min. qui *Alexander V* dictus est, et reliquo praesedit Concilio 23 sessionibus completo. — Nonnulli cum *S. Antonino*, *Caietano*, *Turrecremata* et aliis hoc Concilium ut oecumenicum non agnoscunt, quia sine Papae auctoritate congregatum fuit, et schisma potius auxit, quam extinxit. Verum graves rationes illius oecumenicitatem probant. Quamvis enim hoc concilium non a Papa convocatum fuerit, legitime tamen congregatum fuisse dici potest; nam ait Cl. *Billuart* (1): « Videtur quod in casu schismatis, quando est dubius Pontifex, Ecclesia habeat ius convocandi Concilium, si non ad ultimate definiendas res fidei, saltem ad sibi providendum de certo capite, ut factum est in sequenti Concilio Constantiensi; alioquin Christus non satis providisset necessitati et securitati suae Ecclesiae. » Porro *Alexander V* (qui in suo successore Ioanne XXIII ut legitimus Papa habitus est a Concilio Constantiensi) Concilium tum in ipsa celebratione confirmavit, tum in Diplomate Bononiae dato oecumenicum declaravit, istudque Ecclesiae Galliarum, Angliae, Lusitaniae, Germaniae, Pannoniae, Poloniae, regnorum septentrionalium, et pleraeque Italiae receperunt. Vix igitur de oecumenicitate huius concilii dubitare licet. Quod vero schisma extinctum non fuerit, vitio contendentium accidit, et universalitati Concilii tam parum obest, quam quod in aliis Conciliis oecumenicis haereses in illis confixae penitus eradicatae non fuerint.

XVII. *Concilium Constantiense* anno 1414 a *Ioanne XXIII* inchoatum, et anno 1418 sub *Martino V* finitum est, imperante *Sigismundo*. Concilio huic

(1) Tract. de Fide, diss. 5, a. 5.

adfuerunt 29 Cardinales, 4 Patriarchae, 300 Episcopi et ingens numerus aliorum inferiorum Ecclesiae Praelatorum. — Sessioni primae et secundae praesedit *Ioannes XXIII*, sequentibus 39 aliquis ex Cardinalibus, et quatuor ultimis neo-electus *P. Martinus V*. Definitum est in hac Synodo Concilium generale esse supra Pontificem, quia illud potestatem immediate a Christo habet, « cui quilibet cuiuscunque status vel dignitatis, etsi Papalis existat, obedire tenetur. » Damnati sunt 45 articuli *Io. Wicleffi*, et 31 articuli *Ioan. Huss*, qui nolens resipiscere, cum suis libris crematus fuit: eandem sortem expertus est *Hieronymus de Praga*. — Pronuntiata est sententia depositionis in *Ioannem XXIII* qui sententiae acquievit, depositis Pontificalibus insignibus.—Resignatio *Gregorii XII* fuit acceptata. *Benedictus XIII* Antipapa omni auctoritate privatus, et sub gravissimis poenis vetitum est, ne quis ei adhaereret. Dein sess. 41 *Martinus V* Papa electus est, qui in ultima sessione dixit, « quod omnia et singula determinata, conclusa et decreta in materiis fidei per praesens Concilium conciliariter, tenere et inviolabiliter observare volebat... ipsaque sic conciliariter facta approbat, et ratificat, et non aliter, nec alio modo. » Quae in hoc concilio in materiis fidei contra errores Wicleffi et Hussii conclusa et definita sunt, a *Martino V* approbata, et ab omnibus Catholicis recepta fuerunt, ut ipse Bellarminus (1) testatur. Definitio autem, quod Concilium sit supra Papam, nunquam a Sede Romana admissa aut approbata, sed in Concilio Florentino et Lateranensi V reprobata fuit. *Martinus V* ea solum approbavit, quae acta sunt « conciliariter: » constat autem, praefatam definitionem ab iis solis emanasse, qui erant de obedientia *Ioannis XXIII* iisque non omnibus. Multi Praelati, qui serius advenerunt, sessioni quartae et quintae non interfuerunt, in quibus praefata definitio propalata fuit: imo, teste Card. *Turrecremata*, qui Concilio adfuit, eidem definitioni « aliae duae obedientiae, scilicet *Gregorii XII* et *Benedicti XIII* apertissima contradictione se opposuerunt, et eorum contradictio fuit acceptata. » Errant ergo, qui assertionem de pracemminentia Concilii supra Papam (absolute intellectam, et generaliter) ad decreta dogmatica Concilii oecumenici referunt. Melius tamen sentiunt illi, qui dicunt, Concilium locutum fuisse ***non absolute et generaliter***, sed *conditionate et restricte* de illa Synodo, quae celebratur tempore schismatis, quando scilicet nullus est Papa indubius, et solum declarasse, in tali casu quemlibet, etsi Papali dignitate praefulgeat, Concilio isti obedire teneri in his, quae ad fidem pertinent, et exstirpationem praesentis schismatis.

XVIII. *Concilium Basileense* anno 1431 iam a *Martino V* indictum, et ab *Eugenio IV* inchoatum, vivente adhuc *Sigismundo* Imp., postmodum in Conciliabulum degeneravit, quod usque ad annum 1442 continuatum fuit, quo ultima sessio 45 habita est. Primae sessioni Papa per Legatum suum praesedit; ast praevidens decreta Romanae Sedis privilegiis contraria, Legatum revocavit, et Concilium dissolvit. Ad sedandos autem ortos inde turbines *Eugenius IV* Bullas dissolutionis revocavit, Concilium generale declaravit, et Legatos suos misit, qui in sessione 16 anno 1434 recepti usque ad sessionem 25 anno 1437 manserunt, quo tempore multi ex Patribus discesserunt, et Ferra-

(1) L. 1 de Concil. c. 7.

riam perrexerunt, in quam urbem R. Pontifex Concilium convocavit. — Circa auctoritatem huius Concilii variae sunt sententiae. Plerique Theologi Italiae, Hispaniae et Germaniae docent, Concilium Basileense initio equidem fuisse legitimum; sed ubi primum *Eugenius IV* ei amplius non adhaesit, illud factum fuisse illegitimum, nec a *Nicolao V* fuisse confirmatum nisi in iis solis, quae definita fuerant circa beneficia et censuras ecclesiasticas; in aliis vero fuisse reprobatum tum ab *Eugenio IV*, ut testantur Patres Basileae sess. 38, tum a Conciliis Florentino et Lateranensi V in quo vocatur conciliabulum omni robore carens. Alii tamen istud usque ad sessionem 16 oecumenicum esse putant ob declarationem ab ipso *Eugenio IV* post revocatas priores Bullas factam. Alii cum *Tournely* oecumenicitatem Concilii usque ad 24 sess. inclusive extendunt, quia post hanc, multis abeuntibus, divisio Patrum facta est. Certum igitur est, Concilium Basileense oecumenicum non amplius fuisse, cum sess. 33 superioritatem Concilii supra Papam de fide credendam pronuntiavit, et dum sess. 36 decretum de Immaculata B. M. V. Conceptione edidit. Prior assertio, cui Legati Papae constanter restitere, a nullo R. Pontifice approbata fuit.

XIX. *Concilium Florentinum* anno 1438 sub *Eugenio IV*, et *Alberto II* Imp. ad unionem Graecorum cum Ecclesia Latina *Ferrariae* inchoatum, sed ob pestem quotidie ingravescentem *Florentiam* translatum, ibique anno 1439 absolutum fuit. Ipsi adfuerunt ex Occidentalibus *Eugenius IV*, Praeses, 8 Cardinales, 51 Episcopi, plures Abbates, Generales Ordinum, et Doctores; ex Orientalibus vero *Ioannes Palaeologus* Imperator, *Iosephus* Patriarcha CPtanus, *Basilius* Patr. Hieros., Vicarii Patr. Alex. et Antioch., multique Archiepiscopi et Episcopi. In hoc Concilio maximo Graecorum atque Latinorum consensu definitum est: 1° Quod Spiritus sanctus a Patre Filioque procedat, quodque particula, *filioque*, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate iure ac merito addita sit Symbolo; 2° Quod sive in azymo, sive in fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter conficitur, et quod sacerdotes debeant in alterutro ipsum Corpus Christi conficere, unusquisque scilicet iuxta suae sive Occidentalis, sive Orientalis Ecclesiae morem; 3° Quod animae in charitate decedentes, antequam dignis poenitentiae fructibus de peccatis commissis satisfecerint, poenis Purgatorii post mortem purgentur, eisque prosint vivorum suffragia; 4° Quod Rom. Pontifex in universum orbem teneat primatum, quod sit verus Petri successor et Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae Caput etc. Hisce definitionibus etiam Graeci, excepto *Marco Ephesino*, subscripserunt. Hoc Concilium oecumenicum esse, dubitari nullatenus potest. Legitime enim ab Eugenio IV convocatum fuit per decretum, cui etiam maior et sanior pars Praesulum Basileensium adhaesit. Omnium orbis christiani Provinciarum Episcopi, et quotquot de iure, vel consuetudine Conciliis Generalibus adesse poterant, per litteras encyclicas summi Pontificis convocati sunt, nullus exclusus. Synodo praefuit Eugenius ipse, omnia cum summa diligentia discussa sunt, cunctisque suffragiorum libertas concessa fuit. Eugenius speciali Constitutione declaravit, Concilium Florentinum « sacram esse universalem, seu oecumenicam Synodum... sicque ab omnibus reputari debere. » Multi Episcopi oc-

cidentales Concilio equidem non adfuerant, sed isti eiusdem Concilii definitiones consensu suo firmarunt. Nam, ait *Natalis Alexander* (1): «Florentina Synodus ratione dogmatum ab ea definitorum *Oecumenica* totius Ecclesiae catholicae consensu praedicatur: » et paulo inferius addit: « Quin hoc sensu, ratione scilicet dogmatum, Florentina Synodus sit universalis, nemini Catholicorum dubium est... Enimvero cur oecumenica et legitima non censeretur, cum ipsi conveniant characteres omnes, quibus legitimam, seu bene gestam Synodum *Gelasius I* delineat etc.? » — Ex historia certo constat, Concilium Florentinum ab Italis, Hispanis, Germanis, Anglis, Belgisque statim ut oecumenicum acceptatum fuisse: apud Gallos tantum nonnulli, qui auctoritati et definitionibus Concilii Basileensis nimis pertinaciter inhaeserunt, Florentinum Concilium ut generale profiteri renuerunt: sed plerique mox ad saniora consilia redierunt, ita ut etiam in Gallia praefatum Concilium tanquam oecumenicum communi consensu agnitum fuerit, quod testantur *Natalis Alex.* (2), *Bossuet* (3), *Tournely* (4) et alii. Quod attinet *Decretum pro Armenis*, et alterum *pro Iacobitis*, constat, utrumque editum fuisse, postquam Graeci iam abierant: idcirco haec decreta iuxta communem Theologorum sententiam partem Concilii oecumenici non constituunt; sed tamen magnae sunt auctoritatis, quia a summo Pontifice *Eugenio IV* congregatis adhuc multis Praelatis occidentalibus edita fuerunt, et a Catholicis ubique in magno honore habentur.

XX. *Concilium Lateranense V* anno 1512 sub *Iulio II*, et *Maximiliano* Imp. inchoatum, a *Leone X* continuatum, et anno 1517 absolutum fuit. Ad hoc Concilium undique vocati sunt Praelati omnes, sed ei interfuere 114 duntaxat, inter quos numerabantur 18 Cardinales, 2 Patriarchae, Antiochenus et Alexandrinus, cum pluribus aliis Doctoribus, et Ordinum Generalibus, quibus praefuit ipse *Iulius II* usque ad quartam sessionem, et ipso ad mortem aegrotante, quintae praefuit Cardinalis Ep. Ostiensis, caeteris vero *Leo X*. — In hac Synodo Conciliabulum Pisanum, anno 1511 a nonnullis Cardinalibus collectum, fuit reprobatum. Damnati sunt *asserentes, animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus et haec in dubium vertentes: cum illa non solum vere, et per se, et essentialiter humani corporis forma existat... verum et immortalis, et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, et multiplicata, et multiplicanda sit.* In eadem sess. 8 definitum est, *omnem assertionem, veritati illuminatae fidei contrariam, omnino falsam esse*, adeoque nihil verum esse posse in Philosophia, quod falsum sit in Theologia, et vicissim. In eadem Synodo actum est de pace inter Principes christianos componenda, et de expeditione contra Turcas promovenda. Montes pietatis fuerunt approbati. Lecta fuit Bulla pro pragmaticae sanctionis abrogatione, et huic nova concordata inter Papam et Regem Galliae substituta sunt. Hoc Concilium inter generalia et oecumenica merito recensetur, tum ob convocationem, praesidentiam, et confirmationem Rom. Pontificis, tum ob convocationem omnium Episcoporum, quamvis multi ex ipsis non comparuerint, tum denique ob eiusdem in Ecclesia catholica receptione.

(1) Hist. Eccl. t. 8, diss. 10, a. 1.

(2) L. c. (3) Defens. decl. Cleri Gall. l. 1, p. 1, c. 2 et 3. (4) T. 3 de locis theol.

In Gallia equidem hoc Concilium tanquam oecumenicum receptum non fuit· sed unius nationis, seu potius aliquorum in una natione dissensus, non ipsa dogmata, sed iura nationalia, seu res disciplinares concernens, reliquae Ecclesiae catholicae consensum infringere et enervare non valet.

XXI. *Concilium Tridentinum* anno 1545 inchoatum, et anno 1563 ad finem perductum est sub *Paulo III*, *Iulio III* et *Pio IV*, Rom. Pontificibus, et *Carlo V* ac *Ferdinando I* Imperatoribus. Celeberrimum hoc Concilium habitum est ad Lutheri, Calvini et aliorum Novatorum errores profligandos, et ad mores reformandos. Multa in hoc Concilio circa fidem, mores, et disciplinam tractata et definita fuerunt, quae hic recensere necesse non est, cum Concilium Tridentinum omnium manibus teratur. Istud autem *vere oecumenicum esse*, certissime constat. Legitime enim a summo Pontifice convocatum fuit, et debitum semper Praesidem habuit, nimirum Legatos Rom. Pontificis tunc Romae sedentis. Ipsi adfuerunt ex praecipuis totius orbis christiani provinciis Patres, numero 255 qui subscripserunt, nimirum 26 Cardinales, 25 Archiepiscopi, 168 Episcopi, 36 Absentium Procuratores, 7 Abbates, 8 Generales Ordinum, et plurimi alii magni nominis Doctores, et viri insignes. In quaestionibus sive fidei, sive morum, sive reformationis nunquam definitio lata fuit sine praecedenti maturo examine, in congregationibus tam particularibus, quam generalibus, ut refert *Pallavicinus*. In sessionibus Episcopi aliique quibus ius erat ferendi suffragium decisivum, suum de rebus propositis iudicium liberrime ferebant per verbum: *placet*; ubi nihil in decreto mutandum esse censebant: id ex actis Concilii, ex historia eiusdem, et ex eo quoque constat, quia nullus eorum, qui intererant, contra vim sibi illatam reclamavit. Et quoniam primis sessionibus non omnes aderant, cuncta, quae in illis circa fidem et morum reformationem statuta et definita fuerant, in ultima sessione publice praelecta, et omnium consensu approbata sunt. Porro *Pius IV* Concilium confirmavit Bulla singulari, qua illud recipi et ab omnibus observari mandatur. Denique Concilium Tridentinum in toto orbe catholico cum maxima veneratione receptum et acceptatum est, quod etiam ex variis Conciliis tum nationalibus, tum provincialibus elucet: et si in aliquibus regionibus nonnullae leges disciplinares Concilii Tridentini receptae non sunt, circa definitiones tamen fidei, et morum omnes Catholici consentiunt. Imo etiam *Graeci Schismatici* suum cum Concilio Tridentino consensum manifestarunt, dum anno 1672 primo in Synodo *CPtana*, et postea in *Hierosolymitana* Lutheri et Calvini errores damnarunt, et pleraque dogmata, contra Novatores in Concilio Tridentino definita, publice professi sunt.

Nota. Plurima in Ecclesia christiana habita sunt *Concilia particularia*, quorum definitiones ceu totidem fidei in peculiaribus illis regionibus, ex quibus convocata sunt, vigentis documenta recte considerantur. Quamvis autem per se infallibilia non sint, et etiam aberrare possint; generatim tamen loquendo magnae sunt auctoritatis, eorumque decreta infallibilia redduntur, si a Rom. Pontifice approbata, et ab universa Ecclesia recepta fuerint, quod iam probatum est in Theol. gen. § 231. Nimis laboriosum esset, cuncta Concilia particularia hic recensere, quorum nu-

merus usque ad 2000 extenditur. Praecipua, quae in causis fidei contra haereticos habita sunt, ab historiae ecclesiasticae scriptoribus enumerantur, et in decursu Theologiae dogmaticae referentur. Variae etiam *Conciliorum Collectiones* in lucem prodierunt, inter quas eminent illae, quas *Binius*, *Harduinus*, *Labbeus*, et *Io. Dom. Mansi* concinnarunt. Caeterum illi, cui citatae Collectiones magnae praesto non sunt, satis proficua erit *Barth. Carranza Summa Conciliorum* aucta, et in 4 tomos distributa a *P. Dom. Schram O. S. B.* (1).

IV. *De Rom. Pontificum definitionibus.*

§ 24. Rom. Pontifex tanquam supremus agnorum et ovium Pastor, ac universae Ecclesiae Rector sollicite invigilare tenetur, ut lupi a grege arceantur, errores praecaveantur, et Christi doctrina pura conservetur. Gravissimum hoc officium Petri successores fideliter semper impleverunt, dum emergentibus erroribus se fortiter opposuerunt, atque editis Bullis, seu Constitutionibus ad universam Ecclesiam directis, heterodoxe sentientes condemnarunt, et orthodoxam doctrinam definierunt. Quantae auctoritatis sint huiusmodi definitiones, in Theol. gen. § 230 ostensum est. Solidissimae enim rationes, ex S. Scriptura, ex Ss. Patribus et ex Historia petitae, et celeberrimorum Theologorum unanimi fere consensu firmatae probant, definitiones dogmaticas R. Pontificis ex cathedra loquentis per se iam infallibiles esse. Quamvis autem id de fide definitum non sit, omnes tamen admittunt, illas maximae esse auctoritatis, neque licitum esse contrarium dogmatizzare. Denique iuxta principia catholica omnino certum est, praefatas Rom. Pontificis definitiones infallibilis et irrefragabilis esse auctoritatis, si iisdem Episcoporum, seu Ecclesiae dispersae consensus accesserit. Ex his satis patet, in quanto honore Rom. Pontificum definitiones, in causis fidei editae, habendae sint, a quibus nec latum unguem in Theologia dogmatica recedere licet. Haud supervacaneum igitur est, ut praecipuae R. Pontificum Bullae, seu Constitutiones, post Concilium Tridentinum in causis fidei editae, breviter recenseantur.

I. *Pius V* anno 1567 Bullam edidit, in qua 79 propositiones *Baii*, varios errores circa liberum hominis arbitrium, gratiam divinam, charitatem, meritum bonorum operum etc. continentes in globo damnavit, in fine pronuntians: « Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent, in rigore, et proprio verborum sensu ab assertoribus intento haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes, respective.... praesentium auctoritate damnamus etc. » Haec Bulla magno Episcoporum consensu recepta fuit, ipseque Baius pontificiae sententiae se subiecit. Succedentibus annis, cum in Belgio essent, qui causarentur, supposititiam esse Pii V Bullam: declaravit *Gregorius XIII* authenticam esse; rursus in omnibus morem gerente *Baio*, qui vita excessit anno 1580.

II. *Innocentius X* anno 1653 Bullam promulgavit, in qua quinque propositiones damnavit excerptas ex *Iansenii* Episcopi Iprensis, tunc iam defuncti, libro, qui inscribitur: *Augustinus*. Singulis propositionibus competens censura adnexa est; legitur

(1) Augustae Vind. 1776.

enim in Bulla 1am praedictarum propositionum: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant: » *temerariam, impiam, anathemate damnatam, et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.* 2am: « Interiori gratiae, in statu naturae lapsae, nunquam resistitur: » *haereticam declaramus, et uti talem damnamus.* 3am: « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione: » *haereticam declaramus, et uti talem damnamus.* 4am: « Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: » *falsam, et haereticam declaramus, et uti talem damnamus.* 5am: « Semipelagianum est dicere, Cbristum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse: » *falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, et haereticam declaramus et uti talem damnamus.* Haec Bulla in toto orbe catholico promulgata ab Episcopis magno applausu acceptata est. Imo quamvis in Belgio et in Galliis nonnulli Iansenii fautores extiterint, qui satis frivole, temerarie et pertinaciter contenderent, iu libro Iansenii indigitatas propositiones non contineri, in istarum tamen damnatione omnes Catholici consenserunt.

III. *Clemens XI* anno 1713 in celebri Bulla *Unigenitus*, moralem Novi Testamenti expositionem a *Paschasio Quesnello* exaratam reprobavit, et 101 propositiones eiusdem, virus iansenianum, aliosque errores continentes, *in globo* et *respective* damnavit. Haec Bulla in Italia, Hispania, Lusitania, Belgio, Germania, Hungaria, Polonia, etc. unanimi Episcoporum consensu acceptata fuit. Quantum ad Galliam, ubi quaestio mota est, 110 Episcopi hanc Constitutionem acceptarunt, decem recusarunt, et quatuor tantum ad futurum Concilium generale appellarunt. Recte itaque dicitur, praefatam Bullam extraconciliari totius Ecclesiae consensu confirmari, atque ideo ab ipsa ad Concilium generale appellare, non esse nisi appellare ab Ecclesia ad Ecclesiam. Nonnulli equidem Bullam *Unigenitus* idcirco tanquam fidei regulam agnoscere recusant, quia in ipsa non exprimitur, quaenam censura in quamlibet propositionem cadat; oportet autem, aiunt, regulam fidei certam esse, atque fixam. — Ast errant, qui ita sentiunt, et exinde inferunt, licitum esse Bullae adversari. Quamvis enim propositiones in globo damnatae, et multiplicis generis censurae expressae sint, haec ipsa tamen damnatio sufficit, ut credamus, nullam esse propositionem, super quam non cadat aliqua censura, nec ullam esse censuram, quam non mereatur aliqua propositio, uno verbo, omnes has propositiones esse defectuosas, et nullam posse sustineri: hoc autem obiectum est fixum et determinatum. « Sit paritas, ait Cl. *Billuart:* medicus expertissimus et fide dignus monet convivas, omnia fercula convivii esse venenata, non explicando qualitatem veneni, quod cuique ferculo competit, an sit frigidum, an calidum, an statim necans, causans languorem

etc., obiectum fidei humanae in convivis est, quod haec fercula sint vitiata et vitanda; et hoc sufficit, ut nullus ex eis quidquam degustet, nec multum curabunt inquirere de qualitate venenorum. Similiter in nostro casu: Ecclesia non exigit, quod credam, aut dicam, hanc propositionem esse haereticam, illam malesonantem, istam scandalosam etc., sed solum, quod habeam omnes ut defectuosas et iure damnatas, quarum nullam ideo possim susfinere (1). » Merito igitur Bulla *Unigenitus* tanquam regula fidei praedicatur, quoniam per illam edocemur, a quibus propositionibus rectae fidei, seu orthodoxae doctrinae adversantibus abstinendum sit. Ideo in *Concilio Romano*, anno 1725 sub *Benedicto XIII* habito (2), dicitur: « Ab omnibus Episcopis et animarum Pastoribus tota, ut hactenus sollicitudine curandum est, ut Constitutio a S. M. *Clemente XI* edita, quae incipit: *Unigenitus*, *quamque nostrae uti eiusdem fidei regulam*, *agnoscimus*, ab omnibus cuiuscunque conditionis et gradus, omnimoda ac debita obedientia, et executione observetur. » Perperam nonnulli clamitant, verba, quibus praedicta Bulla uti regula fidei declaratur, non a Concilio prolata, sed ab uno tantum Episcopo, qui erat a secretis, addita fuisse: talis enim interpolatio certis argumentis probari nequit, et sub oculis vigilantissimi Pontificis vix possibilis fuisset: immo si admitteretur, quod praedicta verba soluto iam Concilio addita fuerint, omnino dicendum foret, tum summum Pontificem, tum reliquos Episcopos, qui Concilio aderant, in illa consensisse, cum alias certe contra interpolationem reclamassent. Quanta sit eiusdem Bullae auctoritas, commonstrat etiam *Benedictus XIV* in sua Encyclica anno 1757 ad Cardinales, et Theologos Praeneste congregatos directa, in qua ita loquitur: « Tanta est profecto in Ecclesia Dei auctoritas apostolicae Constitutionis, quae incipit *Unigenitus*, eademque sibi tam sinceram venerationem et obedientiam ubique vindicat, ut nemo fidelium possit absque salutis aeternae discrimine a debita erga ipsam subiectione se subducere aut eidem ullo modo refragari. » Notandum porro est in praefata Bulla nonnullas propositiones damnari, quae iisdem fere terminis in Ss. Patribus, praecipue in *S. Augustino*, inveniuntur, et a Theologis quoque catholicis, praesertim ab Augustinianis et Thomistis publice in scholis traduntur et defenduntur. Neque defuerunt, qui contenderent, plures scholae Augustinianae et Thomisticae sententias in citata Bulla damnatas esse. Ast invidis hisce accusationibus ipse summus Pontifex *Clemens XI* obviavit, et anno 1718 in Litteris apostolicis, quae incipiunt: *Pastoralis officii*, declaravit neminem ignorare debere « sententias illas et doctrinas, quae palam et libere in catholicis scholis etiam post editam memoratam Constitutionem *Unigenitus*, docentur atque defenduntur, minime fuisse proscriptas. » Propositiones igitur, quae, si verborum tenor spectetur, catholicarum scholarum sententiis affines videntur, censendae sunt damnatae in sensu a Quesnellio et a Iansenistis intento, non autem in sensu, quo a Theologis catholicis similes sententiae traduntur et defenduntur. Magni idcirco momenti est, ut recte cognoscatur, quo sensu Quesnellianae propositiones damnatae sint: huic fini sequentia opera inserviunt: *P. Dom. Viva S. I.* Trutina theologica tom.

(1) Tract. de fide, diss. 3, a. 7 in fine.

(2) Tit. 1, c. 2.

2, P. 4. Quesnellianae theses a P. Clemente XI confixae (Beneventi, anno 1721). *P. Pauli a Lugduno* Capuccini: Analyse de cent et une propositions du noveau Testament du P. Quesnel (Lyon 1715). *Billuart*, Le Thomisme vengé de sa prétendue condemnation par la Constitution *Unigenitus*.

IV. *Pius VI* in celebri Bulla, quae incipit: *Auctorem fidei*, anno 1794 edita, Conciliabulum Pistoriense anno 1786 habitum reprobavit, in quo varii errores circa Ecclesiae potestatem, circa conditionem hominis in statu innocentiae, in statu naturae, et sub lege, circa gratiam et charitatem, circa sacramenta, circa disciplinam ecclesiasticam etc., proponebantur. Summus Pontifex 85 propositiones, seu doctrinas huius Conciliabuli ita damnavit ut singulis propositionibus, seu doctrinis congruentes censuras apponeret. Haec pontificia Constitutio ab orthodoxe sentientibus magno consensu et applausu acceptata fuit, et tanquam firmum contra varios recentiorum temporum errores propugnaculum in magno honore habenda est.

Nota. Praeter Bullas indicatas, quae pleno iure dogmaticae dicuntur, multa alia Rom. Pontificum decreta prodierunt, quae a Theologo tum cognoscenda, tum in docendo atque agendo probe observanda sunt. Huc spectant propositiones a Sede apostolica damnatae. Sic *Alexander VII*, partim anno 1663, partim anno 1666, *quadraginta quinque propositiones* ad minimum tanquam scandalosas damnavit, easque docere prohibuit sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, ac summo Pontifici extra articulum mortis reservatae. Eodem modo *Innocentius XI* anno 1679 damnavit *sexaginta quinque propositiones*: sed tum istae, tum illae praecipue doctrinam practicam, seu moralem respiciunt, et ideo ab illis, qui hanc disciplinam pertractant, passim referuntur. Idem fere dicendum est de sequentibus pontificiis decretis, contra heterodoxas propositiones editis, inter quas autem nonnullae ad Theologiam theoreticam pertinent, et in huius pertractatione probe attendendae sunt. Idem nimirum *Innocentius XI*, anno 1687, *sexaginta et octo propositiones Michaëlis Molinos* damnavit tanquam haereticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, christianae disciplinae relaxativas et eversivas, respective. *Alexander VIII*, anno 1690, *duas propositiones* damnavit, primam ut haereticam, secundam ut scandalosam, temerariam, erroneam, etc., et in fine eiusdem anni damnavit *propositiones triginta et unam* tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, iniuriosas, haeresi proximas, haeresin sapientes, erroneas, schismaticas, haereticas respective. *Innocentius XII* anno 1699 *viginti tres propositiones Fenelonii* damnavit tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respective. Magni porro momenti pro qualibet disciplina theologica sunt, quae doctissimus P. *Benedictus XIV* in suis Constitutionibus caeterisque operibus docuit, et quae alii Pontifices contra varios recentioris aevi aberrantes pronuntiaverunt, e. g. *Gregorius XVI* contra *G. Hermes*, *La Mennais*, etc.

V. *De symbolis, libris symbolicis, et liturgicis.*

§ 25. Formulae ad praecipuarum Religionis christianae veritatum professionem Ecclesiae auctoritate praescriptae, ***Symbola*** nominantur; sicuti

enim olim symbola dicebantur signa illa, quibus milites ab hostibus dignoscebantur, ita in Ecclesia christiana Symbolum est signum, seu tessera, qua distinguuntur fideles ab infidelibus. Exinde facile colligi potest Symbola maximae esse auctoritatis ad Traditionem, seu unanimem fidem Ecclesiae ostendendam; in illis enim praecipua dogmata breviter proponuntur, quae omnes credere et profiteri tenentur. Symbola autem universalis Ecclesiae auctoritate edita sunt sequentia:

I. *Symbolum Apostolicum* certe antiquissimum est, primis iam saeculis in Ecclesia pervulgatum. Neque dubitari potest, duodecim fidei articulos, ex quibus Symbolum constat, ab Apostolis traditos fuisse. Sunt etiam, qui dicunt, Apostolos, antequam ad praedicandum in universo orbe Evangelium dispergerentur, Hierosolymis congregatos hoc Symbolum quoad ordinem quoque et formam, qua recitatur, condidisse. Id testatur *S. Irenaeus* (1) scribens: Apostoli « in mundum universum dispergendi in unum coacti antequam abirent, tesseram illam fidei unanimem et concordem fidelibus describere voluerunt. » *Ruffinus* (2) inquit: « Apostoli discessuri, invicem normam sibi prius futurae praedicationis in commune constituunt, ne forte alii alio deducti diversum aliquid his qui ad fidem Christi invitantur, exponerent: omnes igitur in uno positi et Spiritu sancto repleti futurae sibi, ut diximus, praedicationis indicium in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. » *S. Leo M.* (3) scribit: « Siquidem ipsius catholici Symboli brevis et perfecta confessio, quae duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione coelesti, ut omnes haereticorum opiniones solo ipsius possint gladio truncari. » Recte tamen dicitur, Symbolum ab Apostolis non fuisse scriptum, sed oretenus tantum compositum, et per oralem institutionem cordibus et memoriae fidelium commendatum. Id quoque Ss. Patres innuere videntur. Nam *S. Hieronymus* (4) dicit: « Symbolum fidei et spei nostrae, quod est ab Apostolis traditum, non scribitur in charta aut atramento, sed in tabulis cordis carnalibus. » et *S. Petrus Chrysologus* (5) ait: « Symbolum fidei sola fide firmatur, non litterae sed spiritu credituri, et mandatur cordi, non chartae: » et quia Symbolum non fuit ab Apostolis scripto, sed ore tantum traditum, ideo non habetur ut pars S. Scripturae canonicae, et de illo Apostoli in suis scriptis mentionem non fecerunt. — Notandum porro est, Symbolum Apostolicum in nonnullis Ecclesiis particularibus, praecipue in Oriente, modicas quasdam mutationes subiisse, et ex diversis verbis modo paucioribus, modo pluribus constare. Ideo iam Sancti Patres monuerunt, Symbolum ita esse recitandum, prout recitatur in Ecclesia Romana. *S. Ambrosius* (6) ait: « Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana integrum semper custodit et servat. » *Ruffinus* (7) ita loquitur: « Priusquam incipiam de ipsis sermonum virtutibus disputare, illud non importune commonendum puto, quod in diversis Ecclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adiecta. In Ec-

(1) L. 1, adv. haer. c. 2.
(2) In praef. expos. Symboli ad Laurent.
(3) Ep. 13 ad Pulcheriam Augustam.
(4) Ep. 61 ad Pammach. (5) Serm. 62.
(6) L. 10, epist. 81 ad Siricium.
(7) In expositione Symboli.

clesia tamen Urbis Romae hoc non deprehenditur factum: quod ego propterea esse arbitror, quod neque haeresis ulla illic sumpsit exordium... In caeteris autem locis quantum intelligi datur, propter nonnullos haereticos addita quaedam videntur, per quae novellae doctrinae sensus crederetur excludi (1). »

II. *Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum* ex duobus Conciliis generalibus originem traxit. Nam in Concilio Nicaeno I contra Arianos ea definita et adaequatis verbis in Symbolo expressa fuerunt, quae Divinitatem Filii ostendunt; et in Concilio Constantinopolitano I contra Macedonianos ea Symbolo addita sunt, quae Divinitatem Spiritus sancti commonstrant.—Sicuti Symbolum Apostolicum ordinatur ad fideles ab infidelibus distinguendos, ita per Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum Catholici ab Arianis, Macedonianis, et aliis huius furfuris haereticis distinguuntur.—Isti Symbolo serius addita est vox *Filioque* contra illos, qui falso asserebant, Spiritum sanctum a solo Patre procedere: ideo Ecclesia ordinavit, ut in Symbolo de Spiritu sancto diceretur: *Qui a Patre Filioque procedit:* et hanc additionem ipsi Graeci in Conciliis oecumenicis Lugdunensi I et Florentino approbarunt. —In Missa solemni non canitur Symbolum Apostolicum, sed Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum; cuius rei rationem reddit *S. Thomas*, qui (2) ita disserit: « Symbolum Patrum (Nicaeno-Constantinopolitanum) est declarativum Symboli Apostolorum, et etiam fuit conditum fide iam manifestata, et Ecclesia pacem habente, propter hoc publice in Missa cantatur; Symbolum autem Apostolorum, quod tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata, occulte dicitur in Prima et in Completorio, quasi contra tenebras errorum praeteritorum et futurorum. »

III. *Symbolum Athanasianum* doctrinam catholicam de mysterio SS. Trinitatis et de Incarnatione dominica clarissime proponit. Haec professio fidei non solum contra Sabellianorum et Arianorum, sed etiam contra Nestorianorum et Eutychianorum errores ordinatur. Hoc Symbolum saeculo nono et sequentibus *S. Athanasio* in Ecclesia Latina et Graeca adscriptum fuit; sed recentiores Critici illud *S. Athanasio* abiudicant, quia in antiquis manuscriptis operum S. Athanasii non invenitur, quia a coaevis et proxime sequentibus scriptoribus non commemoratur, imo neque a S. Cyrillo Alex. et Concilio Ephesino contra Nestorium, neque a S. Leone M. et Concilio Chalcedonensi contra Eutychianos citatur, quia latinum prodit auctorem etc. Ideo plerique putant, huiusce Symboli auctorem fuisse *Vigilium Tapsensem* celebrem saeculi V in finem vergentis Episcopum, cui erat familiare opuscula exarare, atque ea antiquis illustribus Patribus adscribere (3). Ostendit tamen Cl. *Berti* (4), recentiorum Criticorum argumenta adeo certa non esse, ut rem penitus evincant, et sententiam eorum, qui Symbolum S. Athanasio adscribunt, non inanibus positivis rationibus inniti, et probabilem dici posse (5).—Quisquis autem sit huius Symboli auctor, certum est, illud iam a multis saeculis ab Ecclesia Latina et Graeca in maximo honore haberi, et ex Ecclesiae mandato etiam in pu-

(1) Cf. Billuart tr. de fide, diss. 1, a. 7, § 2, Digressio I hist.

(2) 2 2, q. 1, a. 9.

(3) Vid. Natal. Alex. saec. 4, c. 4.

(4) De disc. theol. l. 8, c. 8.

(5) Cf. Viat. a Cocaleo Tentam. theol. schol. t. 3, diss. 4, c. 6.

Digitized by Google

blico officio divino recitari. Recte igitur hoc Symbolum tanquam publicum Ecclesiae documentum in Theologia dogmatica citatur.

IV. *Symbolum Concilii Lateranensis IV*, quod legitur in actis Concilii, cap. 1, et incipit: *Firmiter credimus, et simpliciter confitemur* etc., varia dogmata definit et explicite profitetur, quae impiae novorum Manichaeorum, seu Albigensium, et aliorum illius temporum haereticorum erroribus opponuntur. Auctoritas huius Symboli ex auctoritate Concilii oecumenici, in quo conditum fuit, recte infertur.

V. *Symbolum Tridentinum* est illa professio fidei, quam anno 1564 *Pius IV* ex Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano, atque decretis Concilii Tridentini contra Lutheri, Calvini et aliorum Novatorum errores composuit et edidit. Hanc professionem emittere tenentur qui ad Episcopatum evehuntur, qui ecclesiasticas dignitates, vel beneficia obtinent, qui publice vel privatim Theologiam, Ius canonicum, aut Philosophiam docent, et alii quoque iuxta decreta Concilii Romani sub *Benedicto XIII* habiti (1). — Haec fidei professio, quamvis non in ipso Concilio Tridentino exarata fuerit, maximae tamen est auctoritatis, quoniam ea tantum continet, quae in vera Christi Ecclesia semper credita, et a Conciliis oecumenicis, praecipue a Tridentino, definita sunt; ipsaque maxime accommodata est ad Catholicos a Protestantibus distinguendos.

2. Symbolis recte adiunguntur *libri symbolici* seu *Catechismi*, in quibus pro instructione fidelium ea explanantur, quae a Deo revelata sunt, et ab Ecclesia ad credendum proponuntur. Libri huiusmodi, si ab Episcopis approbati, et pro suis dioecesibus praescripti fuerint, et ab animarum pastoribus in publica instructione passim adhibeantur, de fide tum Episcoporum, tum fidelium sat luculentum testimonium ferunt. Catechismus porro eo maioris est auctoritatis, quo plures sint Episcopi, a quibus fuit approbatus, et pro usu publico praescriptus; maxima vero illi accedit auctoritas, si ab ipsa Sede Apostolica approbatus fuerit, et summorum Pontificum, aut Concilii cuiusdam generalis auctoritati innitatur. Hinc patet, quid *de Cathechismo Romano* sentiendum sit. Hic equidem post Concilium Tridentinum confectus et editus, nunquam a summis Pontificibus pro usu publico stricte praescriptus fuit, quamobrem auctoritati Symbolorum et definitionum summorum Pontificum ac Conciliorum generalium coaequari nullatenus potest. Dubitare tamen non licet, Catechismum Romanum maximae esse auctoritatis, quia ex decreto Concilii Tridentini compositus est, et quidem a Patribus delectis a Concilio, et qui interfuere Concilio, et quos Concilium existimabat doctrinam a se discussam intellexisse; quia auctoritate *Pii V* et *Gregorii XIII* editus et promulgatus fuit; quia vigintiduo Concilia provincialia, Sedis Apostolicae auctoritate confirmata, illum tanquam legitimum Concilii Tridentini foetum approbarunt et commendarunt, et quia a celeberrimis Theologis magnis elatus encomiis, a Catholicis ubique locorum in magno honore habetur. Ex his recte infertur, Catechismum istum doctrinam omnino catholicam, nec ulla omnino ratione erroneam, vel suspectam, aut aliquatenus inter ordinem orthodoxiae improbabilem continere, et illius lectionem tum ob puritatem atque claritatem doctrinae, tum ob elegan-

(1) Tit. 1, c. 1.

Digitized by Google

tiam styli Theologis nunquam satis commendari posse (1).

3. Ad libros publica Ecclesiarum auctoritate editos pertinent etiam *liturgici*, in quibus modus praescribitur, in publico Dei cultu, praecipue in Eucharistici Sacrificii oblatione observandus (v. Th. gen. § 199, n. 4). « Maximi faciendam esse auctoritatem sacrae Liturgiae, ait Cl. *Perrone* (2), eamque habendam uti testem omni exceptione maiorem Traditionis et Ecclesiae fidei, is solus inficias iverit, qui non adverterit in illa Ecclesiarum omnium exhiberi vocem, ac testimonium, Episcoporum, Presbyterorum, et plebis ipsius suffragia, leges, ritus, effata, dogmata. Si quid propterea occurrerit omnium liturgiarum consensu firmatum, velut Ecclesiae ipsius testimonium spectari debet. » Quamvis autem unum idemque incruentum Sacrificium, et quoad essentialia eodem semper modo in Ecclesia catholica oblatum fuerit, quoad accidentalia tamen varii in variis locis modi seu ritus pro Missae celebratione praescripti, et ab Episcopis ac Presbyteris observati sunt. Ita multiplices Liturgiae exortae sunt. In Occidente omnium celeberrima est *Liturgia Romana*, deinde vero *Gallicana*, *Hispanica*, seu *Mozarabica* et *Gothica*. In Oriente principem locum sibi vindicat *Liturgia Iacobi* omnium antiquissima, quaeque in usu fuit penes plerasque orientales Ecclesias, et adhuc in pluribus viget; deinde veniunt *Liturgiae Graecae*, quae a *S. Cyrillo*, *S. Basilio* et *S. Chrysostomo* nomen habent et *Liturgia Armena*. In his Liturgiis luculentissima testimonia inveniuntur de mysterio Trinitatis, et in specie de divinitate Filii, et Spiritus sancti, de Incarnatione, de perpetua virginitate Mariae, de peccati originalis propagatione, de necessitate et efficacia Gratiae, de reali Christi in Eucharistia Praesentia, de Transsubstantiatione, de Purgatorio et suffragiis pro defunctis, de cultu et invocatione Sanctorum, et de aliis summi momenti veritatibus revelatis. Istae igitur Liturgiae in Theologia dogmatica magna emolumenta afferunt ad perpetuam Ecclesiae traditionem et fidem commonstrandam, quod egregie ostendit *Zacharias* in Dissert. de Liturgiarum in rebus theologicis usu. Idem dicendum est de *Ritualibus*, et *Sacramentariis*, in quibus modus praescribitur N. L. Sacramenta administrandi: ex istis libris tum Sacramentorum numerus, tum eorundem materia, forma, minister, effectus, etc. optime probari possunt. Celebre est Sacramentarium *Leoni M.* tributum ap. Murat. (3) et Sacramentarium *Gelasianum* editum a Card. Thomasio: alia vetusta Ecclesiarum orientalium et occidentalium Ritualia et Sacramentalia apud alios scriptores inveniuntur (4).

VI. *De Philosophis et Historicis.*

§ 26. 1. De usu rationis in Religionis revelatae et Theologiae negotio iam in Th. gen. P. III, sect. II actum est. Quod si in nulla disciplina theologica philosophiam penitus negligere licet, id praecipue de Theologia theoretica dicendum est, quae tum ad dogmata apte disponenda, clare explicanda et solide comprobanda, tum ad eadem contra adversarios strenue defendenda studio philosophico

(1) Cf. Fr. Ant. Reginaldi dissert. de auctoritate Catechismi Romani, Mohler Symbolic. Introd. 2, n. 2.

(2) De loc. Theol. p. 2, sect. 2, c. 2, § 4.

(3) De rebus litur̃g.

(4) Cf. Edmund. Martenium, de antiquis Ecclesiae ritibus; Renaudotium, La perpétuité de la foi de l'église catholique sur les Sacrements; Chardon, Hist. des Sacr.; Binterim, Denkwürdigkeiten der Christkath. Kirche.

maxime indiget. Praeclare id ostendit *M. Canus* (1) Patrum auctoritati innixus, et statim ab initio ait: « *Clemens Alex.* (2) — multas causas affert, cur Philosophia Theologo sit necessaria. Unam ad Philosophos edocendos; simili enim edocemur simile. Sicut ergo Apostolus Hebraeis Hebraeus factus est, atque adeo omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret: ita Theologiae Professor fiat necesse est, Philosophus Philosophis, ut hos convenientius faciliusque lucretur. Exhibenda enim cuique sunt, quae ei conveniunt, et quae sunt familiaria, ut per propria ad fidem perveniat veritatis. — Alteram affert ad refellendos sophistas. Nam quo pacto fallaces Philosophorum argutias refutare possumus, nisi arguendi et refellendi artem persequamur? — Tertiam, quod varia ac multiplex praeceptoris doctrina et delectat, et admirationem affert, atque adeo auditores captat. Quod varie item multiformi argumento suadetur, id firmius haeret animis discipulorum. Apostolus quoque docere se ait *in omni sapientia*, *ut exhibeat omnem hominem perfectum in Christo*(3). *In omni*, inquit, *sapientia*, hoc est, divina et humana, ut cuiusvis generis homines afficeret, perficeretque in Christo. *Astitit* praeterea *Regina a dextris Christi*, *circumdata varietate* (4) etc. » Recte idcirco studium philosophicum inter Theologiae subsidia reponitur (Cf. Th. gen. § 11). Valde igitur conveniens est, ut Theologus varia Philosophorum systemata cognoscere satagat, et saltem magis celebria et utilia ipsorum opera pervolvat. Quamvis enim Philosophi divinae Revelationis lumine destituti multa ignoraverint et in pluribus graviter aberraverint; tamen in eis scintillarunt quandoque non pauci veritatis radii, lumine illo vultus divini signato super omnes praeclaras, interdum boni malique notitias imprimente. Si ergo non pauca, quae rationabiliter, sapienter, erudite locuti sunt, habent divina sapientia, quam effudit Deus super omnia opera sua; iustum est, ut quae in scriptis eorum velut gemmae in luto veritates latent, in Dei sapientiae gloriam usurpentur, sine qua omnis cognitio vanitas et delirium est. — Inter Philosophos ethnicos eminent *Pythagoras*, *Zeno*, scholae stoicae auctor, *Plato*, et *Aristoteles* Peripateticorum parens. Postremorum duorum principia nosse valde proficuum est, tum ut opera Patrum, qui Philosophiae platonicae adhaeserunt, et scholasticorum, qui Aristotelem secuti sunt, facilius intelligantur, tum ut haereticorum, praecipue Gnosticorum, errores accuratius cognoscantur. Nonnulli enim caeco affectu Philosophorum scholis nomen dantes, veras falsasque eorum doctrinas amplectentes, ipsaque dogmata revelata iuxta illorum placita modulantes in gravissimos errores et nefarias haereses prolapsi sunt: e contra Ss. Patres quae vera bonaque in Philosophis invenerunt, sapienter adoptarunt, quae vero falsa et doctrinae revelatae adversa cognoverunt, non solum reiecerunt, sed et strenue confutarunt. Horum exempla secuti scholastici, divinae Revelationi tanquam primario et infallibili veritatis fonti immote inhaerentes, philosophiam peripateticam in hunc tantum finem adhibuerunt, ut doctrinam revelatam scientifico modo pertractarent, non autem ut illam corrumperent. Eodem modo Theologi semper procedere, et dum Philosophorum libros pervolvunt, dictum Apostoli attendere debent: *O-*

(1) L. 9, c. 5. (2) L. 1 Strom.

(3) Col. 1, 28. (4) Ps. 44, 10.

mnia probate, quod bonum est, tenete(1). Caeterum necesse est, ut Theologus etiam illorum Philosophorum primaria principia et systemata cognoscat, qui Revelationi adversantur, eamque variis modis impugnant; secus enim eorum obiectiones rite intelligere et adaequate refellere non potest, quod praecipue de recentioribus Philosophis *Kant*, *Fichte*, *Schelling*, *Hegel*, etc. dicendum est, in quorum fallacibus argutiis solvendis et erroribus confutandis Theologus occupari tenetur (Cf. Th. gen. § 307, n. 2).

2. Historia praesertim ecclesiastica Theologo non solum utilis, sed et necessaria est (v. Th. gen. § 10). Ex ista nimirum mira Dei in conservanda et regenda Ecclesia providentia clare elucet: ipsa porro nobis ostendit tum non interruptam Episcoporum, praecipue Rom. Pontificum seriem, tum impium haereticorum doctrinam catholicam impugnantium agmen, tum viros doctrina, et sanctitate conspicuos, qui doctrinam orthodoxam scriptis suis et defenderunt et illustrarunt, tum Concilia ad dogmata definienda et disciplinam perficiendam habita, tum plurima facta et Ecclesiarum consuetudines, ex quibus dogmata catholica confirmantur: generatim historia ecclesiastica nos edocet, quid semper, quid ubique, quid ab omnibus creditum sit. Recte igitur *M. Canus* (2) dicit: « Cum ad has multas res Theologo perutiles sint Historiarum libri, studiose profecto ab eo legendi sunt, ne turpiter in rebus ad se maxime pertinentibus erret, eaque ignoret, quae ignorari non sine imprudentia modo, sed ne sine imperitia quidem possunt. Historia quippe, ut Cicero verissime dixit, tum magistra vitae est, tum lux etiam veritatis. » Ad determinandam autem historiae auctoritatem, idem *M. Canus* tres canones statuit: I. « Praeter auctores sacros nullus historicus certus esse potest, id est, idoneus ad faciendam certam in Theologia fidem. » Recte tamen nonnulli observant, etiam unius scriptoris testimonium certitudinem parere posse, si sit testis omni exceptione maior, singulari dexteritate et sinceritate pollens, praecipue si factum publicum gravis momenti cum talibus circumstantiis referat, quae non potuerint confingi, et a nemine fuerint falsitatis reprehensae. II. « Historici graves, quales nonnulli in ecclesiasticis et in saecularibus fuere, probabile argumentum Theologo suppeditant, cum ad ea, quae sua sunt, corroboranda, tum ad falsas adversariorum opiniones refellendas »... « Si namque in ore duorum vel trium stat omne verbum, cur adversus hanc legem pluribus testibus rem eandem olim gestam contestantibus fidem Theologus abrogabit? » III. « Si omnes probati ac graves historici in eandem rem gestam concurrant, tunc ex horum auctoritate certum argumentum promitur, ut Theologiae dogmata firma etiam ratione probentur: » omnem enim fidem historicam e medio tollere deberet, qui tot tantisque testibus credere recusaret. — Ipsi Protestantes agnoverunt, quanti momenti sit historia in rebus theologicis, quapropter illam corrumpere tentarunt, quod Centuriatores Magdeburgenses aliique praestitere. Sed Catholici, sanae criticae regulis insistentes, illorum fallaces argutias detexerunt, errores confutarunt, et egregia opera historica elucubrarunt. Inter haec Theologis commendari praecipue merentur *Baronii* Annales cum critica *Ant. Pagii*, et *Raynaldi*, ac adnot. *Mansi*.

(1) I Thess. 5, 21. (2) L. 11, c. 2.

Historia eccles. *Natalis Alexandri* cum animadversionibus *Roncaglia*, et adnotationibus *Mansi*. Historia eccl. Cl. *Fleury*, quae critica *Marchetti* castigata est. Historiam ecclesiasticam concinne elaborarunt etiam *Godeau*, *Card. Orsi*, eiusque continuator *Becchetti*, *Graveson*, *Berault-Bercastel*. Inter Germanos Historiam eccl. praeclare enarrant *Com. de Stolberg*, *et cont. Kerz*, *Katerkamp*, *Klein*, *Doellinger*, *Ruttenstock*, *Rauscher*, *Alzog*, etc. Pro arte critica, quae ad historiam maxime requiritur, legi merentur *P. Honorati a S. Maria Carmel.* Animadversiones in regulas et usum critices. Commemoranda hic etiam est Historia universalis Ecclesiae Catholicae, clarissimi aevi nostri scriptoris *Rohrbacher* Renati Francisci, qui obiit init. an. 1856.

CAPUT IV.

DE EXCELLENTIA THEOLOGIAE THEORETICAE

§ 27. Homines eius indolis esse solent ut leviter ea parvipendant et negligant, quorum pretium ignorant; ea vero cum magna aviditate et indefesso labore quaerant, quae in se praestantia sibique utilia, aut etiam necessaria esse cognoscunt. Ita pariter scientiarum studia oscitanter suscipiuntur, si ex illis parva, aut nulla emolumenta exspectantur. Quo magis autem quis de scientiae, cuius palaestram ingreditur, dignitate, utilitate et necessitate persuasus est, eo maiori alacritate omnes animi vires ad illam perfecte addiscendam impendet. Magni idcirco momenti est, ut, priusquam Theologiae theoreticae pertractatio suscipiatur, eius excellentia ostendatur. Facile autem est, hanc 1° tum de *Theologia dogmatica*, 2° tum de *Theologia polemica* commonstrare (Cf. Th. gen., § 13).

ARTICULUS I.

Excellentia Theologiae dogmaticae.

§ 28. Nonnulli Theologiae dogmaticae praeclarum *scientiae* nomen tribuere renuerunt, quia iuxta *Aristotelem* scientia evidens esse, demonstratione gigni, et ex principiis naturali luce perspectis procedere debet, Theologia autem dogmatica fidei innititur, quae, in multis saltem, obscura est dicenda. Sed errant, qui, Philosophi ethnici auctoritati nimium deferentes, ita ratiocinantur. Mirum profecto non est, praefatam scientiae notionem traditam fuisse ab illo, qui quid divina fides esset ac revelatio, et quam ad assensum certa et immota, nescivit: his vero cognitis omni iure Aristotelis definitio ut manca reiicitur, et alia substituitur, ita ut nomine scientiae insigniatur quaelibet facultas, seu quilibet habitus ex certis principiis legitimas consequentias deducendi. Et sane ad rationem scientiae sufficit, ut per ipsam intellectus firmiter adhaereat vero; nam cum veritas sit finis omnium scientiarum, tunc profecto scientia censenda est habere suam essentialem perfectionem, quando per illam intellectus consequitur veritatem, eique firmiter adhaeret. Immo ideo solum evidentia actualis a Philosophis exigitur ad perfectionem scientiae, ut habeat certiorem et immobiliorem veritatis assensum. Unde si absque evidentia potest haberi talis certitudo firma, sine illa etiam obtinebitur perfectio essentialis scientiae. Atqui Theologia dogmatica innititur auctoritati Dei revelantis, qui falli et fallere nequit, cui sine erroris periculo inhaerens immobilia principia statuit, et ex his legitimas consequentias deducit: ergo si Theologia sit cognitio certa, parta per discursum, est etiam vera scientia. — Praeterea duplicis generis dog-

mata distinguuntur, nempe *mixta* seu *comprehensibilia*, et *pura*, seu *incomprehensibilia* (§ 6, n. 2 et 3). In prioris generis dogmatibus, quae a ratione humana comprehendi et probari possunt, evidentia, et demonstratio non minus quam in veritatibus philosophicis locum habet: sed posterioris generis dogmata, quae a nobis non comprehenduntur, et solum per revelationem certa redduntur, sunt tamen evidentia in scientia Dei et Beatorum. Non ergo ex defectu principiorum, sed ex defectu limitatae nostrae rationis contingit, ut in statu viae ad evidentem eorundem cognitionem non perveniamus. Quoniam autem haec principia in scientia Dei, et Beatorum evidentia, et revelationis ope etiam pro ratione nostra omnino certa sunt, Theologia dogmatica, quae illis innititur et ex illis conclusiones deducit, ex hac quoque parte scientia pleno iure nuncupatur. Ita fere argumentatur *S. Thomas*, qui (1), ut ostendat, Theologiam, seu sacram doctrinam esse scientiam, ita disserit: « Sciendum est quod duplex est scientiarum genus. Quaedam enim sunt, quae procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut Arithmetica, Geometria, et huiusmodi. Quaedam vero sunt, quae procedunt ex principiis notis superioris scientiae: sicut perspectiva procedit ex principiis notificatis per Geometriam, et Musica ex principiis per Arithmeticam notis. Et hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae, quae scilicet est scientia Dei et Beatorum. Unde sicut Musica credit principia tradita sibi ab Arithmetico, ita sacra doctrina credit principia revelata sibi a Deo. »— Ipsa S. Scriptura magis clarae, completae et solidae rerum divinarum cognitioni nomen scientiae attribuit: in hoc enim sensu dicitur: *Dedit illi scientiam Sanctorum* (2); *Dabo vobis Pastores.... et pascent vos scientia et doctrina* (3); *Alii datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae* (4), in quae verba *S. Augustinus* (5) ait: « Aliud est scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quae nonnisi aeterna est; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo *scientiam* videtur Apostolus. » Eodem modo passim a Patribus et Theologis erudita rerum divinarum cognitio scientiae nomine insignitur (6). — Recte etiam dicitur: Theologiam dogmaticam inter scientias praecipuum locum tenere. Excellentia enim huius disciplinae theologicae satis elucet 1° *ex obiecto*, quod pertractat, 2° *ex fontibus*, de quibus pertractanda haurit, 3° *ex certitudine*, quam parit, 4° *ex efficacia*, qua moralitatem promovet, 5° *ex necessitate*, qua eius studium est suscipiendum, et 6° *ex fine* in quem tendit.

I. *Obiectum Theologiae dogmaticae est nobilissimum.*

§ 29. 1. Scientia eo excellentior est dicenda, quo nobilius est obiectum, circa quod occupatur. Nam ait *Petavius* (7), « quo praestantior res est cognitioni, et scientiae alicui subiecta, eo est ipsa scientia clarior et illustrior. » Atqui Theologia dogmatica tota circa Deum versatur, cuius infinitas perfectiones, sapientissi-

(1) I, q. 1, a. 2 in O.
(2) Sap. 10, 10.
(3) Ierem. 3, 15.
(4) I Cor. 12, 8.
(5) L. 14, de Trin. c. 1, n. 3.
(6) V. Petav. tom. 1, proleg. c. 8.
(7) L. cit. c. 9, n. 1.

Digitized by Google

ma consilia, omnipotentes, iustissimas et benignissimas operationes expendit (v. § 12, n. 4). Nihil autem Deo praestantius et excelsius, nihil consiliis divinis sublimius, nihil operationibus Dei augustius et admiratione dignius excogitari potest. Recte igitur ei ratione obiecti maxima excellentia vindicatur. Ideo Ss. Patres Dei rerumque divinarum cognitionem omnibus aliis scientiis longe anteponunt. *Gregorius Naz.* (1) dicit: « Nihil apud Deum ita amplum et magnificum esse, ut doctrinam perpurgatam et animam veritatis dogmatibus instructam atque perfectam. » Et *S. Hieronymus* (2) theologicae scientiae non solum excellentiam, sed et iucunditatem laudans exclamat: « Quid hac voluptate iucundius? qui cibi, quae mella sunt dulciora, quam Dei scire prudentiam, et in abdita eius intrare, et sensum Creatoris inspicere, et sermones Domini Dei tui, qui ab huius mundi prudentibus deridentur, plenos docere sapientia spiritali? » — Quinimo ethnici quoque Philosophi scientiam de Deo, rebusque divinis omnibus aliis cognitionibus praeferendam esse cognoverunt. *Aristoteles* (3) inquit: « Sapientiam omnium opinione versari circa primas causas et principia; » et (4) ait: « Oportere illam esse contemplatricem primorum principiorum, atque causarum; » postea illius excellentiam praedicans dicit, « Nullam ea praestantiorem esse doctrinam: quae enim divinissima est, eadem est et praestantissima. Eiusmodi autem duobus duntaxat modis esse potest. Etenim tam illa, quam in se maxime Deus obtineret, divina est inter scientias, tam ea quae circa divina versatur. » Et *M. T. Cicero* initio libri primi de natura Deorum scientiam de Deo rebusque divinis ait: « Et ad agnitionem animi pulcherrimam esse, et ad moderandam religionem necessariam. »

(1) Or. 32 (2) Epist. 155.
(3) L. 1, Met. c. 1. (4) C. 2.

2. Equidem Theologia quoque, quae *naturalis* dicitur, de Deo rebusque divinis agit; hanc vero Theologia dogmatica longe antecellit, quae non solum veritates, quae lumine naturali cognosci possunt, expendit; sed illas quoque, quae rationis captum superant, nempe mysteria, ex quibus Sapientia, Iustitia, Bonitas Dei aliaque attributa divina clarissime resplendent. Et dum Theologia naturalis soli rationi humanae innititur, quae infirma est, deficere et aberrare potest; Theologia dogmatica de Deo rebusque divinis tractat sub lumine divinae Revelationis, quae falli et fallere nequit. Recte ergo affirmatur, Theologiam dogmaticam prae caeteris scientiis altioris ordinis esse, quoniam eius obiectum tum materiale, tum formale *supernaturale* est. Hinc *S. Thomas* (5) ita de illa disserit: « Non accipit haec scientia sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem: et ideo non accipit ab aliis scientiis tanquam superioribus, sed utitur eis tanquam inferioribus et ancillis; sicut architectonicae utuntur subministrantibus, ut civilis militari, et hoc ipsum quod sic utitur eis, non est propter defectum vel insufficientiam eius, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his, quae per naturalem rationem (ex qua procedunt aliae scientiae) cognoscuntur, facilius manuducitur in ea quae sunt supra rationem, quae in hac scientia traduntur. » Cl. *Contenson* (6) aliis eiusdem Doctoris verbis Theologiae dogmaticae excellentiam probat, quam, ait, « praeclare illu-

(5) 1, q. 1, a. 5 ad 2.
(6) Theol. mentis et cordis l. 1 Praeloq., c. 2.

Digitized by Google

strat Angelicus praeceptor (1) in hoc, quod Theologia omnes srientias praecedat quatuor privilegiis, nimirum *altitudine*, *pretiositate*, *communitate*, et *fructuositate*: *altitudine* quidem, quia aliae scientiae versantur cirra ea, quae subsunt iudicio rationis; in Theologia vero traduntur ea, quae vim rationis excedunt. Unde de illa usurpari potest illud Eccl. XXIV: *Ego in altissimis habitavi*. Artes mechanicae habitant in infimis, quia versantur rirca singularia corporea: srientia naturalis, scilicet Physica habitat in altis, quia licet agat de corporalibus, tamen ea considerat in universali: Metaphysica habitat in altioribus, quia agit de rebus etiam insensibilibus, sequendo rationis durtum: sed Theologia habitat in altissimis, quia considerat ea, quae rationis intuitum transcendunt. *Pretiositate* vero propter suae inquisitionis puritatem, omnem vanitatem, et omnemendacium detestatur: unde de ea intelligit (2) S. Thomas illud Prov. XXXI: *Pretiosior est cunctis opibus, et omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari*. *Communitate* etiam seu universitate, quia dum aliae scientiae circa determinata obierta orcupantur, haec doctrina de omnibus iudicat. Unde *Augustinus* (3) ait: « Hic Physica, quia omnium rausae in Deo sunt: hic Ethira, quia vita bona et honesta non aliunde formatur, quam cum ea, quae diligenda sunt, diliguntur: hic Logica, quoniam veritas lumenque animae rationalis nonnisi Deus est. » — Denique *fructuositate*, quia aliae scientiae non habent fructum, nisi in intellectus illustratione, haec vero doctrinam et intellectum sublimiter illuminat, et affectum dulciter accendit. »

(1) In prolog. 1. 1 ad Annibal.
(2) Ibid. (3) Epist. 3 ad Volusian.

II. *Fontes eiusdem sunt insignes.*

§ 30. Si attente perpendamus, ex quibus fontibus Theologia dogmatica veritates a se pertrartandas hauriat, et quibus adminirulis utatur; farile intelligemus, laudes et encomia, quibus variae disciplinae theologicae et philosophirae merito extolluntur, in dogmaticam quoque Theologiam redundare. 1. *Studium biblicum* a multis summis laudibus relebratur; nec immerito: nam *omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* (4) etr., ut ait Apostolus, et Ss. Patres assiduam Ss. Bibliorum lertionem et meditationem summopere commendant (v. Th. gen. § 180). Ast Theologia dogmatira S. Srriptura tanquam praeripuo fonte utitur, ex quo plurima roelestia dogmata haurit. Imo in ista disriplina testimonia biblica, quae rredenda proponunt, sed in variis libris sparsa reperiuntur, pro quovis singulari dogmate colliguntur, sub uno obtutu collocantur, iuxta infallibilem Traditionis lineam, et ecclesiastici ac catholiri sensus normam explirantur, et a difficultatibus, quibus adversarii eadem obsrurare tentant, expediuntur. Exinde manifestum est, ea, quae in laudem studii biblici proferuntur, ad Theologiam quoque dogmatiram penitius pertinere.

2. *Studium patristicum* plurimis titulis rommendatur. Quid enim utilius, quidque iucundius esse potest, quam illorum illustrium virorum opera pervolvere, qui doctrina et sanctitate ronspicui quod a maioribus arceperunt hoc posteris tradiderunt, qui siruti errores profligarunt, ita orthodoxam doctrinam clare explirarunt et solide romprobarunt, quique ideo ut Ecclesiae Patres et Dortores in summo honore habentur? — In

(4) 2 Tim. 3 16.

qualibet disciplina theologica assidua Ss. Patrum lectio magna emolumenta praebet: sed in Theologia dogmatica etiam perquam necessaria est. Ss. Patres enim sunt divinae Traditionis testes, quorum consensum in rebus fidei sequi oportet (Th. gen. § 198). Quis ergo non videt, studium patristicum cum Theologia dogmatica intime coniunctum esse? — Indoles huius scientiae postulat, ut dum dogmata pertractantur, breviter saltem ea indigitentur, quae variorum temporum et locorum Patres circa illa aut contestando, aut explicando, aut comprobando, aut defendendo docuerunt, ex quo appareat, quid semper, ubique et ab omnibus creditum sit. Doctrina ergo Patrum, orthodoxam fidem concernens, systematico ordine in Theologia dogmatica exhibetur: ergo huic quoque merito attribuitur, quidquid in laudem studii patristici profertur.

3. Omnium iudicio summi pretii aestimatur *studium historicum*, quod mentem et erudit et delectat, et ad omnes scientias viam sternit. Disciplinis autem theologicis praecipue convenit *Historia ecclesiastica*, quae in se praestantissima est, quoniam circa nobilissimum obiectum versatur. Haec vero Theologiae dogmaticae non solum utilis sed et necessaria est dicenda. Ipsa etenim Religionis revelatae et Ecclesiae origo, propagatio et conservatio ex Historia cognoscitur. Etiam quoad singularia dogmata in Theologia dogmatica exponuntur errantes, qui illa impugnarunt, doctores, qui eadem defenderunt, Pontifices et Concilia, quae illa definierunt, imo et controversiae, quae circa modum dogmata explicandi in scholis agitatae sunt. Quod ergo in Historia ecclesiastica iuxta ordinem temporum exhibetur, id magna ex parte in Theologia dogmatica secundum ordinem materiarum pertractatur. Quoniam ergo Theologia dogmatica cum Historia ecclesiastica intime contexta est; illa de huius quoque praerogativis vel maxime participat.

4. *Philosophia* a multis tum antiquioribus, tum recentioribus scriptoribus magnis laudibus extollitur, quas etiam meretur, si ea est, quam nomen exprimit, veritatis et sapientiae amor. Hanc veram Philosophiam, tantum abest ut Theologia dogmatica reiiciat, vel aspernetur, ut potius eam sibi utilem et necessariam reputet, ac ut individuam comitem adsciscat (§ 26, n. 1). Imo Theologia dogmatica, quae Revelationis lucem fideliter sequitur, Philosophiam ab erroribus purgat, a deviis praeservat, altioribus cognitionibus locupletat, illustrat et perficit. Verae ergo Philosophiae laudes eminenti quodam modo sibi vindicat Theologia dogmatica.

III. *Certitudo, quam ipsa parit, est moralis summa.*

§ 31. Certitudo est firma et rationabilis animi persuasio de veritate rei cognitae. Talis certitudo vel per sensus, vel per rationem, vel per auctoritatem obtinetur. Certitudo porro distinguitur in *metaphysicam*, quae in evidentibus rationis principiis habetur, in *physicam*, quae ex notis naturae legibus, sensuumque testimonio oritur, et in *moralem*, quam auctoritas fide digna parit. Haec certitudo moralis varios gradus habet; est enim *infima*, si auctoritas et argumenta, quibus nostra innititur persuasio, prudentem quidem assensum mereantur, sed tamen difficultate laborent, et non omnibus dubiis solvendis sufficiant: est *media*, si auctoritas et argumenta, quibus inducti veritati rei consentimus, dubiis qui-

dem omnibus solvendis sufficiant; non omnem tamen tollant haesitationem: est denique *summa*, si persuasio nostra argumentis omnino solidis, et auctoritati omni exceptione maiori et adeo firmae innititur, ut nullum relinquatur effugium, et consensus quasi evincatur. — His praemissis iam inquiri potest, quamnam certitudinem Theologia dogmatica pariat? In hac quaestione solvenda ipsa *dogmata*, et *conclusiones* ex illis deductas, distinguere oportet.

1. Theologia dogmatica non parit certitudinem metaphysicam quae tunc solum habetur, cum rei veritas ex intrinsecis, et evidentibus principiis cognoscitur ita, ut contrarium tanquam absolute impossibile iudicetur. Hac quidem certitudine perspicimus, Deum existere, Ens perfectissimum esse, mentiri non posse, omnia, quae revelat, infallibiliter vera esse, etc. Ast quoniam in Theologia dogmatica non agitur de Revelatione immediata, sed de mediata, quae per alios homines ad nos transmissa est, ad quod probandum testimonia humana occurrunt; et quoniam veritates revelatae, quarum multae quoad intrinsecas rationes a nobis perspici nequeunt, ob auctoritatem Dei revelantis credendae sunt: ideo veritatibus revelatis certitudo metaphysica adiudicari non potest. Certitudinem physicam Theologia dogmatica non parit, quia veritates, quas tradit, obiectum empiriae non sunt, nec a legibus naturae visibilis pendent. Ast Theologia dogmatica parit *certitudinem moralem summam*. Argumenta enim, quibus divinae Revelationis existentia probatur, tam conspicua et tam firma sunt, ut nullum effugium relinquatur, omnis haesitatio tollatur, et persuasio plane evincatur (v. Th. gen. P. II, Sect. I). Eadem certitudine morali summa constat, Ecclesiam infallibilem esse divinae Revelationis Custodem, Interpretem, et Iudicem controversiarum fidei (ibid. P. III, sect. I, c. 2). Igitur eodem modo certi sumus, ea vere divinitus revelata esse, quae Ecclesia S. Scripturam et Traditionem exponens qua talia credenda proponit, et quidem eo sensu revelata esse, quo ab Ecclesia ad credendum proponuntur. Et haec demum, quae certitudine morali summa tanquam divinitus revelata cognoscimus, infallibiliter vera habemus, et inconcussa fide tenemus propter Dei revelantis auctoritatem, qua maior haberi non potest. Theologia ergo dogmatica, dum dogmata tradit, parit certitudinem moralem summam. Ideo S. *Basilius* (1) ita fidem definit, ut sit « eorum, quae audita sunt, assentiens approbatio sine ulla haesitatione cum summa animi persuasione de eorum veritate, quae Dei gratia praedicata sunt. » S. *Bernardus* (2) praeclare scribit: « Absit, ut credamus in fide aliquid dubia aestimatione pendulum, et non magis totum, quod in ea est, certa ac solida veritate subnixum, oraculis et miraculis divinitus persuasum, stabilitum et consecratum partu Virginis, sanguine Redemptoris, gloria Resurgentis. Testimonia illa credibilia facta sunt nimis. Scio, cui credidi, et certus sum, clamat Apostolus, et tu mihi ambiguum garris, quo nihil est certius. Academicorum sunt istae aestimationes, quorum est dubitare de omnibus, scire nihil. » — S. *Thomas* (3) de supernaturali Theologia ita disserit: « Argumentari ex auctoritate est maxime proprium huius doctrinae, eo quod principia huius doctrinae per revelationem habentur. Et

(1) Tract. de vera fide.

(2) Epist. 190 ad Innoc.

(3) I, q. 1, a. 8 ad 2.

sic oportet quod credatur auctoritati eorum, quibus revelatio facta est. Nec hoc derogat, dignitati huius doctrinae; nam licet locus ab auctoritate, quae fundatur super ratione humana, sit infirmissimus; locus tamen ab auctoritate, quae fundatur super revelatione divina, est efficacissimus.» Idem (1) inquit: « Caeteris paribus visio est certior auditu. Sed si ille, a quo auditur, excedit visum videntis; sic certior est auditus quam visus: sicut aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo, quod sibi secundum suam rationem videtur. Et multo magis homo certior est de eo, quod audit a Deo, qui falli non potest, quam de eo, quod videt propria ratione, quae falli potest. »

2. Etiam quoad conclusiones, quae ex dogmatibus deducuntur, Theologia dogmatica reliquas scientias naturales certitudine antecellit. Nam illa scientia est certior, quae utitur medio magis vero, infallibili et invariabili: sed Theologia dogmatica in deducendis suis conclusionibus utitur mediis infallibilioribus, quam sint quaecunque principia naturaliter nota, utitur nempe articulis fide divina creditis, et revelatis a Spiritu sancto, qui est causa firmior et immobilior, quam natura, quae nos inclinat ad assensum primorum principiorum. Ergo certitudo Theologiae transcendit omnem certitudinem scientiae et cognitionis cuiusvis naturalis, cum sit innixa verbo Dei immutabili. Quod si opiniones et variae Theologorum sententiae proponuntur; hae plerumque solum circa rationes intrinsecas nexumque dogmatum versantur, veritates autem de fide, aut theologice certas non labefactant.

(1) 2 2, q. 4, a. 8 ad 2.

IV. Eius efficacia in promovenda moralitate est maxima:

§ 32. Male profecto sentiunt, qui Theologiam dogmaticam tanquam studium mere speculativum et sterile aspernantur, eamque ad corrigendos et perficiendos mores penitus inefficacem reputant. Contrarium facile probatur. Theologia enim dogmatica maximam in promovenda moralitate efficaciam habet, tum quia officiorum moralium *fundamenta* statuit, tum quia moralitatis *motiva* proponit.

1. Officia practica ex veritatibus theoreticis deducenda esse, omnis recta Philosophia docet. Dogmata ergo theoretica quasi bases et fundamenta sunt praeceptorum moralium, ita ut illis labefactatis, haec quoque corruant necesse sit. Exemplis id abunde ostendi potest. Oportet sane Dei non solum existentiam, sed et infinitas perfectiones nosse, ut officia in eum credendi, sperandi, ipsum super omnia amandi etc. intelligi queant. Officium gratitudinis beneficiorum cognitionem supponit, et ab hac penitus dependet. Charitas erga proximum quemque habenda fluit ex cognita veritate, quod omnes homines ad imaginem Dei creati, sanguine Christi redempti, ad vitam beatam vocati sint. Officia humilitatis, mortificationis et orationis ex dogmatibus de peccato originali, de necessitate et efficacia gratiae etc. deducenda sunt. Sacramentorum existentiam, vim et virtutem nosse oportet, ut rectus eorundem usus determinetur. Intime ergo Theologia moralis cum dogmatica connectitur; imo illa ab hac tota dependet, et quod in promovenda moralitate illa immediate per regulas, quas praescribit, id haec mediate per dogmata, quae tradit, praestat.

2. Ut homines perfectam moralita-

Digitized by Google

tem sectentur, non sufficit, ut eorum intellectus praecepta moralia cognoscat, sed necesse est, ut etiam eorum voluntas per valida motiva a malo absterreatur, et ad bonum impellatur. Deficientibus his motivis cognitio sterilis, et fides mortua manere solet. Ideo divina Revelatio non solum recte vivendi regulas tradit, sed etiam validissima et efficacissima moralitatis motiva proponit. Talia motiva sunt: — Deus in se perfectissimus et omni amore dignissimus; Deus erga nos beneficentissimus, ut Creator, Conservator et Gubernator, ac praesertim ut Redemptor et Sanctificator; et denique Deus iustissimus iudex, qui peccata punit, virtutes autem remunerat. Gravissima haec et efficacissima moralitatis motiva in Theologia dogmatica pertractantur: imo recte dici potest, hanc scientiam in iisdem motivis explicandis, comprobandis et hominum cordibus imprimendis totam occupari. Quis ergo neget, eius efficaciam in promovenda moralitate maximam esse? — In ipso Theologiae dogmaticae decursu magis magisque apparebit, veritates theoreticas, quae proponuntur, eius esse naturae, ut voluntatem ad Deum amandum et recte agendum inflamment. Quodsi Apostolus dicit: *Iustus ex fide vivit* (1); satis clare per hoc innuit, quod veritates revelatae theoreticae cognoscendae et credendae sint, ut iustitia obtineri, et vita recte institui possit. Graviter ergo errant, qui moralitatis respectu nihil Theologiae dogmaticae, et omnia Theologiae morali tribuenda esse putant, cum e contra rectissime dicatur, neglecta, aut sublata Theologia dogmatica, etiam de omni moralitate actum esse.

(1) Gal. 3, 11. (2) V. Tournely l. 1, Disput. praev. quaest. 1, a. 2, concl. pr.

V. *Necessitas eius studio incumbendi est urgentissima.*

§ 33. Quamvis omnes fideles principalia saltem dogmata explicite credere, et in cognitione doctrinae salutaris, quantum vires permittunt, continuo crescere debeant (§ 6, n. 4); attamen ad exactum Theologiae dogmaticae studium non omnes obligantur (2). Obligatio haec ad illos spectat, qui ad munus docendi vocati sunt, nempe ad Sacerdotes, quibus Theologiae dogmaticae studium maxime necessarium rectissime dicitur. Sed praeterea distinguere oportet Theologiam dogmaticam quoad substantiam, seu secundum se, et quoad methodum, qua pertractatur: hanc variis temporibus variam fuisse, ex historia constat; alia enim methodo Ss. Patres dogmata pertractarunt, alia scholastici in tradenda Theologia usi sunt, aliam plerique ex Recentioribus in institutionibus theologicis adhibere solent: idcirco etiam qui methodo scholasticae addicti sunt, hanc equidem utilissimam iudicant, sed tamen eam necessariam non esse fatentur (3). Omnes autem Theologiam dogmaticam, quoad substantiam, seu secundum se spectatam, necessariam pronuntiant; ita enim considerata est scientia, quae dogmata clare explicat, solide comprobat, et ex iisdem legitimas, et salutares conclusiones theoreticas et practicas deducit. Huius scientiae studio omnes, qui ad Sacerdotium aspirant, maxima assiduitate incumbere debere, facile probatur.

1. Pro gravi hac obligatione *ex ipsa S. Scriptura* argumenta depromi possunt. Nam Malach. II, 7 dicitur: *Labia Sacerdotis custodient scientiam,*

(3) Cf Tournely l. c. secunda concl., Billuart diss. prooem. art. 3. Th. ex Charm. Proleg. diss. 2, pr. 3.

et legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Per scientiam autem, quae in Sacerdote requiritur, non profana, sed sacra intelligitur, nempe accurata doctrinae revelatae cognitio, sine qua iustitia, sanctitas et salus obtineri nequeunt. Quam graviter autem Sacerdos ad hanc sibi comparandam scientiam obligatus sit, patet ex Osee IV, 6, ubi Deus ipse dicit: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* — S. Paulus inquit: *Oportet Episcopum esse... amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* (1), quibus verbis Apostolus apertissime in Episcopo tam claram, completam et solidam dogmatum revelatorum scientiam requirit, ut eadem tum apte aliis tradere, tum invicte contra adversarios defendere possit. Ea autem, quae hic Episcopis praescribuntur, etiam de Sacerdotibus intelligenda esse, communi consensu Interpretes docent; non enim Episcopus ubique adesse omnesque propria voce instruere potest, sed officia sua per idoneos ministros, nimirum per Sacerdotes debita scientia imbutos maxima ex parte exequi debet. Quis ergo negabit, Sacerdotes omnes cum maxima sedulitate Theologiae dogmaticae studio incumbere debere? Haec eadem obligatio etiam ex verbis Principis Apostolorum eruitur; ait enim: *Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe* (2); et: *Crescite in gratia, et in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Iesu Christi* (3); quae verba, quamvis ad omnes fideles di-

(1) Tit. 1, 7 etc. (2) 1 Petr. 3, 15.
(3) 2 Petr. 3, 18. (4) Matth. 5, 14.

recta esse videantur, absque dubio tamen speciali modo ad Sacerdotes pertinent. Quomodo enim fideles, qui ad Ecclesiam discentem spectant, de fide et spe sua rationem reddent, et continuo in cognitione Iesu Christi crescent, nisi ab iis, qui Ecclesiam docentem constituunt, cum magna assiduitate instruantur? et quomodo edocebuntur, si Sacerdotes ipsi requisita scientia destituuntur? — Christus ad Apostolos eorumque successores dixit: *Vos estis lux mundi* (4); reliqui ergo fideles per Sacerdotes illuminandi sunt, ac propterea hisce clara, completa et solida dogmatum cognitio necessaria est. Hac in ipsis deficiente, rectissime Christi dictum applicatur: *Si ergo lumen, quod in te est, tenebrae sunt; ipsae tenebrae quantae erunt* (5)?

2. Assiduum doctrinae divinitus revelatae studium quovis tempore pro Sacerdotibus maxime necessarium reputatum fuit. Ideo Ss. Patres praecipue illis, qui ad munus docendi vocati erant, continuum S. Scripturae studium commendabant (v. Th. gen. § 180, n. 2); cum isto autem apostolicarum Traditionum (ib. § 193), et ecclesiasticorum decretorum accuratam cognitionem coniungendam esse docebant (ib. § 214, § 225). Eruditam quoque doctrinae revelatae pertractationem Ss. Patres cum magna solertia promovisse, praeclara ipsorum opera testantur. Ideo Philosophiam quoque tanquam ancillam in Theologiae servitium adhibendam esse affirmabant. Ita *Clemens Alex.* (6) docet: « Philosophiam ante Domini adventum Graecis ad iustitiam fuisse necessariam; nunc autem ad religiosam pietatem utilem esse, eo quod praevia quaedam eruditio sit iis, qui fidei per demonstrationem fructum

(5) Matth. 6, 23. (6) L. 1 Strom.

colligunt; » et inferius addit: « Philosophiam ipsam ad sapientiam comparandam conducere. »Notatu digna sunt verba *S. Hilarii*, qui (1) ait: « Fidem non nudam Apostolus, atque inopem rationis reliquit; quae quamvis potissima ad salutem sit, tamen nisi per doctrinam instruatur, habebit quidem inter adversa tutum refugiendi recessum, non etiam retinebit constantem retinendi securitatem, eritque ut infirmis sint post fugam castra, non etiam ut arma habentibus adsit interrita fortitudo. » Ast talem eruditam et solidam doctrinae revelatae cognitionem Ss. Patres praecipue a Sacerdotibus exigunt, quibus munus docendi incumbit. *S. Hieronymus*(2) ait: « Episcopi, Presbyteri et Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui praesident, conversatione, sermone ac scientia praecedant... Quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse, quam clericos. » Idem (3) considerans Christum *in templo sedentem in medio doctorum* dicit: « In Ecclesiis, quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen assumere nemo debet, nisi possit docere, quos pascit. » Celebre est dictum *S. Isidori Hisp.* qui Sacerdoti scientiam non minus quam pietatem necessariam iudicans inquit: « Scientia sine pietate arrogantem reddit; pietas sine scientia inutilem. » — Concilia quoque et Rom. Pontifices studia Theologica tanquam Clericis maxime necessaria frequenter inculcant. Inter illa sufficiat referre Concilium *Toletanum IV*, quod can. 24 (4) ita loquitur: *Ignorantia, mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei evitanda est, qui docendi officium in populo Dei susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas frequenter admonet Paulus dicens ad Timotheum I Ep. 4: Attende lectioni, et exhortationi* etc. *Sciant ergo Sacerdotes Scripturas sanctas, et Canones meditentur; omne opus eorum in praedicatione, et doctrina consistat, atque aedificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.* Inter Rom. Pontifices audiamus *Honorium III* (5) sequentia statuentem: « Ad Theologiae professionis studium aliqui destinentur, qui cum docti fuerint in Dei Ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti: ex quibus postmodum copia possit haberi doctorum, qui velut stellae in perpetuas aeternitates mansuri, ad iustitiam valeant plurimos erudire. »

3. Theologiae dogmaticae necessitas probari etiam potest per rationes Theologicas, quas indigitat *S. Thomas* (6). — Homini nempe, ut ad finem suum supernaturalem perveniat, supernaturali Revelatione opus est (v. Th. gen. p. 1, sect. 2, cap. 3). Haec autem a Deo benignissime hominibus concessa fuit (ib. p. II, sect. 1), quam omnes per fidem recipere, et cuius salutares doctrinas, quantum vires permittunt, cognoscere tenentur. Divina autem Revelatio in S. Scriptura et Traditione continetur (ib. s. 2), et ab Ecclesia docente fideliter custoditur et infallibiliter exponitur (ib. p. III, § 1, cap. 2). — Ast non omnes Revelationis fontes adire, nec Rom. Pontificum, ac Episcoporum definitiones et decreta perscrutari possunt. Omnino ergo necesse est, ut sacri ministri, nempe Sacerdotes existant, qui ita doctrinae revelatae studio incumbant, ut circa ipsam populum debito modo instruere et convincere possint. Neque ad hoc quaecunque mediocris cogni-

(1) L. 12 de Trin. (2) Ad c. 2 Tit.
(3) In Luc. 2, 46.
(4) Rel. in Iure dist. 38 *Ignorantia*.
(5) Rel. c. super specula: *de Magistris*.
(6) 1, q. 1, art. 1

tio sufficit, sed clara, completa et solida scientia requiritur. Quia enim *quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* (1), et quaelibet doctrina divinitus revelata *utilis est ad docendum* etc. (2), oportet omnino, ut Sacerdotes de omnibus Revelationis documentis claram et solidam cognitionem sibi comparare studeant, ut sint sicut Apostoli docentes omnia (3), nihil utilium subtrahentes (4), omne consilium Dei annuntiantes (5).

Nota. His, quae dicta sunt, nonnulli opponunt verba Apostoli, qui diserte docet, quod *placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes* (6), et ait: *Sermo meus, et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis; ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei* (7); ergo, aiunt, ad salutem sufficit simplex praedicatio fidei, nec requiritur in Ecclesia tanta Theologorum sapientia. — Ast probe observandum est, Deum in nascentis Ecclesiae exordio ad demonstrandam suae virtutis omnipotentissimam potestatem noluisse adhibere ad conversionem orbis prudentes et sapientes saeculi, sed humiles piscatores, ut soli gratiae divinae, non hominum industriae, tam grande opus tribueretur. Sed in decursu temporis, religione iam propagata, qui ad munus docendi in Ecclesia vocantur, non ut Apostoli extraordinaria et mira Spiritus sancti dona, seu scientiam infusam recipiunt, sed per assidua studia necessarias sibi fidei cognitiones acquirere debent. Hinc sapientissimi Ecclesiae Doctores doctrinae revelatae studio diligentissime incubuerunt, et materias fidei alii cum omnigenis eloquentiae floribus, alii cunctis argumentorum nervis adornarunt. *S. Bernardus* (8), ut eandem ex Pauli verbis petitam obiectionem solveret, observat, Apostolum non id dixisse in sugillationem scientiae quasi reprehendere doctos, aut prohibere studia litterarum voluerit, sed solum damnasse nimis affectatam, vel ambitiosius quaesitam humanae sapientiae operam et gloriam: « Non ignoro, inquit, quantum Ecclesiae profuerint litterati sui, sive ad refellendos eos, qui ex adverso sunt, sive ad simplices instruendos; legi enim *quia tu repulisti scientiam, repellam et ego te;* legi: *qui docti fuerint, fulgebunt sicut stellae in perpetuas aeternitates.* » Non prohibet ergo Apostolus sapere, sed sapere vult ad sobrietatem; non reprobat scientiam, sed vult nos scire, quomodo oporteat scire, nempe quid, quo studio, quo ordine, quo fine, ut (9) mire explanat mellifluus Doctor.

VI. *Finis, ad quem ipsa tendit, est praestantissimus.*

§ 34. Scientia quaevis respectu finis eo excellentior est dicenda, quo propius et efficacius ad hominum sanctificationem et aeternam salutem, atque ad Dei gloriam promovendam ordinatur. Atqui ad finem istum, quo nobilior et sublimior excogitari nequit, Theologiam dogmaticam proxime et efficacissime ordinari, tum ex iam dictis, tum ex dicendis apparebit.

1. Proximus et immediatus finis Theologiae dogmaticae studio incumbentis alius profecto non est, quam ut de veritatibus theoreticis ad Religionem revelatam pertinentibus claram, completam, solidam et effica-

(1) Rom. 15. 4. (2) 2 Tim. 3, 16.
(3) Matth. 28, 20. (4) Act. 20, 20.
(5) Ibid. v. 27. (6) 1 Cor. 1, 21.
(7) Ibid. 2, 4 et 5. (8) Serm. 36 in Cantic.
(9) Ibidem.

cem cognitionem nanciscatur. Ast veritates istae non solum intellectum illustrant, sed etiam voluntatem movent, et ad recte vivendum impellunt (§ 32, n. 2). Aut quomodo quis Dei infinitas perfectiones et immensa beneficia attente perpendet, et charitate divina non inflammabitur? quomodo iudicia Dei poenasque peccatoribus intentatas solerter considerabit, et salutari timore non percelletur? — Ipsae igitur veritates, quarum studio Theologiae dogmaticae candidatus occupatur, tales sunt, ut propriam ipsius sanctificationem et salutem efficacissime promoveant. Rectissime igitur *S. Augustinus* (1) dogmaticam Theologiam eam scientiam appellat, « qua fides saluberrima, quae ad beatitatem veram ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. » Quodsi iuxta Apostolum *iustus ex fide vivit* (2); quis dubitabit, fidem feliciter genitam et per scientiam abunde nutritam, strenue defensam ac constanter roboratam, Theologi sanctificationem et salutem efficacissime promoveri? — Egregie hoc idem probat ac illustrat *Diadocus* Photices Episcopus in libro de perfectione spirituali cap. 67 (3), cuius verba hic referri merentur: « Omnia dona Dei, iuquit, sunt valde bona, et omnium bonorum causa: sed nullum ita nostrum cor inflammat, et illud ad amandum bonitatem eius excitat, ut donum Theologiae. Cum enim sit foetus matutinus gratiae Dei, prima etiam dona largitur animae. Primum enim facit, ut libenter ac iucunde omnes vitae huius amicitias contemnamus; ut qui pro cupiditatibus fluxis divitias verbi Dei maiores, quam dici potest, habeamus. Deinde mentem nostram igne naturam mutante collustrat, unde consortem ministrantium spirituum eam facit. Hanc igitur virtutem, fratres charissimi, idonee ad hoc praeparati concupiscamus, quae pulcherrima est, quae omnia contemplatur, quae omni sollicitudine vacuum facit, quae fulgore arcani luminis plena est, et mentem verbis Dei alit; et quae Deo verbo (ne multa dicam) animam rationis participem per sanctos Prophetas ad inseparabilem cum eo coniunctionem despondit; ut apud homines (o rem admiratione dignam!) haec divina pronuba voces, quibus similes Deo efficeremur, et Theologici sermones diserte canerentur, aptaret. »

2. Qui ad sacerdotium adspirant, in hunc quoque finem Theologiae dogmaticae studio vacant, ut idoneos se reddant ad salutares religionis revelatae veritates aliis apte fructuoseque tradendas, ac ita eorundem sanctificationem aeternamque salutem promovendam. Quantae autem excellentiae et quanti meriti opus sit, alios in fide instruere eosque in viam salutis dirigere, ipsa S. Scriptura commonstrat. Nam legitur: *Qui docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti; et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates* (4). Christus ait: *Qui fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum* (5). Paulus ita loquitur: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, et doctrina* (6). Maximae ergo excellentiae dicenda est scientia illa, quae tota ad id tendit, ut tales ministros sacros procreet, qui rectam fidem docent, ac verbo ac doctrina multos ad iustitiam erudiunt, seu, ut cum *S. Augustino* loquamur, qui non solum in se,

(1) L. 14 de Trin. c. 1, n. 3.
(2) Gal. 3, 11. (3) T. 5 Bibl. PP.

(4) Dan. 12, 3. (5) Matth. 5, 19.
(6) 1 Tim. 5, 17.

sed etiam in aliis fidem gignunt, genitam nutriunt, nutritam defendunt, defensam roborant, et sic hominum sanctificationem aeternamque salutem efficaciter promovent.

3. Quoniam *universa propter semetipsum operatus est Dominus* (1), omnia ad gloriam Dei referenda sunt, in qua principalis et ultimus cunctorum entium creatorum finis consistit. Gloria autem Dei externa eo magis crescit, quo clarius Deus ab entibus rationalibus cognoscitur, et quo perfectius colitur. Quamobrem Theologia dogmatica sicut ad hominum sanctificationem, ita etiam ad gloriam Dei promovendam manifestissime ordinatur. Immo pleno iure affirmatur, illam ad nobilissimum hunc finem proxime et immediate tendere; quaecunque enim ipsa de infinitis Dei perfectionibus et de miris eius operationibus, ex quibus illae magis magisque resplendent, disserit, ad Deum perfectius cognoscendum, amandum colendumque proxime et immediate referuntur.

Nota. Theologia dogmatica, quae non solum intellectum illuminat, sed et voluntatem salubriter movet, et ad praestantissimum finem ordinatur, rectissime non solum scientiae, sed et *sapientiae* nomine decoratur, quod cum *S. Thoma* (2) Theologi passim probant. De summa ergo huius theologicae disciplinae excellentia dubitari a nemine potest. — Pro coronide huius tractationis addimus egregium *S. Thomae* dictum, qui (3) ait: « Inter omnes hominum curas studium divinae sapientiae est perfectius, iucundius et utilius; » perfectius quidem, quia per divinorum contemplationem homo magis ad Dei similitudinem accedit; utilius, quia per veritatis notitiam ad veram beatitudinem pervenitur; iucundius, quia nihil suavius est veritate, quam omnis homo naturaliter concupiscit, et qua adepta felicitas invenitur, dicente *S. Augustino* (4): « Beata vita est gaudium de veritate. »

(1) Prov. 16, 4. (2) 1, q. 1, a. 6.
(3) L. 1 c. Gentes, c. 2. (4) L. 10 Conf., c. 23.

ARTICULUS II.

Excellentia Theologiae polemicae.

§ 35. Non desunt, qui Theologiam polemicam vilipendunt; qui ab institutionibus theologicis abhorrent, in quibus difficultates moventur et solvuntur, obiectiones proponuntur et confutantur; quique omnes disputationes polemicas, ceu frivolas aut perniciosas, e medio sublatas volunt. Putant isti disciplinam, quae ad confundendos adversarios ordinatur, charitati et mansuetudini christianae repugnare, et ab Apostolo prohiberi dicente: *Servum Domini non oportet litigare* (5). — Ast qui ita sentiunt, in magno errore versantur. Nam Theologiam polemicam neutiquam negligere licet, sed Theologiae dogmaticae ceu individuam comitem adiungere oportet. Facile etiam Theologiae polemicae pretium cognoscetur, si *eius antiquitas*, *necessitas* et *utilitas* bene perpendantur.

I. *Eius antiquitas.*

§ 36. 1. Theologiae polemicae non obscura speciminain ipsa S. Scriptura reperiuntur. *Moises* (6), *David* (7), *Auctor libri Sapientiae* (8), *Isaias* (9), et alii Prophetae polytheismum et idololatriam acerrime insectati sunt, utriusque vesaniam et impietatem invicte ostendentes. *Iob* gravi verborum pondere amicorum suorum errorem confutavit, quo putarunt, nonnisi impios tribulationibus in hac vita premi.

(5) 2 Tim. 2, 24. (6) Deut. 4.
(7) Ps. 113. (8) Cap. 13. (9) Cap. 44.

Christus ipse(1) Sadducaeos carnis resurrectionem negantes, divina sapientia refellit, eisque silentium imposuit. Pharisaeorum quoque errores ex spuriis traditionibus haustos, divinus Redemptor publice increpavit, et maxima dicendi vi corrigere sategit. Act. VI, 9 etc., multi commemorantur *disputantes cum Stephano*, *et non poterant resistere sapientiae et spiritui qui loquebatur*. *Petrus* et *Ioannes* in suis epistolis catholicis toti in eo erant, ut errores eorum profligarent, qui de Christo incarnato male sentiebant, et fidem sine operibus ad salutem sufficere dictitabant. Hunc eundem errorem *Iacobus* in sua epistola canonica proscripsit. Epistolae *S. Pauli* magna ex parte polemicae sunt, varios errores, ac praesertim falsam eorum sententiam refellentes, qui cum religione christiana legalium observantiam coniungendam esse contendebant. Praeterea de eodem Apostolo legitur: *disputabat cum Graecis* (2); *disputabat in Synagoga cum Iudaeis* (3); *cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, et suadens de regno Dei* (4); *quotidie disputans in schola tyranni cuiusdam* (5). Recte ideo S. Pauli exemplo usus est *S. Augustinus*, ut Cresconium, artem disputandi seu dialecticam homine christiano indignam reputantem, confutaret; ait enim (6): « Si et Paulus dialecticus erat, et ideo conferre cum Stoicis non timebat, quia non solum acute disputabat, sicut et illi, sed etiam veraciter, quod non illi; iam cave cuiquam dialecticam pro crimine obieceris, qua usos Apostolos confiteris. »

2. Ss. Patres se magna virtute erroribus suorum temporum opposuisse, varia ipsorum opera polemica testantur. Praeclarum opus adversus Valentinianos et alios haereticos sui temporis *S. Irenaeus* exaravit. *S. Iustinus M.* Philosophiae et Theologiae subsidio tum Graecos, seu Gentiles, tum Iudaeos confutavit. *Tertullianus* Marcionitas, Praxeam, aliosque haereticos magno ingenii acumine exagitavit. Arte dialectica etiam feliciter usi sunt *S. Athanasius* contra Arianos, *S. Basilius* et *Gregorius Nyss.* contra Eunomium, *S. Hieronymus* contra Helvidium et Vigilantium, *S. Augustinus* contra Manichaeos, Donatistas et Pelagianos. Ita quovis tempore viri, doctrina et pietate conspicui extiterunt, qui non solum dogmata catholica explanarent, sed etiam errores oppositos refellerent; et Scholastici, dialecticam contra orthodoxae doctrinae adversarios adhibentes, nonnisi maiorum vestigia secuti sunt.

II. *Eius necessitas.*

§ 37. Fatendum est, polemices necessitatem non absolutam, sed hypotheticam duntaxat esse; si enim errores non darentur sacratiori doctrinae oppositi, necesse non foret, in illis confutandis tollendisque operam collocare. At Christus *scandala* (7), et Apostolus *haereses* (8) praedixit, imo iam Apostolorum tempore *multi Antichristi facti sunt* (9). Ita etiam succedentibus saeculis multi errores fidei repugnantes emerserunt, et etiamnum emergunt. Necesse ergo omnino est, ut ad sacerdotium adspirantes Theologiae polemicae studio cum magna solertia incumbant.

1. De hac obligatione ipsa *S. Scriptura* nos certos reddit. Debemus enim, ut hortatur Sapiens (10), scire *versutias sermonum, et dissolutiones*

(1) Matth. 22, 23-34. (2) Act. 9, 29.
(3) Ib. 17, 17. (4) Ib. 19, 8.
(5) V. 9. — Cf. ib. c. 20, v. 7 et 9.
(6) L. 1 c. Cresc. c. 14. (7) Matth. 18, 7.
(8) 1 Cor. 11, 19. (9) 1 Io. 2, 18.
(10) C. 8, v. 8.

argumentorum. Christus a bono pastore exigit, ut non solum oves ad salubria pascula ducat, sed etiam a grege lupos arceat, qui in societate religiosa sunt omnes erroneas doctrinas spargentes, ac verbis exemplisque alios seducentes. Istos repellere, confutare, corrigere, aut saltem innocuos reddere oportet. Hoc officium negligens boni pastoris nomine indignus est: quapropter Christus ait: *Mercenarius, et qui non est pastor... videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves* (1). Quam gravis ergo obligatio animarum pastoribus incumbit, ut idoneos se reddant ad fidei veritates contra adversarios defendendas, istorumque errores refellendos! Ideo sane S. Paulus non solum dogmaticae, sed et polemicae Theologiae studium pro Episcopo necessarium declarat, dum ab isto exigit, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere* (2). — Neque obstat dictum Apostoli II Tim. II, 24: *Servum Domini non oportet litigare*; excludit enim tantum *stultas et sine disciplina quaestiones*, uti ex v. praec. patet, atque interdicit non polemicam ipsam, sed eius abusum, videlicet, « contentiosam animositatem, pervicacem astutiam, vel invidam iactantiam, » ut declarat *S. Augustinus* (3): ideo ipse Apostolus mox subiungit: Servum Domini oportet *mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati* (v. 24 et 25).

2. *Ss. Patres* dialecticam, seu facultatem Religionis adversarios apte refellendi et convincendi necessariam declarant. *Clemens Alex.* (4) inquit: « Opem fert dialectica ne prosternamur ab haeresibus, quae faciunt incursiones: » et (5) addit: « Sepimentum est dialectica, ut ne a sophistis veritas conculcetur. » *S. Basilius* (6) dicit: « Facultas dialecticae muri instar est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi, et quorumlibet incursioni patere. » *S. Gregorius Naz.* (7) summis laudibus Basilium ipsum extollit, quod apprime calleret dialecticam, in eaque adeo praestaret, ut « iis, qui cum eo disputabant, facilius esset ex labyrinthis sese extricare, quam argumentorum eius laqueos effugere. » *S. Ambrosius* (8) scribit: « Quae sunt Apostolorum, quae laxari iubentur, retia, nisi verborum complexiones, et quasi quidam orationis usus, et disputationum recessus, qui eos, quos ceperint, non amittant? » *S. Augustinus* (9) inquit: « Disputationis disciplina ad omnia genera quaestionum, quae in Litteris sanctis sunt, penetranda et dissolvenda plurimum valet. Tantum ibi cavenda est libido rixandi, et puerilis quaedam ostentatio decipiendi adversarium. » Idem S. Doctor (10) ex eo ipso ad defendendam veritatem dialectica opus esse probat, quia adversarii eadem ad veritatem impugnandam utuntur, et ideo tantum Catholicis dialecticam interdicere tentant, ut securius errores suos disseminare et imperitos fallere possint.

3. Theologiae polemicae studium Sacerdotibus valde necessarium esse, graves rationes ostendunt. Sacerdotis enim est, etiam perditas oves quaerere, easque in veritatis viam, a qua aberraverunt, reducere: huic autem officio adimplendo penitus impar erit, nisi deceptos huiusmodi homines

(1) Io. 10, 12. (2) Tit. 1, 9.
(3) L. 1 c. Crescon. c. 6.
(4) L. 1 Strom. (5) L. 6 Strom.
(6) In c. 1 Isai. (7) Orat. 20.
(8) In c. 5 Lucae.
(9) L. 2 de doctr. christ. c. 31.
(10) L. 1 c. Crescon. c. 13.

de veritate orthodoxae fidei convincere, errores, quos propugnant, refellere, dubia, quae movent, solvere, obiectionesque, quas proponunt, diluere possit. Praeterea maioris persaepe momenti est, ut animas orthodoxae fidei fideliter adhaerentes contra errores praemuniat, quos nostris praesertim temporibus increduli et haeretici per fallaces sermones, quos in circulis venditant, et per impios libros quos nefarie spargunt, undique disseminare conantur. Magna igitur tum vigilantia, tum doctrina animarum pastoribus necessaria est, ut gregem sibi commissum a propinato tam frequenter errorum veneno praeservent. Nihil denique magis in Religionis et Ecclesiae dedecus, veritatis praeiudicium, infirmorum scandalum et animarum perniciem vergit, quam Sacerdos scientiae polemicae ita expers, ut veritatem defendere, adversariis respondere, et fallacia eorum argumenta conterere non valeat. Heterodoxi, si talem repererint, impium triumphum canunt, et solidorum argumentorum defectui id adscribunt, quod culpabili individui ignorantiae attribuendum esset.

III. *Eius utilitas.*

§ 38. Haud parva sunt emolumenta quae Theologiae polemicae recte adscribuntur.

1. Proxime Theologia polemica ad id ordinatur, ut errores Religioni oppositi refellantur, illique, qui a veritatis via recesserunt, in hanc reducantur. Per disputationes polemicas, rite si instituantur, nobilissimum hunc finem efficaciter promoveri, historia testatur. Teste *Eusebio* (1) *Dionysius* tres dies continuos cum Chiliastis disputavit, eorumque ducem *Coracium* ad meliorem mentem rectamque fidem reduxit. *S. Augustinus* refert, disputasse se biduo in Ecclesia Hipponensi cum *Felice Manichaeo*, qui veritate agnita ad frugem rediit. *S. Gregorius M. Eutychium* Patriarcham Constantinopolitanum, qui scripserat contra veram actractabilem corporum resurrectionem, ita convicit, ut eius librum Imperator in ignem iniiceret, atque Eutychius, paullo post morti adpropinquans, multis praesentibus futuram carnis resurrectionem profiteretur. *S. Bernardus* in Concilio Rhemensi anno 1148 babito orthodoxam doctrinam tam praeclare defendit, ut *Gilbertus Porretanus* de ea penitus convictus errores suos eiuraret. Exempla id genus plura suppeditat Historia ecclesiastica. Equidem in eadem etiam non pauca exempla disputationum polemicarum optato effectu carentium referuntur. Ast harum inefficacia hincinde quidem ex imprudenti et minus ordinato modo, qui in disceptando observabatur, sed multo frequentius ex vitio heterodoxorum repetenda est, qui ex mentis arrogantia et cordis perversitate, licet argumentorum pondere convicti, errorem tamen suum confiteri renuerunt, et agnitae veritati restiterunt. Quamvis autem per disputationes polemicas haud semper heterodoxorum conversio obtineatur, ad quam specialis semper gratia requiritur, quae humilibus et veritatem sorio inquirentibus conceditur, superbis autem et de se praesumentibus negatur: attamen, si serpentes errores manifestantur et refelluntur, fallacia adversariorum argumenta enervantur, subdola dubia solvuntur, argutae obiectiones diluuntur, et fidei veritates strenue defenduntur: orthodoxi saltem a periculosis laqueis retrahuntur, a seductione praeservantur, et in fide confirmantur. Nullatenus ergo

(1) Hist. eccl. l. 7, c. 24.

Theologia polemica charitati et mansuetudini christianae repugnat, sed egregium huius exercitium rectissime dicitur, quoniam ad spiritualem et aeternam tum heterodoxorum, tum orthodoxorum salutem tota ordinatur.

2. Reticendum hic non est aliud polemices emolumentum, quod in Theologiam dogmaticam redundat. Iam *S. Thomas* illud innuit, dum (1) scribit: « Utilitas, quae ex haeresibus provenit, est praeter intentionem haereticorum, dum scilicet constantia fidelium comprobatur, ut Apostolus dicit (2); et ut excutiamus pigritiam, divinas Scripturas solicitius intuentes, sicut *Augustinus* (3) dicit. » Etenim veritates revelatae, dum ab adversariis impugnantur, atque errores illis oppositi sparguntur, ab orthodoxis diligentius indagantur, clarius explicantur, curatioribus terminis exprimuntur, et solidioribus argumentis probantur, quod ex ipsa historia commonstrat Cl. *Möhler* (4). — Tali autem agendi modo institutionibus dogmaticis magnam lucem affundi, manifestum est. — In genere loquendo sicut in picturis color niger efficit, ut colores reliqui clarius resplendeant, ita etiam in scientiis persaepe ex recta contrariorum, seu oppositorum consideratione et confutatione veritates ipsae plenius intelliguntur, firmiorque de istis persuasio obtinetur. Non ergo inutilis labor suscipitur, dum in institutionibus theologicis, postquam veritates ad religionem revelatam pertinentes explicatae et comprobatae sunt, etiam errores ipsis oppositi enumerantur, difficultates, quas adversarii movent, solvuntur, et obiectiones eorum diluuntur. Haec enim omnia plurimum conferunt ad veritates ipsas clarius intelligendas, ad easdem tenacius memoriae imprimendas, et ad argumenta firmiora reddenda atque invicta (5).

IV. *Usus doctrinae.*

§ 39. 1. Si quis ea, quae de excellentia Theologiae theoreticae dicta sunt, bene perpendat, facile cognoscet, hanc scientiam inter reliquas theologicas disciplinas primatum tenere, eiusque studio diligentissime incumbendum esse. Quodsi etiam consideretur, in illa scientia omnes ad Religionem revelatam pertinentes veritates theoreticas explicandas, comprobandas, et contra plurimos varii generis errores vindicandas esse, haec ipsa immensa fere materiae amplitudo clare ostendit, unius anni decursum non sufficere, sed maiori temporis spatio opus esse ad Theologiam dogmatico-polemicam debito modo pertractandam. Studia Theologiae subsidiaria magnae equidem utilitatis sunt, sed tamen non licet ea Theologiae theoreticae aequiparare, et multo minus illi praeferre. Summae porro necessitatis est pro animarum pastoribus Theologia moralis; haec autem quoad materiae ambitum Theologia theoretica longe inferior est, praecipue cum ea, quae ad praxin pertinent, in Pastorali traduntur. Optandum ergo vehementer est, ut Theologiae dogmatico-polemicae duo saltem anni assignentur.

2. Praelectiones dogmatico-polemicae ab iis, qui ad sacerdotium aspirant, attente audiendae, solerter ruminandae, et menti bene imprimendae sunt. Maxime damnanda profecto est incuria eorum, qui studium tanti momenti negligentes officiis suis rite adimplendis se impares reddunt: tales per culpabilem suam ignorantiam aut

(1) 2 2, q. 11, a. 3 ad 2.
(2) 1 Cor. 11, 19. (3) L. 1 c. Manich. c. 1.
(4) Symbol. § 40.
(5) Cf. S. Augustin. Ep. 56 ad Dioscorum.

Digitized by Google

omnino inutiles fiunt, aut falsa pro veris tradendi, et ipsam doctrinam fidei corrumpendi periculo, imo saepe tum populi, tum praesertim Religionis inimicorum ludibrio se exponunt. Cum diligenti autem Theologiae theoreticae studio magnam devotionem, pietatem morumque puritatem coniungendam esse, nobilissimum illius obiectum commonstrat. Veritates enim divinae et supernaturales non sine lumine superno recte cognoscuntur. Atqui *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (1); *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei* (2). Deficiente devotione deficit lux coelestis, et succrescentibus vitiis mens hominis errorum tenebris facile obruitur: quapropter Apostolus exigit *bonam conscientiam*, *quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt* (3). Nunquam ergo satis Theologo commendari potest, ut cum scientiae studio pietatis ardorem coniungat. Hae sunt duae alae Seraphim iuxta expositionem *S. Bernardi* (4) dicentis: « Opinor non incongrue per pennas istas agnitionem et devotionem intelligi posse, quibus in eum, qui supra coelos est, Seraphim rapiuntur. » Cito ruet, qui una tantum ala volare contendit: ubi vero intelligentiam charitas, agnitionem devotio comitatur, volet secure, quisquis huiusmodi est, volet sine fine, quia volat in aeternitatem beatam (Cf. Th. gen. § 18).

3. Non sufficit Sacerdoti, ut in scholis praelectiones dogmatico-polemicas attento animo perceperit, sed tam excellentis, necessariae utilisque scientiae studium per totam vitam continuandum est. Praeclare in rem loquitur Cl. *Klüpfel* (5): « In scholis, ait, elementa traduntur liberalium disciplinarum. Fallitur itaque, qui prodit e ludo litterario, perfectum iam se esse ratus in ea arte, vel scientia, quam paucorum mensium curriculo in diatribis scholasticis excepit. Ars est longa, vita brevis. Semper aliquid discendum, donec moriare. Dies diem docet, et liber librum aperit. Quo plura didiceris, eo plura restare comperies. » Nunquam ergo in studio theologico torpeamus, sed huic constanter insudantes « discamus in terris talem scientiam, quae nobiscum perseveret in coelis, » ut scribit *S. Hieronymus* (6).

(1) Sap. 1, 4.
(2) 1 Cor. 2, 14.
(3) 1 Tim. 1, 19.
(4) S. 4 de verb. Isa.
(5) Instit. Th. dogm. edit. tertia. Praef. Monitum alterum ad lect.
(6) Epist. ad Paul.

CAPUT V.

BREVIS HISTORIA THEOLOGIAE THEORETICAE

§ 40. 1. Quoniam Christus plenam Revelationis lucem mundo attulit, Apostoli omnia, quae docuit et mandavit, fideliter annuntiaverunt, et Ecclesia quovis tempore omnem et solam Apostolorum doctrinam fide divina credendam proposuit ac proponit; dogmata semper immota manent, immutabilia sunt, et numero crescere, vel decrescere nequeunt (§ 5, not. 2). Ast in Religione revelata illustranda, tradenda et defendenda varia sunt etiam rationis humanae iura et officia (v. Th. gen. § 302-§ 305). Etenim ratio veritates divinitus revelatas, et ab Ecclesia ad credendum propositas, erudito modo pertractare, clarius explicare, variis argumentis comprobare, ex iisdem conclusiones tum theoreticas, tum practicas deducere, illas invicem comparare, et in systema redigere potest, ac demum contra impios adversariorum conatus defendere debet. Satis autem manifestum est,

hanc rationalium iurium et officiorum executionem a doctorum hominum indole et industria dependere, ac proinde mutabilem esse, incrementi et decrementi capacem: imo rationis in Religione revelata illustranda, tradenda et defendenda conamina varia variis temporibus extitisse, monumenta historica ostendunt. Ex his iam colligitur Theologiae theoreticae historia litteraria, quae non est nisi descriptio formae, seu methodi, qua veritates theoreticae ad Religionem revelatam pertinentes variis christiani aevi temporibus illustratae, traditae, et contra adversarios vindicatae fuerunt.

2. Theologia theoretica, dum eius historia inquiritur, non sub ea forma, qua nunc pertractari solet, consideranda est. Nam si de institutionibus theologicis agatur, in quibus omnes et solae veritates Religionis theoreticae collectae, systematice dispositae, explicatae, probatae, et contra aberrantes defensae inveniantur; harum profecto origo ad recentiora tantum tempora referenda est. Verum quovis tempore viri docti extiterunt, qui, si non omnia, saltem aliqua dogmata crudite pertractarunt, eaque magis magisque explicare, comprobare et contra adversarios vindicare studuerunt, sub quo respectu Theologiae theoreticae historia recte ab ipsis Ecclesiae incunabulis incipi, et usque ad nostra tempora protrahi potest (1).

3. Duae potissimum causae assignari possunt, ex quibus factum est, ut in elucubrationibus theologicis variae mutationes contingerent. Exortae enim *haereses* effecerunt, ut viri orthodoxi doctrina et pietate conspicui, veritatibus, quae ab illis impetebantur, explicandis, probandis et defendendis toti insudarent. *Philosophica* autem *systemata* in scholis tradita, cum magno applausu excepta, Theologos hincinde ad institutiones suas quoad formam et methodum illis conformandas, quandoque ad varias quaestiones movendas, et frequenter ad erronea principia confutanda impulere. Hinc fere omnes vicissitudines explicari queunt, quas Theologia subiit, et ex quibus historiae litterariae divisiones petendae sunt. — Commode autem haec in tres epochas dividitur, nempe 1° in *patristicam*, 2° *scholasticam*, et 3° *recentiorem*: quamlibet autem epocham in varias periodos subdividere licet.

Nota. Nonnulli Recentiores discrimen investigant, quod inter *historiam dogmatum*, et *historiam Theologiae dogmaticae* versatur. Cl. *Staudenmayr* (2) illud determinat dicens, in historia dogmatum *materiam*, in historia vero Theologiae dogmaticae solam *formam doctrinae fidei* esse considerationis obiectum. — Hanc vero distinctionem si non ut penitus erroneam, saltem ut minus accuratam merito suggillat *D. Kuhn* (3). Materiam enim doctrinae fidei ipsa dogmata constituunt, quae in se immutabilia, atque ideo quoad substantiam vicissitudinibus subiecta non sunt: sub hoc igitur respectu historiae obiectum constituere nequeunt. Apud Protestantes tantum id locum habet, qui plurima dogmata, quae usque ad saeculum decimum sextum firma fide ab omnibus credita sunt, temerarie negarunt et reiecerunt, doctrinas vero, quas receperunt, continuo mutarunt, quod iam invicte probavit Cl. *Bossuet* in celeberrimo opere de variationibus Ecclesiarum Protestantium, et quod nostris temporibus plurimis novis argumentis confirmari

(1) V. Kuhn Introd. § 14, p. 159, et seq.

(2) T. 1 Th. chr. § 14, p. 202

(3) L. c. p. 171.

potest. Itaque apud Protestantes historia dogmatum ab ipsa materia doctrinae fidei repeti potest, non vero apud Catholicos, qui dogmata immutabilia tenent, eorumque vicissitudines a sola forma repetunt, qua ab heterodoxis obscurantur et impugnantur, ab orthodoxis vero illustrantur et defenduntur. Ipsa enim Ecclesia non novum dogma condit, dum doctrinam quandam solemniter definit, et contra aliter sentientes anathema vibrat. — Ideo *D. Kuhn* formas dogmatum *empiricas* et *speculativas* distinguit, et illas in historia dogmatum; has vero cum totius doctrinae systematibus in historia theologiae dogmaticae describi dicit. Aliud discrimen inferius addit, dum formae dogmatum vicissitudines, quae ab ipso Ecclesiae magisterio originem ducunt, historiae dogmatum, eas vero, quae ab ingenio humano, seu a privatis doctoribus procedunt, historiae Theologiae dogmaticae enarrandas tribuit (1). Caeterum, cum ecclesiasticae dogmatum declarationes et definitiones in ipsa Theologia dogmatica, errores vero illis oppositi in polemica referantur, vix intelligi potest, qua ratione historia dogmatum a Theologis catholicis tanquam *specialis* disciplina theologica considerari, aestimari et commendari potuerit.

ARTICULUS I.
Epocha patristica.

§ 41. Aetas Ss. Patrum a nonnullis ad sex priora Ecclesiae saecula restringitur ita, ut eorum ultimus *S. Gregorius M.* nominetur; communiter autem extenditur usque ad saeculum duodecimum, ita ut praeclarum Ss. Patrum agmen claudat *S. Bernardus*. — Ast quoniam in historia Theologiae dogmaticae de forma seu methodo agitur, qua doctrina sacra pertractata fuit, prima, seu patristica epocha protrahenda esse videtur usque ad saeculum undecimum, quo in Occidente prima Theologiae scholasticae iacta sunt fundamenta. In decem prioribus vero Ecclesiae saeculis Theologia varia fata, incrementa et decrementa habuit, ita ut haec epocha in varias periodos commode dividi possit.

I. Christus, Apostoli et Patres apostolici.

§ 42. 1. Doctrinam coelestem, quae omnes Philosophorum doctrinas infinite superat, et per quam solam salus invenitur, Christus ipse, Filius Dei incarnatus, hominibus annuntiare dignatus est. Erat autem ratio docendi, qua Christus usus est a disciplinae elaboratioris forma multum aliena, non certo alligata systemati, neque adstricta artis humanae, qua divina Sapientia non indigebat, legibus, simplicissima quidem, at coniuncta cum gravitate et maiestate, ac simul cum suavitate et facundia tali, ut *omnes* mirarentur *in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius* (2), et dicerent: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo* (3). Quamvis autem Christus coram rudiori populo doctrinas suas magna simplicitate proponeret, easque similitudinibus et parabolis illustraret; attamen Sadducaeis, qui de sua sapientia gloriabantur, invicta argumentatione silentium imposuit (4), atque Pharisaeorum hypocrisin magna eloquentiae vi confudit (5).

2. Apostoli in docendo simplicem divini sui Magistri methodum imitati, integram salutis doctrinam hominibus annuntiarunt *non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed*

(1) L. c. (2) Luc 4, 22. (3) Io. 7, 46

(4) Matth. 22, 29 etc.
(5) Matth. 23, 13 etc.

Digitized by Google

in ostensione spiritus, et virtutis (1). Eadem simplex docendi ratio ex eorum scriptis elucet, in quibus non iam completa, et multo minus systematica totius doctrinae christianae pertractatio invenitur (v. Th. gen. § 189). Apostoli variis rationibus ad scribendum impulsi ea praecipue exposuerunt, quae primario suo fini congruebant. — *Matthaeus, Marcus,* et *Lucas* vitam Christi descripserunt, ut ex miraculis, quae patravit, et ex prophetiis V. T., quas adimplevit, ipsum verum esse Messiam ostenderent. *Ioannes* in suo Evangelio praecipue Christi divinitatem, quam nonnulli negabant, asseruit et commonstravit. *Paulus* ad exorta dissidia sedanda et ad serpentes errores tollendos varias Epistolas scripsit. Ut eorum, qui de dono fidei gloriabantur, superbiam retunderet, in Epistola ad Romanos doctrinam de universalitate peccati originalis exposuit, per Christum omnes redemptos, et gratiam vocationis ad fidem omnino gratuitam esse ostendit. Corinthios, inter quos scissurae erant, ad unitatem fidei et charitatis revocat, et contra falsos doctores praemunit, praecipue contra illos, qui male de carnis resurrectione sentiebant. In aliis Epistolis alios sui temporis errores confutat, et ubique totus in eo est, ut dogma, ab Apostolis in Concilio hierosolymitano definitum, promulget, eos, qui observantiam legalium necessariam esse dictitabant, confunderet, et *fidem* in Christum, *quae per charitatem operatur* (2), ad salutem sufficere commonstraret. — Cum autem nonnulli in oppositum, quod saepe contingit, errorem praecipitarent, et fidem sine operibus ad salutem sufficere contenderent, pernicioso huic errori se opposuerunt *Petrus, Ioannes, Iacobus* et *Iudas*, in Epistolis suis bonorum operum necessitatem clare probantes, et salutaria monita ad vitam recte instituendam Christianis proponentes. Eadem documenta etiam in Apocalypsi (3) traduntur.

3. Scriptores ecclesiastici, qui immediati Apostolorum discipuli et auditores fuerunt, atque doctrina et sanctitate eminuerunt, *Patres apostolici* nominantur. Apostolicum isti dicendi scribendique genus imitati sunt; ast non integram doctrinam, ab Apostolis acceptam, litteris consignarunt, sed aliqua tantum dogmata, ut occasio ferebat, aut eorum, quibuscum agebant, necessitas utilitasve exposcebat, simplici stylo in scriptis suis proposuerunt. Sic *Clemens Rom.* in Epistolis ad Corinthios, quos dissidentes ad pacem et unitatem revocare nititur, circa dogmata catholica de necessitate charitatis, et bonorum operum ad iustificationem et salutem, de praecepta peccatorum confessione, de divina Traditione, et hierarchia ecclesiastica satis perspicua testimonia exhibet. *S. Ignatius M.* in suis septem Epistolis sicut scriptam, ita et ore traditam Apostolorum doctrinam commendat, Episcopos, Presbyteros et Diaconos distinguit, solam fidem absque charitate ad salutem minime sufficere docet, realem Christi in Eucharistia praesentiam adstruit, aliaque dogmata haud obscure indigitat. — *S. Polycarpus* in sua ad Philippenses Epistola de divinitate et resurrectione Christi testimonia perhibet, iustificationem nostram Christi adscribit meritis, Ss. Martyrum gloriam a suo mox obitu obtinendam commemorat. — Auctor Epistolae, quae *S. Barnabae* adscribitur, exhibet authentiam Evangelii Matthaei et Lucae, tradit divinitatem Filii, et fi-

(1) 1 Cor. 2, 4. (2) Gal. 5, 6.

(3) C. 2 et 3.

Digitized by Google

dei necessitatem in Christum, iustificationem cum sanctificatione, quae fit per Spiritum sanctum, coniungit, legis mosaicae abrogationem et efficaciam baptismi a Christo instituti propugnat. — *Hermae* liber, qui *Pastor* inscribitur, copiosior equidem est in exponendis practicis christiani hominis officiis, sed his tamen theoreticas quoque veritates adnectit, et loquitur de mysterio Trinitatis, de divinitate Christi, de Spiritus sancti divina distinctaque hypostasi, de duplici Christi natura, de distinctione peccatorum mortalium et venialium, de merito bonorum operum, de indissolubilitate matrimonii, de iudicio, de praemiis iustorum, et poenis impiorum. — Patribus apostolicis etiam adnumerari solet praeclarae Epistolae ad Diognetum *Auctor*, licet ignotus, qui Religionis christianae veritatem contra Gentiles et Iudaeos vindicat, illius excellentiam et efficaciam ostendit, Deum omnium Creatorem et Dominum asserit, et praeclare de Incarnationis et Redemptionis mysterio disserit (1).

Nota. Si genuina essent opera *S. Dionysio Areopagitae* adscripta, hic inter Patres apostolicos vel maxime laudari mereretur. Quamvis autem ea ipsi a Criticis abiudicentur, et illorum origo ad quartum, vel quintum saeculum referatur, nihilominus in Theologia dogmatica magnae sunt utilitatis et auctoritatis, tum quia in illis de Deo eiusque perfectionibus, de Trinitate, de Angelis, aliisque dogmatibus praeclare disseritur, tum quia a saeculo quinto usque ad nostra tempora in magno honore habita sunt (§ 22, not. 3).

(1) V. Klüpfel Proleg. § 105, Feier t. 1, § 26, Fessler Patrol. t. 1, § 51 - § 66.

II. Doctrinae christianae contra Ethnicos, Iudaeos et Gnosticos defensores in saeculo secundo et tertio.

§ 43. Religionem christianam iam tribus primis saeculis maxime dilatatam fuisse, ex historia constat. Ast Praesules ecclesiastici, qui Apostolis successerunt, memores verborum: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (2), non iam eruditis totius christianae doctrinae elucubrationibus conscribendis insudarunt, sed quae ab Apostolis per Scripturas et Traditionem acceperant, hominibus viva voce fideliter annuntiantes, sacrum revelatae doctrinae depositum conservarunt, fidem propagarunt, mores reformarunt, Ecclesiam dilatarunt. —Ast cum Religio christiana publice insultaretur, et orthodoxa doctrina corrumperetur, viri docti piique calamum strinxerunt, scriptisque suis adversarios confutare ac dogmata catholica defendere studuerunt. Hinc pleraque Patrum opera, quae in hac periodo prodierunt, apologetica, seu polemica sunt, partim contra Ethnicos, partim contra Iudaeos, partim contra Gnosticos directa.

1. Primi equidem nominis christiani inimici fuerunt Iudaei; cum autem Religio christiana extra Iudaeam quoque longe lateque propagaretur, Ethnici eidem infensissimum bellum indixerunt. Idolorum nempe cultores Christianos de atheismo accusabant, aliisque calumniis denigrabant; Reges et Praesides in illos ferro ignique saeviebant, et Philosophi dialecticas suas artes adhibebant, ut polytheismum et idololatriam defenderent; fidem autem in Christum Deum et hominem, ac humani generis redemptorem absonam, aliaque Christianorum dogmata rationi contraria

(2) Rom. 10, 17

esse ostenderent. — Verum isto tempore religionem christianam iam plures amplexi sunt, qui disciplinis humanis probe exculti fuerunt: isti philosophiam, in qua fuerant instituti, in christianismum secum intulerunt, et sincero veritatis amore ducti illa optime usi sunt tum ad tuendam, tum ad evolvendam religionem, quam erant professi. Ita exorti sunt christianae Religionis *Apologetae*, qui Christianos contra Ethnicos defenderunt, fallaces Philosophorum argutias diluerunt, polytheismi ac idololatriae vesaniam et impietatem ostenderunt, Deum unum, omnium creatorem, et Christum Filium Dei, ac mundi Redemptorem esse, luculentis argumentis probaverunt, aliaque Christianorum dogmata, ritus et mores contra improbas calumnias vindicarunt. Talia opera apologetica sunt sequentia: graeca: *S. Iustini* Philosophi, et Martyris duo Apologiae, et (si eius opera sunt) oratio ad Graecos, cohortatio ad Graecos, et tractatus de monarchia: *Tatiani* Oratio adversus Graecos: *Athenagorae* Legatio pro Christianis: *Theophili Antioch.* ad Autolycum libri tres: *Hermiae* gentilium Philosophorum irrisio: *Hippolyti* liber adversus Platonem de causa universi: *Clementis Alex.* Protrepticus, seu Cohortatio ad Gentes: *Origenis* libri 8 contra Celsum: latina porro: *Tertulliani* Apologeticus adversus Gentes, et ad nationes libri duo: *Minucii Felicis* Octavius: *S. Cypriani* liber de idolorum vanitate, et ad Demetrianum: *Arnobii* libri 7 adversus Gentes: *Lactantii* divinarum institutionum libri 7; liber de opificio Dei; liber de ira Dei; liber de morte persecutorum. — Praeter istos enumeratos alii quoque Apologetae extiterunt, ut *Quadratus*, *Aristides*, *Ariston*, *Melito Sardensis*, *Claudius Apollinaris*, et *Miltiades*, de quorum autem scriptis aut nihil, aut sola fragmenta extant.

2. Sicut Iudaei etiam post urbis Hierosolymae excidium ab impugnanda Religione Christiana non destiterunt; ita etiam Patres secundi et tertii saeculi se illis strenue opposuerunt, eosque de adventu Messiae atque de veritate Religionis christianae convincere studuerunt. Hunc in finem praecipue testimoniis ex S. Scriptura V. T. petitis usi sunt, ut adversarios propriis armis confoderent, simul autem Philosophiam et dialecticam artem impenderunt ad fallacia sophismata, quibus Iudaei Christianorum dogmata impetebant, feliciter solvenda, et penitus conterenda. — Id praeclare praestiterunt *S. Iustinus M.* in Dialogo cum Tryphone Iudaeo: *Tertullianus* in lib. adversus Iudaeos: *S. Hippolytus* in Demonstratione adversus Iudaeos: *S. Cyprianus* in Testimoniorum libris 3 adversus Iudaeos: *Origenes* in variis commentariis in Ss. Biblia maxima eruditione exaratis.

3. Praeter hostes externos mox in Ecclesia christiana enati sunt etiam interni, quamvis isti quoque externis adnumerari possint iuxta dictum: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis* (1). Isti haud sincero animo Religionem christianam amplectentes, philosophica systemata, quibus imbuti erant, cum Christianismo ita coniungere tentarunt, ut dogmata revelata illis accommodarent, atque ideo vario modo corrumperent, et cum plurimis erroribus commiscerent. Ne autem a Christi doctrina penitus recedere viderentur,

(1) 1 Io. 2, 19.

arcanam et non omnibus communicatam Apostolorum doctrinam commenti sunt, de cuius notitia ipsi gloriabantur, atque ideo iuxta omnium haereticorum morem sibi solis genuinam doctrinae christianae scientiam attribuentes, *Gnosticos*, seu Intelligentes sese appellarunt. Sicut autem posteriorum temporum haereses, ita iam Gnosticismus in plurimas sectas abiit, quae vix recenseri et multo minus accurate describi possunt. Recte autem istae ad duas praecipuas classes referuntur. Nonnulli enim Hellenismum, seu graecorum Philosophorum placita secuti, duce potissimum *Valentino*, mysterio Trinitatis et creationi Angelorum substituerunt emanationem Aeonum e numine quodam incomprehensibili, mundum visibilem ex materia aeterna non a supremo Deo, sed a Demiurgo, vel alio Aeone formatum esse dixerunt, et ideo, quia de materia male sentiebant, matrimonium spreverunt, et resurrectionem corporum negarunt. Quoad personam Christi alii Iesum pro mero homine habuerunt, cui se Aeon quidam inde a baptismo usque ad passionem iunxerit, alii vero Aeonem ipsum esse asseruerunt, qui ad speciem tantum humanam naturam induerit: his porro, aliisque innumeris commentis doctrinam de redemptione penitus everterunt. Secundam classem constituunt, qui Orientalium, seu Persarum philosophiae adhaerentes, dualismum profitebantur, principium bonum et malum admittebant, de materia aeque male sentiebant, Christum Patre longe inferiorem esse, illumque figuram tantum humani corporis retulisse, et ad speciem duntaxat natum, passum et cruci affixum fuisse dicebant. Ad hanc classem pertinent *Saturninus*, *Basilides*, *Marcion*, *Manes* cum multiplici sua sobole. Iisce duabus classibus Gnosticorum a nonnullis alia adiungitur *iudaizantium*, quales fuerunt *Ebionitae*, et *Cerinthiani*, qui orientalium Gnosticorum doctrinas cum Iudaismo et christianismo commiscuerunt. — Ad istos haereticos refellendos Ss. Patres varia scripta ediderunt. Latini huic praesertim principio institerunt, quod doctrina christiana non iuxta Philosophorum placita explicanda, nec per humana ratiocinia discutienda, sed ex Apostolorum traditionibus haurienda et declaranda sit, quae ex unanimi Ecclesiarum ab Apostolis fundatarum consensu cognoscuntur: cum autem his Gnosticorum commenta penitus ignota sint, ideo haec spuria, falsa, et a Religione christiana aliena esse, rectissime intulerunt. Ita Gnosticos strenue impugnarunt *S. Irenaeus* (1), *Tertullianus* (2), *S. Cyprianus* (3). Patres autem graeci, praecipue qui ex schola Alexandrina prodierunt, eidem quidem principio adhaeserunt, et doctrinam christianam ex scriptis, et non scriptis Apostolorum traditionibus hauriendam esse asseruerunt, sed simul etiam ope Philosophiae fallacia Gnosticorum argumenta refutare, et dogmata catholica defendere studuerunt. Id praestitit *Clemens Alex.*(4). *Origenes* quoque Theologiam ope Philosophiae illustrans, nonnullos Gnosticorum errores feliciter debellavit; sed philosophicis speculationibus nimis indulgens a fidei puritate descivit, et de origine animarum, de futura corporum resurrectione, et de poenarum aeternitate heterodoxas sententias propalavit. — Caeterum

(1) Lib. 5 adversus haereses.
(2) Lib de praescriptione haereticorum.
(3) Lib. de unitate Ecclesiae.
(4) In libris 7 Stromatum (V. Kuhn 1 c. p 177).

etiam inter Latinos non defuerunt, qui ope philosophiae artisque dialecticae Gnosticorum errores confutarent: id sane ipsius *Tertulliani* opera probant, nempe libri 5 contra *Marcionem*: lib. adversus *Hermogenem*: lib. contra *Valentinianos*: lib. de carne Christi: lib. de resurrectione carnis: lib. de anima: *Scorpiace*, i. e. antidotum contra venenum haereticorum.

Nota. Patres primorum saeculorum *platonicae* potissimum philosophiae addicti erant, cuius principia de rebus divinis dogmatibus christianis magis consona cognoscebant, quamvis etiam dialectica *Aristotelis* praecipue in schola Alexandrina neglecta non fuerit. Ast dum Patres disciplinarum philosophicarum studio vacabant, rem christianam iuvare cupiebant, non prodere, nec doceri a Philosophis, sed erudite, quae in revelationis schola didicerent, docere volebant; ideo quae in Philosophis vera, bona et utilia inveniebant, amplectebantur, quae autem Apostolorum doctrinae contraria erant, respuebant, omnino persuasi inveniri verum nisi in Christi schola non posse: id clare profitentur *S. Iustinus M.* (1), et *Tertullianus* (2). — Quod si in istorum Patrum scriptis non omnia dogmata catholica clare exposita inveniuntur, probe attendendum est, illa non tam ad fideles erudiendos, quam potius ad infideles et haereticos refellendos exarata fuisse. Praeterea Patres diligenter observabant *disciplinam arcani*, in eo positam, ut summa quaedam Religionis christianae mysteria Gentilibus imo et Catechumenis prudenter et scienter occultarentur. Hinc factum est ut Apologetae de iis tantum Christianorum doctrinis et caeremoniis loquerentur, quae in Ethnicorum notitiam pervenerant, et ab iisdem impugnata fuerant (3).

III. *Ss. Patrum contra Antitrinitarios certamina in saeculo tertio et quarto.*

§ 44. Quo magis in Christianorum scholis, tum in Oriente, tum in Occidente erectis, Philosophiae et aliarum scientiarum studium effloruit, et agente potissimum *Origene* S. Scripturae accuratior cognitio, et profundior meditatio promota fuit; eo plures viri prodierunt, sicuti sanctitate, ita et doctrina excellentes, qui praecipue in saeculo quarto Theologiam egregiis suis scriptis maxime illustrarunt. — Extiterunt autem etiam nonnulli, qui Philosophia leviter degustata abutentes, et mentis arrogantiae nimis indulgentes, summum Religionis Christianae mysterium, nempe doctrinam de Trinitate non iuxta divinae Revelationis effata profiteri, sed iuxta infirmae suae rationis dictamina investigare et explicare praesumpserunt; ideo in gravissimos errores prolapsi sunt, et valde vehementes in Ecclesia turbines excitaverunt.

1. Iam saeculo secundo nonnulli nonnisi unicam in Deo personam admittebant, ed ideo opus Incarnationis et Redemptionis non magis Filio, quam Patri adscripserunt, idcirco *Patripassiani* dicti, ad quos referendi sunt *Praxeas* et *Noëtus*. Idem fere docuit huius discipulus *Sabellius*, qui negavit, tres divinas Personas realiter inter se distingui, et asseruit, unam eandemque Personam Dei varia nomina sortiri, prouti se vario modo per Creationem, per Redemptionem

(1) In Dial. c. Tryph. et aliis in locis. (V. Klüpfel L. I, § 29, not. 1).

(2) De praescript. c. 7 et 8.

(3) Cf. Dissert. de disciplina arcani contra disputationem Ernesti Tetzelii, Romae 1685; Schollner Dissert. de disc. arcani.

et per Sanctificationem hominum manifestat. — Hisce haereticis Ss. Patresse strenue opposuerunt. Iam *Tertullianus* confutavit Patripassianos in lib. adversus Praxeam. *S. Hippolytus* scripsit tractatum contra haeresin Noëti, et contra Beronem et Heliconem. Adversus haeresin Sabellianam plura opera prodierunt, nempe *Novatiani* libri de Trinitate: *Dionysii Alex.* lib. adv. Sabellium: *Dionysii Rom. Pontif.* Epistola Encyclica adversus Sabellianos: *Eusebii Caesar.* adv. Marcellum libri 3, de ecclesiastica Theologia libri 3, et libri 2 adv. Sabellium: *S. Athanasii* (vel alius auctoris) liber contra Sabellii gregales: *S. Basilii* Homilia 24ta contra Sabellianos, et Epistola 210ma. *S. Gregorii Nyss.* Sermo adv. Arium et Sabellium.

2. Maximos in Ecclesia tumultus excitavit *Arius*, Presbyter Alexandrinus, novae haeresis foecundus parens. Hic siquidem tametsi ab initio haereseos suae cum Sabellio monotheismum adserere maxime visus sit, ad exclusionem usque pluralitatis personarum; cum nihilominus e Platonis placitis suum hauserit et confecerit dogma, ad huius mentem Deos conditos ac supremo inferiores adstruxit, Filium et Spiritum sanctum. Quo sensu haud immerito a nonnullis dictum est, Arium polytheismum licet defaeccatum ope elementi christiani in Ecclesia adnisum esse instaurare. Nam platonicam in Ecclesiam doctrinam invexit ad exponendam relationem Dei cum hac rerum universitate, quam non immediate a Deo, sed cum Platone per creaturam nobilissimam, atque ante creaturas caeteras visibiles, et ante tempora conditam, scilicet Verbum uti opificem ac δημιουργὸν conditum excogitavit. Hoc systemate Verbi seu Christi divinitatem et consubstantialitatem cum Patre negavit, et SS. Trinitatis mysterium sustulit. Impia haec haeresis primum ab *Alexandro* Patr. Alex., deinde a multis aliis Episcopis catholicis ac demum a Concilio generali *Nicaeno I* damnata fuit. Nihilominus autem multi doctrinae Arii pertinaciter adhaeserunt, alii vero istam mitigarunt, aequalitatem quamdam Filii cum Patre admittentes, consubstantialitatem autem negantes, idcirco *Semiariani* dicti: omnes porro non sine magna dialectica errores suos tueri conati sunt. Ast divina Providentia favente inter Catholicos tunc tempore praestantissimi viri extiterunt, qui divinitatis Christi adversarios strenue oppugnarunt, et penitus contriverunt. In Oriente acerrimus catholicae fidei propugnator fuit *S. Athanasius*, qui Verbi divinitatem, eiusque cum Patre consubstantialitatem ex S. Scriptura et constanti Ecclesiae Traditione invicte probavit, et fallacia Arianorum argumenta solidissime confutavit. Praecipua, in quibus id praestitit, opera sunt: Epistola encyclica ad Episcopos Aegypti et Lybiae: Orationes 4 contra Arianos: Epistolae 4 ad Serapionem: Epistola ad Monachos: Epistola de decretis Nicaenae Synodi: Liber de Incarnatione Verbi Dei, et contra Arianos: Historia Arianorum: Condemnatio Arii: Apologia contra Arianos. — *S. Cyrillus Hieros.* in Catechesibus ad Illum., praesertim in decima et undecima divinitatem Christi probat, et Arianos confutat. Idem praestat *S. Basilius* in libro secundo adv. Eunomium, et in aliis operibus. Arianismus pariter impugnatus est a *S. Gregorio Nyss.* in orationibus seu libris 12 antirrheticis adv. Eunom.; a *S. Gregorio Naz.* in celeberrimis quinque Orationibus de Theologia, in tractatu de Fide, et

in tractatu de Fide Nicaena; et a *S. Chrysostomo* passim, ac praecipue in Homiliis in Evangelium S. Ioannis.— In Occidente quoque contra Arianorum errores egregia opera prodierunt; talia sunt: *S. Hilarii* de Trinitate libri 12, liber de Synodis, libri 2 ad Constantium Augustum, liber contra Arianos: *C. Mar. Victorini* adv. Arium libri 4: *S. Eusebii Vercell.* Epistola ad presbyteros et plebem Vercellensem: *Luciferi Calaritani* ad Constantium Imp. libri 2: *Faustini* lib. de Trinitate, seu de fide c. Arianos: *S. Ambrosii* de Fide libri 5 ad Gratianum Aug.: De Incarnationis dominicae Sacramento: de Fide orthodoxa contra Arianos, seu de Filii divinitate, et consubstantialitate tractatus, quem tamen alii Gregorio Naz., alii Vigilio, alii Gregorio Eliberitano tribuunt.

3. Ex ariana haeresi mox alia emersit, duce *Macedonio* P. C. qui docuit, Filium quidem Patri per omnia similem, sed Spiritum sanctum creaturam esse. Ulterius progressus est *Eunomius* asserens, Filium Dei esse omnino dissimilem Patri, et Spiritum sanctum esse creaturam Filii. Idem docuit, nos essentiam Dei perfecte comprehendere, et intime contemplari posse. Hisce quoque haereticis, qui Pneumatomachi, seu impugnatores Spiritus sancti dicti sunt, Ss. Patres strenue sese opposuerunt. Macedonius in *Concilio Constantinopolitano I* damnatus fuit. Eunomium confutavit *S. Basilius* in libris adv. Eunom. ubi in libro tertio et seq. divinitatem Spiritus sancti probat, et Eunomii errores refutat; idem S. Doctor catholicam doctrinam propugnat in lib. ad Amphilochium de Spiritu sancto Deo. Et cum Eunomius contra Basilium iam mortuum suos errores defendere tentaverit, refutationem suscepit *S. Gregorius Nyss.* in opere iam citato, et in sermone de Spiritu sancto adv. Macedonianos. *Amphilochius* quoque in certamen contra Pneumatomachos descendit, et quamvis liber illius *de Spiritu sancto Deo* perierit, extat tamen eiusdem *Epistola synodica*, in qua divinitatem Spiritus sancti probat. Porro Macedonii et Eunomii errores confutant *S. Gregorius Naz.* in opp. citatis: *S. Epiphanius* in Ancorato: *S. Chrysostomus* in Homiliis 6 ad Anomaeos de incomprehensibili Dei natura: passim etiam Patres latini in opp. cit. et in specie *S. Ambrosius* in lib. 3 de Spiritu sancto ad Gratianum Aug.

4. Quamvis Ss. Patres huius periodi in refellendis Antitrinitariis maxime occuparentur, aliorum tamen errorum christianis dogmatibus oppositorum confutationem non neglexerunt, imo etiam alia opera nobis reliquerunt, quae Theologiae dogmaticae plurima emolumenta afferunt. Sic *S. Athanasius* libros duos contra Gentes exaravit. *Eusebius Caesar.* praeter Historiam ecclesiasticam, et alia opera historica et exegetica, etiam Religionem christianam defendit in libro contra Hieroclem in Praeparatione evangelica, et in Demonstratione evangelica. Celebre est *S. Epiphanii* Panarium adversus octoginta haereses. *S. Cyrillus Hieros.* praecipuas Religionis christianae veritates, in Symbolo hierosolymitano breviter indigitatas, clare exponit. *S. Basilius et S. Gregorius Naz.* in facundissimis suis Homiliis, Epistolis aliisque operibus plurima dogmata catholica illustrant: idem dicendum est de scriptis *S. Gregorii Nyss.*, qui philosophiae ac scientiae omnigenae peritia et acumine excelluit, in magna sua *Catechetica* universam fere Theologiam complexus est et specia-

les tractatus contra fatum, de anima et resurrectione, de infantibus praematura morte abreptis edidit. A *S. Ephremo*, praeter multa opera exegetica, moralia et ascetica, etiam habentur dogmatici et polemici sermones 56 adv. haereses, 80 adv. scrutatores, 7 de margarita seu de fide, 3 simpliciter de fide inscripti, 13 de Nativitate Domini, plures de Sanctis, 4 de humanae libertatis arbitrio, et unus adv. Iudaeos. *S. Chrysostomus* libros sex de Sacerdotio exaravit, lectu dignissimos; eius opera polemica sunt: Demonstratio contra Iudaeos et Gentiles, quod Christus sit Deus: liber in S. Babylam contra Iulianum et contra Gentiles: Homiliae 12 contra Anomaeos: Homiliae 8 adv. Iudaeos; sed omnes eius Homiliae, praecipue illae, quibus varios Veteris et Novi Testamenti libros explanavit, Theologis nunquam satis commendari possunt, non solum quia eloquentiae nitore excellunt, sed etiam quia in iisdem varia dogmata catholica clare explicantur, solide comprobantur, et contra adversarios egregie defenduntur. Latini quoque Patres praeter iam indicata alia quoque egregia opera elucubraverunt, quae etiam ad illustrandam Theologiam theoreticam summopere inserviunt. Huc referri debent *S. Hilarii* Commentarii in Psalmos et in Evangelium Matthaei: *S. Ambrosii* Hexaemeron, expositio in Evangelium Lucae, et alia opera exegetica: eiusdem liber de mysteriis, libri duo de poenitentia, libri tres de officiis Ministrorum, Sermones et Epistolae: *S. Damasi* et *S. Siricii* RR. PP. Epistolae: *S. Zenonis Veron.* Sermones: *S. Philastrii* Ep. Brix. liber de haeresibus. — Ex hisce Ss. Patrum operibus Theologus optime addiscet, quomodo dogmata catholica ex S. Scriptura et ex Traditione probare oporteat, quanta auctoritas Ecclesiae definitionibus sit tribuenda, et qua ratione Philosophia cum arte dialectica adhiberi debeat ad doctrinam revelatam illustrandam et contra adversarios vindicandam.

IV. *Ss. Patrum opera dogmatica et polemica in saeculo quinto et sexto.*

§ 45. In hac periodo celeberrimi viri Ecclesiam scriptis suis illustrarunt. *S. Hieronymus* studio S. Scripturae totus incubuit, novam eiusdem versionem exornavit, egregia commentaria edidit, et, quia linguarum orientalium peritia, iudaicae archaeologiae cognitione, critica biblica et arte hermeneutica prae omnibus excelluit, iure merito *Doctoris maximi* nomen adeptus est. *S. Augustinus* acumine ingenii omnes superavit; et quamvis platonicae philosophiae addictus fuerit, hanc tamen per Revelationis lumina ita purgavit et emendavit, ut novae et praestantissimae philosophiae tum sanae rationi, tum divinae Revelationi apprime consentaneae praecipuus auctor rectissime dicatur. In arte dialectica optime versatus, adversarios omnes etiam ingenio, calliditate et facundia pollentes, penitus contrivit. S. Scripturae et ecclesiasticae Traditionis studio diligentissime incumbens doctrinam revelatam clarissime explicavit, solidissime comprobavit, et contra adversariorum insultus invictissime propugnavit. Etsi vero *S. Augustinus* in corpus quodpiam et ordinem systematicum non digesserit veritates revelatas; recte tamen arbitrantur eruditi, eum de rebus divinis hunc in modum disseruisse, ut his, qui eum sequerentur, facile esset in systema cogere fidei christianae dogmata, nec immerito asserunt, esse *Augustinum fontem* primum, ex quo praecipue

scholastici apud Latinos systemata sua theologica hauserint. Praeter haec duo clarissima lumina, in Occidente splenduerunt duo summi Pontifices, nempe *S. Leo M.*, et *S. Gregorius M.*; in Oriente autem *S. Cyrillus Alex.*, et *Theodoretus*, magno ingenio praeditus, sed de sua aliquando orthodoxia suspectus. Praeter iam nominatos alii quoque ecclesiastici Scriptores, doctrina et sanctitate conspicui, extiterunt. Varii autem huius temporis errores effecerunt, ut variae Religionis revelatae veritates pertractarentur, et plurima diversi generis theologica scripta in lucem prodirent.

1. Cum post Iuliani Imp. apostasiam *Gentiles* iterum caput erigerent, et illius libri contra Religionem christianam exarati multos seducerent, atque a fide abalienarent, egregiam istorum confutationem elucubravit *S. Cyrillus Alex.* in libris 10 adv. Iulianum. Et cum Gentiles infaustum urbis Romae a Gothis captae excidium, aliaque Romani Imperii infortunia nonnisi abrogationi idololatriae adscriberent, Deosque Christianis infensos esse dicerent, in horum defensionem *S. Augustinus* praeclarissimum opus conscripsit, nimirum libros 22 *de Civitate Dei*, in quibus Gentilium superstitionem confutat, Providentiam divinam ex iis, quae inter angelos et inter homines contigerunt, vindicat, et fere omnes Theologiae christianae thesauros dogmatice atque historice proponit. — Providentiae divinae, quam ob maximas temporum calamitates multi blasphemabant, vindicias susceperunt etiam *Theodoretus* in sermon. 10 de Providentia, et *Salvianus* in lib. 8 de Gubernatione Dei. — Alia quoque opera contra Gentiles et Iudaeos hac periodo in lucem prodierunt; talia sunt: *S. Augustini* lib. 3 c. Academicos: lib. de vita beata: lib. 2 de ordine: sex quaestiones contra Paganos expositae: lib. de divinatione daemonum: tract. adv. Iudaeos: liber de vera Religione: *S. Prudentii* lib. 2 c. Symmachum: *Theodoreti* sermones 12 de Graecarum affectionum curatione: in quo opere non minus eleganter quam solide ea confutantur, quae ab ethnicis philosophis Religioni christianae obiiciebantur.

2. *Manichaei*, duo summa principia statuentes, et multa alia absurda docentes, a *Manete* Persa exorti, iam saeculo quarto altas radices egerunt, et praecipue saeculo quinto ineunte admodum propagati sunt per *Priscillianum*, qui vetustis erroribus novos adiunxit. — Contra Manichaeorum errores iam saeculo quarto varia scripta exarata fuerunt, qualia sunt: *Titi Bostrensis* contra Manichaeos libri 4: *Didymi Alex.* lib. adv. Manichaeos: *S. Gregorii Nyss.* contra Manichaeos syllogismi decem: *Mar. Victorini* lib. ad Iustinum Manichaeum: contra duo principia Manichaeorum, et de vera carne Christi: et alia.—Ast nemo validius atque felicius Manichaeos oppugnavit quam *S. Augustinus*, qui huius sectae, cui aliquandiu addictus erat, impios errores optime noverat. Praecipua S. Doctoris opera contra Manichaeos sunt: lib. de utilitate credendi: lib. 2 de moribus Ecclesiae catholicae, et de moribus Manichaeorum: lib. 2 de Genesi c. Manichaeos: libri 33 contra Faustum Manichaeum: lib. c. Epist. Manichaei fundament.; lib. 2 de actis cum Felice Manichaeo: lib. de natura boni: disputatio c. Fortunatum Manich.: liber de duabus animabus: lib. 3 de libero arbitrio: liber c. Secundinum, et alia.

3. *Donatistae*, iam saeculo quarto longe lateque per Africam diffusi, va-

Digitized by Google

lorem baptismi ab haereticis collati, et Ecclesiae visibilitatem negabant, aliosque errores disseminabant. Istos quoque haereticos *S. Augustinus* magna virtute compressit. Eius opera contra Donatistas sunt: Psalmus contra partem Donati: lib. 3 c. Epist. Parmeniani: lib. 3 c. literas Petiliani: lib. 4 c. Cresconium: lib. 7 de baptismo: Epist. ad Catholicos c. Donatistas, seu liber de unitate Ecclesiae: et alia. Alii quoque Haeretici eodem aevo exorti sunt, et errores spargere coeperunt. *Helvidius* docuit, B. Virginem post Christi nativitatem ex Iosepho alios filios habuisse. *Iovinianus* asseruit, peccata esse paria, praemia Sanctorum esse aequalia, virginitatem non praestare coniugio etc. *Vigilantius* invocationem Sanctorum et cultum Reliquiarum impugnavit. *Ruffinus* doctrinam Origenis defendere sategit. *Luciferiani* baptismum ab Arianis collatum invalidum existimabant, et in aliis a Catholicis dissentiebant. Aberrantes istos acri stylo exagitavit, et argumentorum pondere contrivit *S. Hieronymus* lib. adv. Helvidium de perpetua virginitate Mariae: libri 2 adv. Iovinianum: lib. c. Vigilantium: duplex Apologia adv. Ruffinum: Dialogus adv. Luciferianos. Perpetuam B. Mariae virginitatem etiam defendunt *Siricius P.* in Epist. adv. Iovinian. et *S. Ambrosius* in Epist. 42 ad Siricium P.

4. Magnos in Ecclesia tumultus excitavit *Pelagius*, qui propagationem peccati originalis et necessitatem gratiae ad actus supernaturaliter bonos et meritorios negavit, et ad hos liberum arbitrium una cum lege sufficere docuit. Perversam hanc doctrinam praecipue *Coelestius*, et *Iulianus* Ecclanensis Episcopus propugnare conati sunt. Ast Catholici huic haeresi fortiter restiterunt, contra quam etiam varia opera exarata fuere, qualia sunt: *S. Hieronymi* Dialog. c. Pelagianos, et Epist. 133 ad Ctesiphont.: *Orosii* Apologeticus c. Pelagianos de arbitrii libertate: *Marii Mercatoris* Commonitorium super nomine Coelestii, et Commonitorium adv. haeresin Pelagii et Coelestii: *Gelasii I* R. P. adv. Pelagianorum haeresin. Inter omnes autem, qui hanc haeresin impugnarunt, eminet *S. Augustinus*, qui Pelagianos verbis scriptisque profligavit. Praecipua opera ab ipso hunc in finem exarata sunt sequentia: Libri 4 de anima, et eius origine: Lib. 3 de peccatorum meritis, et remissione: Lib. de spiritu, et littera: Lib. de natura, et gratia: Lib. de perfectione iustitiae hominis: Lib. de gestis Pelagii: Lib. 2 de gratia Christi, et de peccato originali: Lib. 2 de nuptiis, et concupiscentia: Lib. 4 contra duas Epistolas Pelagianorum: Lib. 6 contra Iulianum Pelagianum: Lib. 6 operis imperfecti contra secundam Iuliani responsionem. Per haec S. Doctoris conamina Pelagii haeresis ita contrita est, ut vix inveniretur, qui peccatum originale, et necessitatem gratiae penitus negare auderet. Ast quamvis aliqui peccatum originale admitterent, eius tamen effectus, et vulnera valde extenuarunt, et necessitatem gratiae ad initium fidei, et boni operis, et ad perseverantiam finalem negarunt, qui propterea *Semipelagiani* dicti sunt. Contra istos quoque in pugnam descendit *S. Augustinus*, cuius opera huc pertinentia sunt: Lib. de gratia et libero arbitrio ad Valentinum, et eius monachos: Lib. de correptione, et gratia: Lib. de praedestinatione Sanctorum, et lib. de dono perseverantiae. Pugnam a S. Doctore feliciter coeptam strenue continuavit *S. Prosp Aquit.* cuius scripta, contra Semipelagianos directa,

sunt: Epist. ad Augustinum de reliquiis pelagianae haeresis in Gallia: Epist. ad Ruffinum de gratia, et libero arbitrio: Pro Augustino responsiones obiectionum calumniantium Gallorum: Responsiones ad capitula obiectionum Vincentiuianarum pro Augustino: pro eodem Responsiones ad excerpta, quae de Genuensi civitate sunt missa: et lib. de gratia et libero arbitrio contra Collatorem. Orthodoxam S. Augustini doctrinam contra Semipelagianos etiam *S. Fulgentius* vindicavit in lib. 3 ad Monimum: in lib. 2 ad Euthymium de remissione peccatorum: in lib. de incarnatione et gratia D. N. I. C.: in lib. 3 de veritate praedestinationis, et gratia Dei ad Ioan. et Vener. Huc referri debent *Hilarii* Epist. ad Augustinum (int. opp. S. Aug.): *Petri diaconi* Epist. ad Fulgentium (int. opp. S. Fulg.): *Fausti Rhegiensis* Epist. ad Lucidum Presb. et lib. 2 de gratia Dei, et humanae mentis libero arbitrio. — Etiam Rom. Pontifices contra Pelagianos, et Semipelagianos nonnulla scripta ediderunt, qualia sunt: *Innocentii I* Epist. ad Carthaginenses: *Zosimi* Epistolae 15 quae magna ex parte causam pelagianam spectant: *S. Leonis* Epist. 61 (al. 49), Ep. 116 (al. 90), et aliae: *S. Gregorii M.* lib. 1 in Ezech. Hom. 9 et 10, et Moral. lib. 9: generatim praeclarus hic Pontifex doctrinae S. Augustini de peccato originali, et de necessitate gratiae firmiter inhaeret, eamque passim in suis scriptis proponit.

5. Hoc aevo etiam circa mysterium Incarnationis, et Christi personam gravissimi errores disseminati fuerunt. Iam saeculo quarto *Apollinaris* Presbyter Laodicaenae Ecclesiae Christo animam humanam rationalem abnegavit dicens, huius locum ipsam eius divinitatem obtinuisse. — Hunc errorem Ss. Patres statim impugnarunt, uti *S. Athanasius* in Epist. ad Epictetum, et in lib. 2 contra Apollinarium; *S. Gregorius Naz.* in Epist. ad Calidon. Presb.; *S. Gregorius Nyss.* in Antirrhetico contra Apollinarem, et in Epist. ad Theophilum adv. Apollinarium; *S. Chrysostomus* (vel alius) in Epist. ad. Caesarium Monachum; *S. Damasus* R. P. in Epist. ad Paulinum Antioch. et in Epist. synodica contra Apollinar. — Longe maiores turbines saeculo quinto excitavit *Nestorius* Patr. Constantinopolitanus, qui asseruit, duas esse in Christo personas, alteram divinam, alteram humanam: atque ideo Mariam non esse matrem Dei, seu Deiparam, quia non Christum Deum, sed solum Christum hominem peperit. Hanc haeresin acerrime impugnavit *S. Cyrillus Alex.* a quo sequentia opera edita sunt: Libri 5 adv. Nestorii blasphemias: Explicatio duodecim capitum: Lib. de Trinitate, Dialogus (nonus) quod unus sit Christus: Scholia de Unigeniti Incarnatione: Lib. de Incarnatione Verbi Dei Filii Patris: Apologeticus pro duodecim capitibus adv. orientales Episcopos: Apologeticus adv. Theodoretum, et alius Apologeticus ad Theodosium Imp. — Inter reliqua opera eidem haeresi opposita commemoranda sunt: *Theodoti Ancyrani* Homilia adv. Nestor. et lib. ad eundem, seu Expositio Symboli Nicaeni: *S. Procli* Laudatio in S. Dei Genitricem Mariam: Lib. de incarnatione D. N. I. C. et Epistola de fide. *Io. Cassiani* lib. 7 de incarnatione Christi contra Nestorium: *Marii Mercatoris* Refutatio Symboli Theodori Mops.: Comparatio dogmatum Pauli Samos. et Nestorii: Contradictiones adv. anathematismos Nestorii: *Capreoli* Ep. Carthag. lib. de una Christi Dei, et

hominis persona: *S. Prosperi* Epitaphium Nestorianae et Pelagianae haereseos. *Io. Maxentii* Ep. Scythopol. c. Nestor. Capitula et Dialogus contra Nestorium. — Nestorio fortiter restitit etiam *Eutyches* Abbas Constantinopolitanus; ast in oppositum errorem prolapsus haeresiarcha factus est; ut enim unam in Christo defenderet personam, unam tantum Christo adscripsit naturam, ex divinitate et humanitate confusam, quapropter eius gregales *Monophysitae* appellati sunt. Ad hanc non minus impiam, quam insanientem haeresin confutandam, et ad doctrinam orthodoxam de Filii Dei incarnatione stabiliendam, scripta sunt: *S. Petri Chrysologi* Epistola ad Eutychetem: *S. Leonis M.* Epist. 28 (al. 24) ad Flavianum: Epist. 124 (al. 97) ad Monachos Palaestinos: Epist. 164 et 165 ad Leonem Imp. et aliae: *Theodoreti* Eranistes, seu Polymorphus: et Fabul. haeretic. l. 4, cap. 12 et 13: *Felicis III* R. P. Epist. 2 ad Petrum Fullonem, et Tractatus adv. Acacium: *Gelasii* R. P. de duabus in Christo naturis adv. Eutychetem et Nestorium: *Vigilii Tapsensis* contra Eutychetem libri 5: *Leontii Byzantini* contra Nestorium, et Eutychetem lib. 3: *Severini Boëtii* adv. Eutych. et Nestor. de duabus naturis, et una persona Christi: *Fulgentii Ferrandi* Epist. ad Anatolium de duabus in Christo naturis.

6. In hac periodo praeter enumerata, alia quoque Ss. Patrum opera prodierunt, quae ad Theologiae dogmatico-polemicae studium perficiendum maxime conferunt. Huc referri debent *S. Hieronymi* Epistolae, quae se tum styli elegantia, tum doctrinae praestantia commendant, et inter quas etiam nonnullae dogmaticae et polemicae inveniuntur: eiusdem liber de viris illustribus, seu de Scriptoribus ecclesiasticis inter praestantissima ac utilissima antiquitatis monumenta referri meretur. — *S. Augustinus* praeclare disserit de Deo uno, et trino in lib. 15 de Trinitate: de Deo creatore in lib. 12 de Gen. ad litteram: de Incarnatione in Tractat. 124 in Evang. Ioan., in Epist. ad Volusianum, et in libris contra Arianos exaratis: etiam in Enarrationibus in Psalmos totus in eo est, ut Christum, et Ecclesiam in Psalmis praesignatam, nec non doctrinae evangelicae mysteria et praecepta ibi latentia detegat; praeterea pro Theologia dogmatica etiam magni momenti sunt eiusdem lib. 4 de consensu Evangelistarum: Tractatus 10 in Epist. 1 S. Ioan.: Lib. de diversis quaestionibus 83: Lib. 2 de diversis quaestionibus ad Simplicianum: Lib. de fide, et symbolo: Lib. de agone christiano: Lib. de fide, et operibus: Lib. de cura gerenda pro mortuis: Tractatus 2 de resurrectione mortuorum. In sermonibus quoque S. Doctoris et in eiusdem Epistolis varia dogmata catholica egregie pertractata inveniuntur. Praecipue autem commendandum est vere aureum eius opus, nempe Enchiridion ad Laurentium, seu liber de fide, spe et charitate, in cuius prima parte ea, quae a Christiano credenda sunt, iuxta ordinem Symboli proponuntur, et variae tunc grassantes haereses refelluntur. Denique Theologiae polemicae magnopere inservit eius liber de haeresibus. — Alii quoque quaedam opera elucubrarunt, in quibus praecipua Religionis christianae dogmata, si non stricte systematice, concinno tamen ordine pertractantur. Talia sunt: *Iunilii Africani* de partibus divinae legis libri duo, quorum primus de S. Scriptura agit, alter de doctrinam de Deo, de mundo praesenti,

et de mundo futuro pertractat: *Gennadii Massil.* lib. de ecclesiasticis dogmatibus, quo dogmata Ecclesiae adversus haereticos stabilita recensentur: *S. Fulgentii Rusp.* Regula verae fidei, seu liber de fide ad Petrum, in quo de Trinitatis et Incarnationis mysterio, de creaturis materialibus et spiritualibus, de peccato originali, iudicio et resurrectione, de fide, baptismo, gratia et praedestinatione, de Ecclesia, et de sorte reproborum dogmata credenda proponuntur. — In hac periodo etiam prodiit celeberrimum opus, nempe *Vincentii Lirinensis* Commonitorium, in quo optime declaratur, quomodo fidem orthodoxam communire oporteat. — Specialem laudem et commendationem etiam merentur: *S. Paulini* Epistolae et Poëmata, in quibus multa sunt, quae dogmata firmant moresque formant, ac praecipue egregia testimonia de cultu Sanctorum et Reliquiarum exhibent: *S. Petri Chrysologi* Sermones, tum ob insignem eloquentiam, tum ob claram plurium dogmatum expositionem conspicui: *Theodoreti* Quaestiones in Pentateuchum etc.: Commentaria in plures V. et N. Test. libros: Historiae eccles. lib. 5: Dialogorum libri tres: *Anasthasii Sinaitae* ὁδηγός idest dux viae c. Acephalos: lib. 11 anagogicarum contemplationum in hexaemer.: lib. 5 de fidei dogmatibus (1): *S. Fulgentii* lib. ad Trasimundum Regem: Sermones et Epistolae magna eruditione refertae. Prae caeteris autem laudari et commendari merentur *S. Leonis M.* Sermones et Epistolae, in quibus stylo sublimi et eleganti summa Religionis mysteria pertractantur, et dogmata catholica uti clare exponuntur, ita etiam contra adversarios invicto robore defenduntur. Idem denique dicendum est de *S. Gregorio M.*, de quo scribit S. Ildephonsus (2): « Vicit sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum. » Praecipua eius opera sunt: Libri 35 Moral. in lib. Iob: Homiliae in Ezechielem: Homiliae in Evang.: lib. Regulae Pastoralis: Dialogorum lib. 4: Epistolarum libri 14.

(1) Bibl. Ss. PP. t. 1.

(2) L. de viris illustr. c. 1.

V. *Theologiae theoreticae vicissitudines a saeculo septimo usque ad decimum.*

§ 46. A *S. Gregorii M.* obitu theologica disciplina pedetentim in utraque Ecclesia ab altitudine illa, ad quam eam evectam vidimus, declinavit ob causas tum internas, tum externas, donec quodam veluti squallore obducta est. Invalescens enim morum corruptio, et frequentes belli tumultus, effecerunt, ut studia sacra usque magis negligerentur. De tam tristi Theologiae statu *Agatho*, et *Concilium Romanum* anno 680 publicum dederunt testimonium, *Constantino Pogonato* Imp. viros vitae integritate atque Scripturarum scientia praeditos postulanti, amaro animo respondentes: « Non aestimamus, quemquam temporibus nostris inveniri posse, qui de summitate scientiae glorietur, quandoquidem in nostris regionibus diversarum gentium cotide aestuat furor nunc confligendo, nunc discurrendo, nunc rapiendo: unde tota vita nostra sollicitudinibus plena est, quos gentium manus circumdat, et quibus de laboribus corporis victus est, eo quod pristina Ecclesiarum substantia paulatim per diversas calamitates succubuit. Sola est nostra substantia fides nostra cum qua nobis vivere summa gloria est. » — Divinae autem Providentiae consilio factum est, ut religiosi Ordines a *S. Augustino* et a *S. Benedicto* instituti latissime in

Occidente propagarentur, atque ita scientiae sacrae in coenobiis a mundi tumultibus remotis asylum quoddam reperirent. Et sane - Monachi Ss. Patrum opera cum summa diligentia transcribentes, ad hermeneuticam et constitutivam Ecclesiae traditionem conservandam, et ad scientificum quoque doctrinae sacrae studium resuscitandum et perficiendum plurimum contulerunt. — Generatim in hac periodo satis manifestus est nisus, non tam nova inveniendi, quam potius vetera conservandi et in lucem protrahendi. Hinc qui institutionibus theologicis operam navarunt, id plerumque ita praestiterunt, ut nonnisi ex Patrum scriptis, Conciliorumque decretis dogmaticas, aut morales sententias excerperent, colligerent, hisque nuda ipsius Scripturae S. testimonia adiungerent. Hac methodo christianae Religionis doctrina his temporibus pertractari exponique consuevit: neque ullus alius modus, torpescente in literis hac aetate, Traditionem apostolicam conservandi aptior atque accommodatior fuerat. — Philosophiae studium hoc aevo admodum neglectum fuit, et qui illi aliquo modo incubuerunt, non tam Platonis, quam potius Aristotelis placita secuti sunt, postquam huius opera saeculo praecedenti a *Ioanne Philopono* commentariis illustrata, et a *Boëtio* in latinum sermonem versa fuerant. Caeterum etiam in hac periodo non defuerunt, qui Ecclesiam scriptis suis illustrarunt, atque hic breviter commemorandi sunt.

1. *Saeculo VII.* In Hispania viri doctrina et sanctitate conspicui extiterunt. Inter omnes eminet *S. Isidorus Hispalensis*, quem nonnulli cum S. Gregorio M. comparare non dubitarunt. Multa hic opera scripsit; praecipuam laudem merentur: Sententiarum, seu de summo bono libri 3, quorum primo de doctrina fidei, secundo et tertio de praeceptis moralibus agitur, ita tamen, ut et his permulta de gratia, praedestinatione, peccato originali, etc. ex scriptis S. Augustini, S. Gregorii M. aliorumque immixta legantur: praeterea scripsit librum de genere officiorum: Lib. commentariorum, quem Synonimorum vocavit: Lib. 2 ad Florentinam de nequitia Iudaeorum: Lib. de natura rerum ad Sisebutum Principem: Lib. differentiarum: Lib. quaestionum, sive expositionis sacramentorum: Lib. Etymologiarum: Lib. de nativitate Domini, passione, resurrectione, regno et iudicio ad Florentinam sororem, et alios tractatus historicos et morales. — Inclaruit eodem saeculo *S. Ildephonsus* Episc. *Toletanus*, qui contra tres infideles, Iovinianum, Helvidium, et Iudaeos scripsit insignem tractatum de perpetua Virginitate B. Mariae: eidem etiam attribuuntur Sermones 12 de B. V. Maria, lib. de partu Virginis (sed a Criticis Paschasio Radberto adscriptus) et liber de viris illustribus, qui invenitur inter opera S. Isidori Hisp. — Eandem sedem Toletanam eximia pietate et singulari eruditione illustravit *Iulianus*, qui pluribus Conciliis Toleti habitis praefuit, egregiaque condidit opera, inter quae tres libri sunt de demonstratione sextae aetatis adversus Iudaeos. *Taio* Episcopus Caesaraugust. concinnavit libros quinque sententiarum de rebus theologicis, quorum maximam partem ex S. Gregorii M. et S. Augustini operibus conflavit. — In Oriente *Leontius* Neapoleos in Cypro Episcopus locos communes theologicos composuit, qui dogmaticam quasi anthologiam ex Patribus graecis collectam constituunt. — Ast hoc saeculo in Ecclesia graeca a *Cyro* Patr.

Alex. et *Sergio* CPtano nova haeresis initium habuit, nempe perversa doctrina eorum, qui asseruerunt, in Christo unam tantum voluntatem fuisse et unam operationem, ideo *Monothelitae* dicti. Huic haeresi restitit imprimis *S. Sophronius* Patr. Hier. cuius extat Epistola de haeresibus adv. Cyrum Alex. et Sergium CPtanum. Eosdem haereticos acerrime impugnavit et penitus contrivit *S. Maximus* Abbas et Martyr, philosophus et theologus, cuius opera sunt: Disputatio cum Pyrrho: De duabus naturis Domini et Dei Salvatoris N. I. Chr. capita decem: Monothelitae confutantur et condemnantur etiam in RR. Pontificum *Ioannis IV* et *Martini I* Epistolis. — Eosdem haereticos strenue debellarunt *Anastasius* ad S. Euthymium in Palaestina Abbas in Epistola ad Monachos Calaritanos, et alter *Anastasius* Apocrisiarius, i. e. nuncius Ecclesiae Romanae in Epistola ad Theodosium, Presbyterum Gangrensem. His accedit *S. Andreas Cretensis*, qui in Concilio generali sexto strenue se gessit adversus Monothelitas, et postea Archiepiscopus Cretae ordinatus celebres Homilias conscripsit. — Praeterea ex hoc saeculo nominari merentur: *Hesychius* Patr. Hieros., qui scripsit in Leviticum libros septem: *Antiochus* Monachus Palaestinus, qui edidit Pandecten S. Scripturae, seu Compendium totius Religionis christianae, et S. Scripturarum doctrinae, Homiliis 130 comprehensum: *S. Eligius* Noviomensis in Gallia Episcopus, qui 16 Homilias composuit, et Sermonem ad plebem: *S. Desiderius* Cadurcensis Episcopus, qui duos scripsit Epistolarum libros.

2. *Saeculo VIII.* In Oriente, duce *Leone Isauro* Imp., invaluit impia haeresis *Iconomachorum*, qui usum cultumque sacrarum imaginum reprobaverunt, ac penitus eliminare nisi sunt. Sed etiam praeclari viri inventi sunt, qui haereticis fortiter restiterunt, et orthodoxam doctrinam et dictis et scriptis illustrarunt. *S. Germanus* Patr. CPtanus gliscenti haeresi se maxima virtute opposuit, et ad usum cultumque sacrarum imaginum defendendum tres Epistolas scripsit, in Synodo Nicaena II lectas et approbatas: duas eiusdem Homilias de S. Cruce edidit Gretserus S. I. et quinque ipsius Orationes edidit Combefisius O. P. — A Bellarmino et aliis eidem adscribitur Theoria rerum ecclesiasticarum, sed ab aliis hoc opus adscribitur Germano iuniori, qui saeculo duodecimo Sedem CPtanam occupavit. — Maximum autem huius saeculi lumen fuit *S. Io. Damascenus*, doctrina et sanctitate insignis. — Hic acerrime contra Iconomachos pugnavit, et usum cultumque sacrarum imaginum defendit, quem in finem tres doctissimas et utilissimas Orationes pro sacris imaginibus exaravit. Sed etiam multa alia opera dogmatica et polemica conscripsit, qualia sunt: Parallelorum libri 24, quae sunt veluti collectanea ex Ss. Bibliorum, et Ss. Patrum sententiis contexta, in quibus primum de rebus divinis, deinde rebus humanis, demum de vitiis et virtutibus agitur: Tractatus de centum haeresibus: Libellus de recta sententia: contra Manichaeos Dialogus: Disceptationes Christiani et Saraceni: Lib. de sancta Trinitate: De natura composita contra Acephalos: De duabus in Christo voluntatibus, et operationibus contra Monothelitas: Dissertatio accuratissima adversus exosam Deo Nestorianorum haeresin: Epistola ad Iordanem de Trisagio: Tractatus de octo spiritibus nequitiae: his accedunt varia carmina, et celebres orationes in quaedam festa Do-

Digitized by Google

mini, ac in laudem B. V. Mariae et Sanctorum. Praestantissimum autem *S. Io. Damasceni* opus sunt libri quatuor de orthodoxa fide, in quorum primo agit de Deo uno, trino, et creatore; in secundo de providentia, de praedestinatione et de peccato originali; in tertio de Christo incarnato et Redemptore; in quarto de fide, de Sacramentis, et mediis gratiae. — In Occidente quoque nonnulli doctrina et pietate excelluerunt. *S. Gregorius II* orthodoxam doctrinam contra Iconomachos defendit: inter varia opera, quae scripsit, extant solum Epistolae doctissimae, quarum una ad S. Germanum invenitur in septima Synodo, Act. IV: duae ad Leonem Isaurum Imp. extant apud Baronium ad annum 13um huius Pontificis: apud eundem extant Epistolae ad Bonifacium anno 11mo, et ad Carolum Martellum, ad Turingos, ad Saxones, et ad alios anno 10mo eiusdem Pontificatus. *Hadrianus I* R. P. vir sanctus et eruditus, praeter Epistolas multas, quae extant partim in septima Synodo, Act. IV, partim inter epistolas pontificias, scripsit insignem librum pro defensione septimae Synodi, et responsionem ad librum missum a Carolo Rege Francorum ex Concilio Francofurtiensi. — Doctrina, et pietate eximius fuit Ven. *Beda* Anglus O. S. B., qui fere in omnes S. Scripturae libros commentaria scripsit, in quibus dogmata catholica praeclare illustrat, et varios haereticorum errores egregie confutat: idem edidit commentaria in Boëtii librum de Trinitate, et alia opera philosophica, historica et moralia. — In Gallia *Theodulphus* Aurelianensis Episcopus scripsit librum de baptismo, et Capitulare, ex 46 Capitulis constans, in quo pro presbyteris et pro laicis egregia documenta traduntur. *Ambrosius Autbertus* O. S. B. Abbas Monasterii S. Vincentii M. scripsit decem libros in Apocalypsin, Commentaria in S. Scripturam, nonnullas Homilias, et alia opera. *S. Bonifacius* Episcopus Moguntinus, et Germaniae Apostolus plures scripsit Epistolas graves et pias, atque composuit librum de Unitate fidei catholicae, quem laudat Zacharias R. P. apud Othonem lib. 2, cap. 9. — Hoc saeculo *Felix* Urgelitanus, et *Elipandus* Toletanus Episcopus in Hispania Nestorianismum resuscitarunt, docentes, Christum esse filium Dei adoptivum: sed statim damnati sunt a Concilio Francofurtiense, et ab Hadriano I R. P. in Epist. ad Episcopos Galliae. Eosdem haereticos confutarunt *Etherius* Uxamensis Episcopus, et *Beatus* Presbyter in libris 2 de adoptione Filii Dei adv. Elipandum; *Paulinus*, Patr. Aquileiensis, in Sacrosyllabo, seu libro de SS. Trinitate adv. Felicem et Elipandum, et in lib. 3 contra eundem Felicem: *Agobardus* Ep. Lugdunensis in lib. adv. dogma Felicis Urgellensis: et *Alcuinus* in lib. 7 de Trinitate adv. Felicem, et lib. 4 adv. Elipandum: alia quoque opera scripsit Alcuinus, nempe lib. quaestionum in Genesin, in Ecclesiasten: lib. quaest. de Trinitate: de divinis officiis: varias Epistolas et Tractatus morales.

3. *Saeculo IX* contra Iconomachos, qui in Oriente suos adhuc fautores habuerunt, varia scripta prodiere. *S. Nicephorus* Patr. Constantinopolitanus scripsit quatuor opuscula contra Iconomachos, quae extant ap. Henr. Canis. t. 4: scripsit etiam Epistolam valde prolixam ad Leonem III R. P. quae extat ap. Baron. t. 9. — *Theodorus Studita*, vir potens opere et sermone, dimicavit pro cultu sacrarum imaginum, et contra haeresin defendentem, adulterium licitum fieri posse

ex dispensatione; scripsit quinque libros Epistolarum, parvam Catechesin, seu sermones pro Monachis et magnam Catechesin, in qua Coenobii sui instituta exponit, aliaque opuscula. *Photius* scripsit tractatum de voluntatibus in Christo: dissertationes de incarnatione et divinitate Christi: nomocanonem, seu collectionem canonum Conciliorum et legum Imperatorum, et denique ingentem Bibliothecam composuit, in qua multa insignia monumenta reservavit: recte de ipso *Bellarminus* dicit, quod erat « homo magnae eruditionis, sed maioris nequitiae. » *Theodorus Abucara* Cariae Archiepiscopus tanta fuit eruditione praeditus, ut Mahumetanos, Iudaeos et quosvis sui temporis haereticos confutarit, et disputationes in modum dialogi scriptas reliquerit, quae extant in Bibl. PP. Lugdun. In Occidente, et praecipue in Gallia et Germania, non pauci eruditi viri extiterunt, et varii huius saeculi errores varia eorumdem opera provocarunt. Cum enim *Claudius* Ep. Taurinensis cultum sacrarum imaginum reprobaret, *Agobardus* Ep. Lugdun. librum composuit, in quo equidem superstitionem quorumdam damnat, et cultum latriae Sanctis impendendum negat, sed venerationem Sanctorum, et congruum ac religiosum imaginum cultum defendit (huius opera edidit Balusius 1666). *Ionas* quoque, Ep. Aurelianensis, adv. Claudium tres scripsit libros Apologeticos pro defensione venerationis imaginum et cultus S. Crucis, qui extant in Bibl. PP. — *Dungalus* denique, quem Muratorius non Monachum gallum, sed celebrem Papiae Magistrum fuisse probat, speciali edito libro cultum S. Crucis, et Ss. imaginum ex Patrum testimoniis adv. Claudium defendit. — *Paschasius Ratbertus*, Abbas Corbeiensis scripsit Commentarium in Threnos Ieremiae, atque insignem librum de Corpore et Sanguine Domini, in quo realem Christi in Eucharistia praesentiam et transsubstantiationem clare docet, et praeterea contendit, idem esse in Eucharistia corpus, quod ex Maria natum est. Hic liber equidem a Ratramno, Monacho Corbeiensi, et nonnullis aliis impugnatus fuit; verum ea quaestio, quod probe notandum est, haud tunc versabatur circa veritatem realis praesentiae, neque circa transsubstantiationem, sed circa statum Christi corporis in Eucharistia (1). Maiores contentiones excitavit *Godeschalcus*, natione Germanus, Monachus O. S. B. a nonnullis de Praedestinatianorum haeresi accusatus, ab aliis ut orthodoxus declaratus, ipsemet doctrinam suam exposuit in duplici confessione, in epistola ad Ratramnum, et in libello de praedestinatione. Eius doctrinam damnarunt et confutarunt: *Anonymus* in tribus libris, qui inscribuntur Praedestinatus, seu Praedestinatorum haeresis, et libri S. Augustino temere adscripti confutatio: *Hincmarus* Ep. Rhemensis in libro de praedestinatione et libero arbitrio, ac in epistolis ad Nicolaum I et ad alios: *Rabanus Maurus*, Ep. Moguntinus, qui doctrina et pietate excelluit, commentaria in universam S. Scripturam, tres libros de institutione Clericorum, et alia praeclara opera scripsit, in epist. de praedestinatione adversus Godeschalcum: *Amolo* Ep. Lugdun. in libro sententiarum Augustini de praedestinatione et libero arbitrio, nec non in epist. ad Godeschalcum: *Pardulus* Ep. Laudunensis in epist. ad Amolonem: et *Ioannes Scotus Erigena* in libro de praedestinatione divina contra Godeschalcum: fuit iste *Ioan-*

(1) V. Graveson, Hist. eccl. saec. 9, Colloq. 3. et 5.

nes Erigena vir magna eruditione praeditus, sed Origenianis placitis et Neoplatonismo nimium addictus, atque ingenii sui libidini indulgens ita de principiis et dogmatibus fidei philosophatus est, ut in graves sit errores dilapsus: ut nempe praedestinatianismum contereret, semipelagianismum resuscitavit; de reali Christi in Eucharistia praesentia, de extremo iudicio et de poenarum aeternitate male sensit et scripsit; rationi humanae ius et facultatem tribuit S. Scripturam exponendi, et dogmata fidei non solum plene intelligendi, sed et diiudicandi et determinandi; imo et de doctrina emanatistica et pantheistica vix excusari potest. — Extiterunt autem eodem tempore viri doctrina et pietate conspicui, qui doctrinam Godeschalci ut orthodoxam defenderunt, eam vero Scoti Erigenae ut heterodoxam reprobarunt. Tales sunt: *Lupus* Abbas Ferrar., qui in libro de tribus Quaestionibus Godeschalci doctrinae plurimum favet: *Ratramnus* in duobus libris de praedestinatione: *Prudentius*, Ep. Trecensis, in libro de praedestinatione: *Lupus Servatus*, Presb. Moguntinus, in libello de tribus Quaestionibus: *S. Remigius* in lib. de tribus epistolis, in absolutione quaestionis, et in libro de tenenda veritate etc., nomine Ecclesiae Lugdunensis doctrinam Godeschalci doctrinae S. Augustini et orthodoxae fidei consonam declarat: denique huc pertinent *Flori Diaconi*, seu Ecclesiae Lugdunensis libri 4 de gratia et praedestinatione adv. Io. Scotum Erigenam, in quibus varii huiusce errores refutantur. — Praeter iam indicatos huius saeculi scriptores, adhuc commemorandi sunt: *Amalarius Fortunatus* Ep. Trevirensis scripsit librum de sacro baptismate: sed libr. 4 de ecclesiasticis officiis, et lib. de ordine Antiphonarii probabilius sunt *Amalarii Diaconi Metensis*: *Walafridus Strabo*, O. S. B. Augiae Divitis Abbas, librum edidit de rebus ecclesiasticis, ubi cap. 8 contra Iconomachos religiosum sacrarum imaginum cultum defendit, idemque est auctor *Glossae ordinariae* in S. Scripturam, quam ex aliorum interpretum, et praesertim Rabani praeceptoris sui commentariis studiose collegit: *Haymo* O. S. B. Ep. Halberstadtiensis scripsit commentarios in Psalmos, in Isaiam et alios Prophetas, in Cantica Canticorum, in omnes Epistolas Pauli et in Apocalypsin: in Evangelia homiliarum libros duos et libros tres de christianarum rerum memoriam: *S. Eulogius M.* electus Ep. Toletanus scripsit Memoriale Martyrum: Apologeticum pro Martyribus: Exhortationem ad Martyrium et aliquot epistolas: *Anastasius* Abbas Romanus, et Bibliothecarius scripsit vitas Rom. Pontificum usque ad Nicolaum primum: Collectanea etiam contexuit, seu varias Epistolas et Relationes, Historiam Monothelitarum spectantes, et alia opera edidit. Tandem cum summa laude nominandus est *Nicolaus I* R. P. sanctitate et doctrina excellens. Epistolas plurimas scripsit, in quibus multa dogmata explanantur et contra adversarios vindicantur. Ipse Photium, schisma conflantem damnavit, et calumnias a Graecis Ecclesiae latinae impactas confutavit, quod et per Episcopos Galliae factum est, et praecipue per *Ratramnum* Monachum, qui ad easdem calumnias refellendas quatuor libros conscripsit.

4. *Saeculum X* ferreum, plumbeum et obscurum appellari consuevit, quoniam in isto scientiarum studia fere extincta fuisse videbantur, et magna morum corruptio invalescebat. Ast

ex singulari divinae providentiae beneficio errorum, schismatum et haeresum monstra nulla prodierunt: ex quo etiam intelligi potest, qua de causa, licet tum inter Episcopos et Presbyteros, tum praecipue inter Monachos viri docti piique non defuerint, pauca tamen scripta dogmatica et polemica exarata sint. Nonnulli tamen scriptores sacri merito hic commemorantur. Iam ineunte hoc saeculo *Leo Sapiens*, Orientis Imperator scripsit epistolam insignem ad Regem Saracenorum de christianae fidei veritate, et Saracenorum impietate, ubi disertis verbis Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere affirmat (1): scripsit etiam orationes, quae latine redditae et Ingolstadii excusae sunt. *Eutychius* Patr. Alex. disputationem inter Heterodoxos et Christianos scriptam exaravit. *Nicon* Armenus Monachus librum edidit de pessima Religione, seu de erroribus Armenorum, qui latine habetur in Bibl. PP. — *Moses Barcephas* Syrorum Episcopus edidit Orationes 5 de opere sex dierum, et de Paradiso libros tres, caute legendos, ait *Bellarminus*, quia ab erroribus non sunt immunes (2). *Suidas* lexicon prolixum condidit, in quo non pauca habet ad historiam Ecclesiae spectantia, variaque Veterum fragmenta refert. — In Occidente *Ratherius* O. S. B., Ep. Veronensis, epistolam scripsit de Corpore et Sanguine Domini, aliaque plura opuscula. *Atto*, Ep. Vercellensis, eruditum composuit opus de pressuris Ecclesiasticis, in quo de iudiciis et ordinationibus Episcoporum, et de facultatibus Ecclesiarum agit; collectionem quoque Canonum exornavit, et sermones 17 ad populum scripsit. *Radulphus*, Monachus Flaviacensis, scripsit lib. 20 in Leviticum, et lib. 14 in Epistolas S. Pauli. *S. Odo*, Abbas Cluniacensis, scripsit aliquot sermones, hymnos et alia opuscula (3). — *Herigerus*, Abbas Laubiensis, scripsit epistolam ad Hugonem de quibusdam quaestionibus, dialogum de dissonantia Ecclesiae, de Adventu Domini, et librum de Corpore et Sanguine Domini. *Othlo* Monachus Fuldensis vitam *S. Bonifacii* Ep. Mogunt. quam *Wilibaldus* statim post eius obitum scripserat, Epistolis, Actis Conciliorum, et aliis monumentis auxit. *Burchardus* Ep. Wormatiensis veteres Ecclesiae Canones in unum volumen viginti libris distinctum digessit. *Witichindus* O. S. B. praeter opera historica sermones ad Fratres, Epigrammatum librum unum, et de studiis Veterum librum unum censcripsit. *Stephanus* Ep. Edvensis scripsit de SS. Sacramento Altaris, et de iis, quae ad illud pertinent. Denique *Leo VII* R. P. plures Epistolas scripsit, quae eius doctrinam, pietatem, studiumque disciplinam ecclesiasticam reparandi clare manifestant. Istae Epistolae referuntur a *Mabillonio* saec. V. Bened.

Nota. Nonnulli Protestantes cum Centuriatoribus Magdeburgicis clamitant, in tanta Religionis inscitia, quae in hac periodo et saeculo potissimum decimo ubique invaluit, doctrinam christianam a sua puritate excidisse, novisque dogmatibus, erroneis conceptibus ac mere humanis institutis deturpatam fuisse. Sed quod tam fidenter pronunciant, nunquam solidis argumentis probaverunt, nec unquam probare poterunt. E contra Catholici sole clarius iam ostenderunt, universa dogmata, quae hodie ab Ecclesia ad credendum proponuntur, iam in prioribus Ecclesiae saeculis,

(1) Extat haec Epist. in Bibl. SS. PP. t. 3.
(2) Extant in Bibl. PP. t. 17.
(3) Extant in Bibl. PP. t. 17.

in quibus studia theologica maxime floruerunt, ab omnibus ubique credita et tradita fuisse, quod in Theologiae dogmaticae decursu passim apparebit. Exinde recte infertur, sacrum doctrinae christianae depositum etiam in hac obscuriori periodo mutatum, aut corruptum non fuisse. Quamvis enim pauci invenirentur, qui doctrina excellerent, non defuerunt tamen, qui avitam fidem tuebantur. Sic quam primum error Anthropomorphitarum inter Italos hoc aevo repullulare coepit, statim *Ratherii* Ep. Veronensis sollicitudine extinctus est (1). Generatim in hac periodo summum virorum religiosorum studium eo directum erat, ut omnia, quae circa fidem a maioribus praeclare tradita fuerant, ad posteros fideliter transmitterentur. Idcirco pleraque huius aevi opera ita concinnata fuerunt, ut veritates Religionis nonnisi S. Scripturae, et veterum insignium scriptorum testimoniis illustrarentur. Ex eadem causa factum est, ut praecipue in Coenobiis, quorum iam erat maximus numerus, indefesso labore et summa diligentia S. Scripturae et Ss. Patrum codices transcriberentur. Egregie in rem loquitur *Haymo* Ep. Alberst. (2): « Agimus gratias, inquit, tantae Patrum diligentiae, quorum circa Scripturas sacras tam ferventissima occupatio et tam ingens solicitudo fuit, ut scripta quorumlibet illustrium virorum multis laboribus multisque expensis manibus Notariorum sibi coacervarent ad profectum universalis Ecclesiae. Haec ergo mercimonia pretiosa, hic verus extitit thesaurus, comparare sibi scripta Maiorum, et complere Bibliothecam, aggregare libros in archiviis Templorum magis, quam nummos in arca. » Neque his argumentis opus est, ut ostendatur, Ecclesiam in hac periodo a fidei puritate non deflexisse. Sufficiunt sane promissiones Christi, quibus certi reddimur, Ecclesiam visibilem ab ipso institutam nunquam deficere posse (v. Th. gen. § 287). Haec enim supra firmam petram aedificata est, et *portae inferi non praevalebunt adversus eam* (3). Sicuti ergo non per impia infidelium et haereticorum conamina, ita nec per desidiosorum hominum incuriam et ignorantiam fieri potest, ut Ecclesia a recta fide deflectat.

ARTICULUS II.

Epocha Scholastica.

§ 47. Ss. Patres quoque praecipue a saeculo tertio usque ad sextum philosophiae operam navarunt, eaque usi sunt partim ad quaedam Religionis christianae dogmata illustranda, partim ad adversariorum obiectiones diluendas erroresque refutandos: non tamen philosophica studia ad hoc impenderunt, ut integrum Religionis revelatae complexum erudite et systematico quodam ordine pertractarent. Primus, qui id magna cum laude perfecit, fuit *S. Io. Damascenus* in praeclaris libris de orthodoxa fide, qui idcirco Theologiae scholasticae orientalis parens dicendus est. Simile quid in Occidente saeculo nono tentavit *Ioannes Scotus Erigena* in commentariis in Dionysii Areop. opera, et praecipue in libris 5 de divisione naturae, in quibus de Deo, de ideis divinis, ac de Verbo seu Filio Dei, de mundo actu existenti, de homine et de lapsi hominis reparatione disserit. Ast quoniam speculationibus suis nimis indulgens in graves errores prolapsus est, per subtiles suas elucubrationes studium philosophicum non

(1) V. Mabillon in praefat. ad acta Ss. O. S. B. saec. 5 n. 4.

(2) Ap. Feier Inst. dogm. § 26, p. 26, Viennae ed. tertia

(3) Matth. 16, 18

Digitized by Google

promovit, sed potius suspectum et exosum reddidit, ita ut praesertim saeculo decimo fere ex integro negligeretur. — Subsequentibus tamen saeculis Philosophiae praesertim Aristotelicae studium refloruit, et in Theologiae subsidium felici successu adhibitum est, ita ut integra Religionis revelatae doctrina scientifico modo et systematico quodam ordine pertractaretur. Id praecipue ab illis perficiebatur, qui ad doctrinam christianam aliis tradendam, et ad Theologiae candidatos erudiendos destinati fuerunt, atque ideo *Scholastici* dicti sunt: ex quo factum esse creditur, ut omnes, qui praefato modo institutiones theologicas elucubrarunt, subsequentibus temporibus *Theologi scholastici* appellarentur. — Quodsi eorum, qui inter istos eminuerunt, scripta attente perquirantur, manifeste apparet, ipsos Ss. Patrum vestigia secutos, Philosophia ad Religionem illustrandam, aptius tradendam et felicius defendendam, non vero ad illam corrumpendam usos fuisse. Idcirco quae ex Philosophorum doctrinis veritati amica invenerunt, ea in rem suam sapienter derivarunt; quae vero doctrinae revelatae inimica, vel minus congrua cognoverunt, aut penitus abiecerunt et confutarunt, aut ab errorum sordibus deterserunt. Cautissime praeterea Theologi scholastici dogmata revelata et fide divina credenda distinxerunt a conclusionibus theologicis, quae ex illis deducuntur, et multo magis a placitis philosophicis, circa quae dissentire et disputare fas est. Recte ideo dicitur, Aristotelicismum, cui addicti erant, in formam potius exteriorem theologicarum institutionum, quam in harum substantiam influxum habuisse. — Denique dicto S. *Augustini* « crede, ut intelligas » tenaciter inhaerentes, dogmata revelata et ab Ecclesia ad credendum proposita tanquam indubitata et inconcussa principia receperunt, et philosophica speculatione tantum usi sunt, ut fides, quantum pro humanae rationis infirmitate fieri potuit, ad scientiam, seu intelligentiam eveheretur. Hisce modis ingens illud tum theologicae, tum etiam philosophicae scientiae aedificium construxerunt, quod nunc etiam sui admirationem extorquet. Haec epocha a saeculo undecimo usque ad Concilium Tridentinum protrahitur; et Theologiae scholasticae primordia, incrementa, perfectio, decrementa et reliquae vicissitudines varias periodos constituunt.

I. *Theologiae Scholasticae primordia in saeculo undecimo.*

§ 48. Disciplinae philosophicae et theologicae, quae saeculo decimo, haud parum neglectae fuerunt, saeculo undecimo reflorere coeperunt. In primis in multis Galliarum urbibus scholae passim aut restitutae sunt, aut iam institutae novum splendorem receperunt, praecipue Academia Parisiensis, ad quam ex omni mundi parte homines velut ad locupletissimum scientiarum emporium discendi gratia convolarunt, ac deinde scientias, quas consecuti erant, in aliis urbibus maxima cum laude docuerunt. Inter hos eminet S. *Fulbertus* Ep. Carnotensis, qui, praeter plures eruditas epistolas, librum scripsit de officiorum ecclesiasticorum varietate: ipse etiam tanquam Episcopus docendi munus non dimisit, sed scholam Carnotensem insignem reddidit, ex qua non pauci viri doctrina celebres prodierunt. In coenobiis quoque philosophicae et theologicae disciplinae maiori solertia traditae sunt, ita ut non pauci Monachi doctrina et pietate

Digitized by Google

excellerent, inter quos nominandus est *S. Odilo*, Abbas Cluniacensis, qui plures epistolas et sermones de praecipuis anni festivitatibus scripsit. Praesertim autem eminuit coenobium Beccense, ex quo hoc saeculo duo celeberrimi viri prodierunt, nempe *Lanfrancus*, qui aristotelicam philosophiam cum Theologia coniunxit, commentaria in Epistolas S. Pauli, librum de celandis confessionibus, plures eruditas epistolas et alia opera scripsit, primum Abbas Cadomensis, ac demum Archiepiscopus Cantuariensis factus est, atque eius discipulus *S. Anselmus*, qui sicut sanctitate, ita et philosophiae ac theologiae laude excellens praeclarissimum saeculi undecimi lumen evasit, et illius in eadem sede successor fuit. — In Italia quoque sacratiorum scientiarum studia revixerunt. Nam *Gregorius VII*, sanctitate et doctrina conspicuus, quam utramque graves ipsius Epistolae decem libris comprehensae testantur, sicut intrepido zelo mores Clericorum reformare, ita etiam sacra studia promovere sategit. Grande hoc opus continuare nisus est *Victor III*, vir doctus et pius, qui plures eruditas epistolas scripsit, et ad Episcopos in Synodo Beneventana orationem habuit, quae extat apud *Baronium* ad ann. 1087. Doctrina autem et pietate hoc aevo maxime excelluit *S. Petrus Damiani*, qui doctissimas epistolas, octo libris comprehensas scripsit, elegantes sermones, carmina et preces composuit, et 60 opuscula exaravit, inter quae nonnulla veritates theoreticas pertractant, ex gr. Op. 1.^m de fide catholica: 2.^m et 3.^m contra Iudaeos: 30.^m de Sacramentis per improbos administratis: 36.^m de divina omnipotentia: 37.^m de variis sacris quaestionibus: 59.^m de Novissimis et Antichristo etc., pleraque vero ad reformationem Clericorum et Monachorum ordinantur, quos ut etiam ad sacratiora studia excitaret, edidit opusculum (26.^m) contra inscitiam et incuriam Clericorum. — In Germania quoque non pauci hoc saeculo eruditionis laude claruerunt, ubi *Meginfredus* Archiepisc. Magdeburgensis, *Ado* Ep. Trevirensis, *Hermannus Contractus* Monachus Augiensis, *Lambertus* Schaffnaburgensis, *Bertholdus* Constantiensis, *Adam* Canonicus Bremensis et alii, qui scripta historica exararunt. In specie etiam commemorandi sunt: *Berno* Abbas Augiensis, qui librum de quibusdam rebus ad Missae officium pertinentibus, et vitam S. Udalrici scripsit: *Bruno* Ep. Herbipolensis, teste Trithemio, vir doctissimus et sanctissimus, edidit commentarium in Psalmos, aliaque composuit opuscula in cantica tum V. tum N. Testamenti, in orationem dominicam, in Symbolum Apostolicum, et in Symbolum Athanasianum (1): eodem saeculo floruit *S. Bruno* Coloniensis, Carthusianorum institutor, cui commentaria in Psalmos et in Epistolas S. Pauli, aliaque opera adscribuntur: *Gerochus* quoque, Reichensbergensis in Bavaria Praepositus, praeter opera historica enarrationes in omnes Davidis psalmos elucubravit: denique iam citatus *Hermannus Contractus*, qui, teste Trithemio, tres linguas, graecam, latinam et arabicam apprime calluit, varia opera tum stricta, tum soluta oratione composuit, et Graecorum Arabumque philosophorum tractatus aliquot Latio donans studia philosophica promovit. — Ast in hoc saeculo etiam Aberrantes extitere, qui schismata et haereses conflarunt; quamob-

(1) In Bibl. PP. t. 18.

Digitized by Google

rem etiam varia opera polemica in lucem prodierunt.

1. Hoc saeculo in Ecclesia orientali funestum schisma, a Photio inchoatum, temere renovatum fuit, et Graeci, duce *Michaële Cerulario* Patr. Constantinopolitano apertissime se ab Ecclesia Romana diviserunt, processionem Spiritus sancti a Filio, et primatum Romani Pontificis negantes, usum azymi, caelibatum Clericorum, aliaque in Ecclesia latina iniuste criminantes. Graeci errores suos variis scriptis defendere sategerunt: *Leo* Archiep. Acridanus scripsit acerrimam epistolam adversus Latinos ad Ioannem Tranensem in Apulia Episcopum: *Nicetas*, Pectoratus dictus, Monachus Constantinopolitanus adv. Latinos edidit librum de azymis, de sabbatorum ieiuniis et nuptiis sacerdotum: *Michaël Psellus* vir eruditissimus, sed schismati mordicus inhaerens, complura opera philosophica, historica et theologica exaravit: *Nicolaus*, Metropolita Methonensis, scripsit adv. Latinos tres tractatus de processione Spiritus sancti: *Theophylactus*, Archiep. Bulgarorum, commentaria scripsit in omnes N. T. libros (excepta Apocalypsi) et in Oseam, Ionam, Nahum et Habacuc, multas etiam epistolas, et aliquot sermones composuit: sed errores Graecorum tueri conatur, et tractatum edidit de erroribus Latinorum. — Contra tot et tam iniquos adversarios etiam Latini se strenue defenderunt. Iam *Leo IX* R. P. doctrina et miraculis clarus scripsit insignem epistolam ad Michaëlem Patr. Constantinopolitanum contra Graecorum errores, quam Sigebertus librum appellat: scripsit etiam ad Constantinum Monomachum Imp. et ad alios multos egregias epistolas, quae habentur apud Baronium t. 11, et cum eiusdem Pontificis homiliis ac sermonibus impressae sunt Lovanii 1565, et Coloniae 1568: *Humbertus* Cardinalis scripsit librum contra Graecos de azymo in forma dialogi, et alterum de ieiunio sabbati, imo et Patriarchae Constantinopolitani, et Nicaetae obiectiones invicte refellit in epistolis, quae habentur apud Henr. Canis. tom. 6. *S. Petrus Dam.* contra haeresin Graecorum opusculum (38.m) exaravit de processione Spiritus sancti: *S. Anselmus* iussu Urbani Papae in Concilio Barensi disputavit cum Graecis, hosque apertissime convicit. Totam hanc disputationem literis postea mandavit Anselmus in libro de processione Spiritus sancti et in aliis duobus opusculis de azymo et fermentato, et de diversitate Sacramentorum.

2. *Berengarius*, Archidiaconus Andegavensis, docuit, in Eucharistia non esse Christi Corpus et Sanguinem: deinde cum hunc errorem revocasset, asseruit, cum Corpore Christi esse etiam substantiam panis; his addidit, parvulos non esse baptizandos sed adultos tantum. Ast Berengarius statim ut haereticus declaratus est, eiusque errores a multis solide confutati sunt. *Lanfrancus* contra Berengarium librum edidit de Corpore et Sanguine Domini: *Hugo* Lingonensis Ep. brevem quidem, sed nervosum et luculentum tractatum de Corpore et Sanguine Christi contra eundem Berengarium scripsit: idem praestitit *Adelmannus* Ep. Brixiensis in epistola valde erudita ad Berengarium de veritate Corporis Christi in Eucharistia: *Guitmundus* Ep. Aversanus tres composuit libros de Corporis et Sanguinis Christi veritate in Eucharistia, in quibus haereticos umbraticos (ita Berengarianos appellat) solidis argumentis refellit: *Durandus* Abbas Troarnensis exaravit contra Berengarii haeresin

Digitized by Google

eruditum librum de Corpore et Sanguine Domini, quem in novem partes distribuit, et in eo multa eruditione cum ex sacris Scripturis, tum ex perpetua Ss. Patrum traditione hausta novae haeresis sectarios contrivit. Etiam *Nicolaus* Ep. Methonensis, etsi schismaticus esset, scripsit tamen librum de Corpore et Sanguine Christi adversus eos, qui dicunt, panem et vinum non converti in Corpus et Sanguinem Christi. Unde liquet, Graecos, etsi a communione Ecclesiae Romanae schismate separatos, ab avita doctrina fidei de reali Christi in Eucharistia praesentia, et de transsubstantiatione non descivisse. Hanc Ecclesiae Orientalis cum Occidentali circa haec dogmata consensionem probat etiam *Samonae* Ep. Gazensis, qui eodem saeculo undecimo floruit, disceptatio cum Achmed Saraceno super veritate Corporis et Sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiae, in qua ex perpetua Patrum graecorum traditione catholicam fidem de conversione panis et vini in substantiam Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia luculenter adstruit.

3. Cum studia philosophica hoc saeculo reflorescerent, antiqua quaestio iterum agitata est, utrum genera et species, seu ideae universales habeant realitatem in se, an solum foetus intellectus nostri, ac mere voces sint? Duae potissimum sententiae hac de re propugnabantur, quae in universam Theologiam influxerunt, et quarum una *Nominalismus* dicta, id negabat, quod altera, *Realismus* nuncupata, affirmabat. — *Roscelinus* ex Britannia minori, ad regias Compendii scholas evectus, nominalismum aperte proclamavit, docens per sensus tantum res cognosci, genera ac species non esse nisi meros mentis conceptus sine realitate, qui per nomina vacua significantur, seu, ut ipse loquebatur, non esse nisi inanes flatus vocis: ex quo inferebat et illud, sola individua materialia vere existere, nec nisi materiam dari, seu substantiam materialem: audacius inde progressus, ipsam docuit coëxistentiam trium personarum in Deo esse flatum vocis, unam tantum existere personam, aut si loquendi usus ferret, tres Deos esse. — Adversus Roscelinum surrexit *S. Anselmus*, realismum in sensu sano, rationi et revelationi congruo, propugnavit, et nominalismum eiusque sobolem aut parentem empirismum, ac sensualismum in pluribus operibus penitus contrivit. Ostendit quippe summus hic Philosophus et Theologus, nos, ratione praecipue atque intelligentia, non per solos sensus res percipere; ratione eiusque immutabilibus notionibus de eisdem iudicare; non individua solum realia esse, sed suam etiam universales ideas realitatem habere, nec proinde meros esse conceptus mentis flatusve vocis; habere siquidem fundamentum in rebus, de quibus praedicantur, et habere praeterea fundamentum ontologicum in ipsa Entis perfectissimi, Dei scilicet, essentia et intelligentia, in qua sunt omnia vera et intelligibilia, seu potius cum qua unum idemque sunt. *S. Anselmus* igitur, *S. Augustinum* fideliter secutus, sicut nominalismum profligavit, ita feliciter errorem Platonis evitavit, qui ideas aeternas extra Deum existentes adstruxit: S. Doctor enim istas in ipsa mente Dei reponit, seu ipsam Dei scientiam dicit, et nostrarum notionum ac idearum realem veritatem ex conformitate cum ideis divinis repetit: sicut enim S. Augustinus, ita et S. Anselmus Deum summam Veritatem esse dicit, quae lucet menti nostrae, et in qua omnia vera

cognoscuntur (Cf. Th. gen. § 34). Ilis principiis positis, S. Anselmus omnes Roscelini errores invicte confutavit, et doctrinam orthodoxam mire illustravit. Ipsemet enim dogmata revelata, quae inconcussa fide suscepit, etiam philosophice perpendens et pertractans, fidem ad intelligentiam seu scientiam evehere adnisus est, ac proinde merito veluti parens habetur methodi illius, quam scholastici sunt alacriter deinceps sectati. — S. Doctor equidem universam Theologiam systematico ordine non pertractavit, sed in variis operibus de praecipuis saltem fidei veritatibus disserit. In *Monologio* seu soliloquio omnia tradit, quae de Dei existentia, essentia et perfectionibus credenda sunt, et etiam de Trinitate loquitur. In *Prosologio* Deum contemplatur ut primum omnium rerum creatarum principium, et summum bonum a quo omnia procedunt, et ad quod omnia referuntur. Huic operi addit *Apologeticum* contra Caunilonem, cuius obiectiones scite solvit. In libro: *De casu diaboli*, theoriam de Angelis bonis et malis evolvit. Duobus in libris: *Cur Deus homo*, de Incarnatione et Redemptione egregie disserit: cum his intime coniungitur *tractatus de conceptu virginali et originali peccato*. Ad doctrinam de homine et de gratia pertinent: *Tractatus de veritate*: *Liber de voluntate*: *Dialogi de libero arbitrio*: *Tractatus de concordia praescientiae et praedestinationis, nec non gratiae Dei cum libero arbitrio*. De Sacramentis agitur in libro, seu epistola *de Sacramentorum diversitate*. Praeterea S. Doctor multa dogmata theoretica praeclare explanat *in 15 Homiliis*, *in libris 4 Epistolarum*, et *in Tractatibus asceticis*. — Ex praeclaris S. Anselmi operibus elucet, ipsum peritum fuisse Philosophum, acutum Metaphysicum, expertumque Theologum. Lectores ex illorum lectione ediscere possunt viam solidam et exactam ratiocinandi, et supra sensus se extollendo gustare veritates tantum intellectuales et obiecta fidei christianae. Sublimis est in suis cogitationibus, acutus et subtilis in ratiocinationibus, humilis tamen et modestus in proponendo; quare sublimitatem scientiae cum virtutis splendore mire coniungit. Raro Ss. Patrum auctoritates et dicta allegat, licet plures legerit, et praesertim *S. Augustinum;* et ideo nova methodo tunc temporis minus usitata, praesertim ratiocinatione revelatas veritates, quas in Ss. Scripturis et Patrum operibus didicerat, studet confirmare. Hinc primus est, qui scholasticam, ut vocant, Theologiam in scholas invexit, immunem tamen ab illis naevis, quibus postea defaedata est. Anselmus, ut ipse scribit(1), hunc sibi praefigit scopum « non ut per rationem ad fidem accedant; sed ut eorum, quae credunt intellectu et contemplatione delectentur: et ut sint, quantum possunt, parati semper ad satisfactionem omni poscenti se rationem de ea, quae in nobis est, spe. »

II. *Theologiae scholasticae incrementa in saeculo duodecimo.*

§ 49. Duodecimo saeculo multi extiterunt celebres viri, qui Philosophiae et Theologiae studio indefesse insudarunt, et praeclara opera theologica elucubrarunt, inter quos autem nonnulli philosophicis maxime speculationibus indulserunt, alii ex auctoritatibus potissimum seu ex S. Scriptura et Traditione dogmata explicare et comprobare nisi sunt, alii altius mentem attollentes mysticae

(1) L. 1 cur Deus homo? c. 1.

Digitized by Google

Theologiae praecipuam operam navarunt.

1. *Petrus Abaëlardus* praestanti ingenio praeditus, peripateticae philosophiae, et artis dialecticae peritissimus, rationem etiam in theologicis veluti ducem principem sibi elegit, et summa Religionis mysteria philosophice indagare et explicare praesumens in graves errores circa mysteria Trinitatis et Incarnationis, circa gratiam aliaque dogmata prolapsus est. Eadem aetate *Gilbertus Porretanus* Ep. Pictav. dialectica, qua excelluit, abusus, et philosophicis speculationibus nimis indulgens de divina essentia, de Dei attributis et de divinarum personarum proprietatibus erroneos sibi conceptus efformavit, et haereticas sententias propalavit. — Ambos istos aberrantes strenue confutavit, et ad errores revocandos adegit *S. Bernardus*, qui in his ipsis luctis contra doctrinae catholicae corruptores gloriose susceptis clare ostendit, quod non solum in S. Scripturae et Ss. Patrum studio versatissimus fuerit, sed etiam sana philosophia et arte dialectica excelluerit. S. Bernardus quidem Theologiam systematice non pertractavit, sed tamen cuncta, quae scripsit, etiam pro Theologia theoretica maximo emolumento sunt. Opera eius stricte dogmatica sunt: tractatus de gratia et libero arbitrio, et tractatus de baptismo. Sed etiam in eius epistolis, quae non minus doctae et eruditae, quam piae et elegantes sunt, et numerum 400 excedunt; in sermonibus, praecipue in illis, quae in Ps. XC, in Canticum, in Festis Domini et B. Virginis, habitae sunt; in celeberrimis libris de Consideratione, et in aliis tractatibus moralibus et asceticis multa dogmata explanantur, et non raro heterodoxorum errores confutantur. Merito igitur S. Bernardus, qui praeclarum Ss. Patrum agmen claudit, ut maximum saeculi duodecimi lumen praedicatur, et Doctoris melliflui nomine insignitur; sanctitatem enim eius et doctrinam totus orbis testatur.

2. Hoc saeculo complures viri, scientia et pietate celebres, etsi philosophica studia non improbarent neque negligerent, probe tamen cognoverunt, doctrinas fidei praecipue ex Revelationis fontibus, nimirum ex S. Scriptura et Traditione eruendas, explicandas, et comprobandas esse. Idcirco veritates ad Religionem pertinentes congruo quodam ordine disponere, et dispositas S. Scripturae effatis, Ss. Patrum sententiis, et Conciliorum decretis declarare et confirmare studuerunt. Iam *S. Ivo* Ep. Carnotensis, qui multas eruditas epistolas et librum de Corpore Domini scripsit, edidit etiam *Volumen Decretorum*, in quo multa collegit, quae ad hierarchiam et disciplinam ecclesiasticam spectant. *Hildebertus* Ep. Cenomanensis, postea Turonensis, praeter sermones, epistolas et carmina sacra scripsit *Tractatus theologicos*, in quibus de fide, de Deo uno et trino, de providentia et praedestinatione, de Angelis, de hominibus, de gratia, de libero arbitrio, de peccatis originali et actualibus, de Sacramentis et de decalogo agit. *Robertus Pullus Sententiarum libros octo* concinnavit. *Hugo a S. Victore*, doctrina et pietate celeberrimus, conscripsit *Summam sententiarum*, septem tractatibus comprehensam, in quorum tribus primis agit de fide, spe et charitate, de Trinitate et Incarnatione, de creatione Angelorum et hominum, in quarto de Sacramentis in genere et praeceptis divinis, et in tribus ultimis de septem Sacramentis in specie. Idem

aliud egregium opus elucubravit, nempe *libros duos de Sacramentis christianae fidei*, in quibus fere omnia dogmata theoretica concinno ordine pertractantur. Insuper praeter doctissimas annotationes in varios V. et N. T. libros, et in Dionysii opera: praoter 100 sermones, et complures tractatus morales et asceticos, edidit etiam speciales tractatus dogmaticos: de anima lib. 4: Didascali libr. 7, quorum ultimus de Trinitate disserit: l. de potestate et voluntate Dei: l. de sapientia animae Christi: l. de unione corporis et spiritus: lib. de verbi Dei efficacia: de Verbo incarnato disput. 3: Apologia de Verbo incarnato: de perpetua virginitate Mariae: Speculum de mysteriis Ecclesiae: de caeremoniis, de Sacramentis et officiis ecclesiasticis etc. Maxime celebres autem inter Theologos facti sunt *Libri 4 Sententiarum Petri Lombardi* Ep. Parisiensis, qui vulgo *Magister sententiarum* nominatur. In primo praeclari huius operis libro agitur de Dei existentia, perfectionibus, unitate et de trinitate personarum: in secundo de creatione, de Angelis, de hominibus, de peccato originali, de peccatis actualibus et de gratia divina: in tertio de Incarnatione, de Redemptione, deque virtutibus et vitiis: in quarto de Sacramentis, de resurrectione, de iudicio, de praemiis et poenis aeternis. In istos libros sententiarum subsequenti tempore plurima commentaria prodierunt et Theologi in tradendis fidei dogmatibus eundem fere ordinem sequi consueverunt. — Denique penitus reticeri hic non potest *Gratianus* Monachus O. S. B., qui scripsit *Decretum*, seu concordantiam discordantium Canonum; quod opus, quamvis in auctorum citationibus nonnulli errores reperiantur, celebre tamen factum est, et licet vel maxime ad Theologiam hierarchicam referatur, nihilominus etiam in Theologia theoretica hincinde adlegandum erit.

3. Hoc saeculo plures de Deo, rebusque divinis ita disseruerunt, ut non solum intellectum illustrarent, sed etiam voluntatem ad bonum moverent, pios in corde affectus excitarent, hominemque a rerum terrenarum amore avulsum cum Deo per charitatem perfectam coniungerent. Istis, qui *Theologi mystici* vocari solent, omni iure adnumerantur *S. Bernardus* et *Hugo a S. Victore;* ambo enim non solum plures tractatus asceticos ac mysticos elucubrarunt, sed etiam in reliquis operibus res theologicas cum tali unctione spiritus pertractant, ut animus coelestium amore inflammetur. In eadem Theologiam pertractandi methodo eminuit etiam *Richardus a S. Victore*, cuius opera dogmatica sunt: Libri 6 de Trinitate: lib. de tribus appropriatis in Trinitate: de incarnatione Verbi: lib. 2 de Emmanuele: tract. de potestate ligandi, et solvendi: lib. de iudiciaria potestate in finali indicio: declaratio difficultatum Scripturae sanctae: Quomodo Spiritus sanctus sit amor Patris, et Filii: de differentia peccati mortalis et venialis: idem, praeter plures tractatus asceticos et mysticos, scripsit explanationes in varia loca Psalmor., in Canticum Canticorum, et libros septem in Apocalypsin. — *Rupertus* Abbas Tuitiensis scripsit l. 12 de divinis officiis; lib. 42 de operibus SS. Trinitatis, lib. 13 de victoria Verbi, et commentaria in Iob, in Canticum Cant., in 12 Prophetas minores: in Ioann. Evang. etc. Eius opera doctrinam et pietatem redolent, ipse autem male de transsubstantiationis dogmate sensit et docuit, ut notat *Bellarminus* de Script. eccles. —

Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, praeter plurimas Epistolas doctas et pias, etiam libros exaravit: de auctoritate veteris Testamenti: de auctor. Act. Apost., de auctor. Epist. S. Pauli: de auctoritate Ecclesiae: de baptismo parvulorum: de veneratione S. Crucis: de sacrificio Missae, et veritate transsubstantiationis: de suffragiis defunctorum etc. — *Otho Frisingensis* septem libris Chronicorum addidit octavum de fine mundi, Antichristi persecutiono, resurrectione mortuorum, iudicio finali, gloria beatorum et suppliciis damnatorum. — *Guericus Abbas*, S. Bernardi discipulus, scripsit sermones de tempore et de Sanctis. — *De Gofrido* Abbate Vindocinensi habentur Epistolarum libri 5, opuscula 15 et sermones 12. — *Petrus Cellensis* varios tractatus et epistolarum libros 9 exaravit. — *Petrus Blessensis*, qui cum magna eruditione eximiam pietatem et elegantem eloquentiam coniunxit, scripsit Epistolas 180, multosque sermones, quorum nonnulli in Synodis habiti sunt: eius opera dogmatica sunt: Instructio fidei ad Soldanum Iconii: lib. de confessione sacramentali: lib. de poenitentia, seu satisfactione a Sacerdote imponenda: tractatus de transfiguratione Domini.

4. Contra aberrantes huius saeculi varia polemica scripta exarata sunt. Berengarii errores recoxerunt auxeruntque *Petrus de Bruis* et *Henricus* ex Monacho apostata, qui docuerunt, parvulos non esse baptizandos, Cruces conculcandas, nullum esse in Ecclesia sacrificium, nec Sanctos invocandos, nec pro mortuis orandum esse. — Haereticis istis fortiter restitit *S. Bernardus*, eosque sermonibus et scriptis penitus contrivit. Cum S. Doctore dimicavit etiam *Petrus Venerabilis*, Abb. Clun., qui eosdem haereticos in forma epistolae egregie confutavit. Huc etiam referre oportet *Algeri* Scholastici Leodiensis, et postea Monachi Cluniacensis librum de Corpore et Sanguine Domini contra errores Berengarii, et alia eiusdem aevi scriptorum opera iam antea citata, quibus etiam adiungi potest *Petri Mauritii* tractatus adv. Petrobrusianos. — Hoc aevo *Cathari*, sive *Patareni* docebant, mundum factum esse a daemonibus, Sacramenta nihil valere etc., atque *Waldenses*, seu *Pauperes de Lugduno* propugnabant non esse obediendum Rom. Pontifici; potestatem absolvendi a peccatis et conficiendi Eucharistiam laicis etiam competere, indulgentias nil valere, purgatorium non extare, Sanctos ad preces nostras non attendere, festa et ieiunia indicta non esse servanda etc. — Tum illi, tum isti statim a Catholicis ubique ut haeretici habiti, confutati et damnati sunt: in specie contra ipsos scripserunt: *Eckbertus* Abbas Schaenaugiensis sermones 13 adv. haereses Catharorum: *Yvenotus* de haeresi pauperum de Lugduno: *Moneta* Cremonensis lib. 5 adv. Catharos et Waldenses: *Rainerus Sacco* Summa de Catharis et Leonistis. — In Ecclesia Orientali funestum schisma cum suis erroribus continuatum fuit: inter Armenos multi Eutychetis, seu Monophysitarum haeresi adhaeserunt: enati sunt etiam alii haeretici, *Bogomiles* dicti, qui asseruerunt, non esse in Deo Trinitatem, Deum humana forma praeditum esse, mundum a daemonibus creatum fuisse etc. — Contra Armenorum errores *Theorianus* Graecus, vir doctus, edidit egregium Dialogum orthodoxi cum Armenis: *Isaac*, Armeniae Primas, duas scripsit Orationes invectivas adv. Armenorum errores: *Andronicus Camaterus* scripsit Di-

sputationem Manuelis Imp. cum Petro Patr. Armenorum, et lib. de duabus naturis Christi: *Euthymius Zigabenus* Monachus, praeter Commentaria in omnes Psalmos et in 4 Evangelia, edidit orthodoxae fidei dogmaticam Panopliam advers. omnes haereses ex variis Ss. Patrum scriptis contextam, et in duas partes divisam, in qua etiam Bogamiles describit et confutat: ast erroribus Graecorum etiam ipse inhaesit, eosque cum multis aliis defendere conatus est. Ast non defuerunt, qui istis strenue resisterent: *Petrus Chrysolanus* voce et scriptis errores Graecorum refutavit: extat eius Oratio ad Alexium Comnenum de processione Spiritus sancti (1). — *Hugo Etherianus* vir doctus Constantinopoli degens scripsit valde erudite librum de processione Spiritus sancti adversus Graecorum errores.

III. *Theologia scholastica ad summum apicem evecta saeculo decimotertio.*

§ 50. Ineunte hoc saeculo magnos tumultus excitaverunt *Albigenses*, qui non solum concionibus, sed et armis Ecclesiam vexaverunt, et pessimos errores disseminarunt, docentes more Manichaeorum duo esse principia aeterna, unum bonum et alterum malum, transmigrationem animarum asserentes, resurrectionem corporum negantes, Baptismum et Eucharistiam reiicientes, aliaque perversa dogmata tradentes. Haeretici isti, quos *S. Dominicus*, aliique viri pii et docti strenue impugnarunt, damnati sunt in Concilio Lateranensi IV sub *Innocentio III* habito. Eximius hic Pontifex, magnam pietatem cum solida doctrina et singulari prudentia coniungens, qui ipsemet multos sermones, Epistolarum libros duos, tractatus de mysteriis Missae, de veneratione Sanctorum aliosque conscripsit, magnos quoque conatus adhibuit ad studia theologica recte ordinanda, ac magis magisque promovenda. Hoc ipsum etiam eius successores praestiterunt. Praecipue *Gregorius IX* anno 1228 in Epistola ad Magistros Parisienses directa eos reprehendit, qui neglectis S. Scripturae et Ss. Patrum doctrinis Philosophorum potius scripta perquirunt, rationalibus tantum speculationibus indulgent, non Theologiam ope Philosophiae illustrare, sed magis Philosophiam loco Theologiae exornare student, et « doctrinis variis et peregrinis abducti redigunt caput in caudam, et ancillae cogunt famulari reginam. » Hos deinde summus Pontifex ita alloquitur: « Ne igitur huiusmodi dogma temerarium et perversum ut cancer serpat et inficiat plurimos, oporteatque filios perditos plorare Rachelem, praesentium vobis auctoritate mandamus et districte praecipimus, quatenus praedicta vesania penitus abdicata sine fermento mundanae scientiae doceatis theologicam puritatem, non adulterantes verbum Dei Philosophorum figmentis, sed contenti terminis a Patribus institutis mentes auditorum vestrorum fructu coelestis eloquii saginetis. » Ex hac epistola et aliis monumentis satis constat, summos Pontifices magna vigilantia et industria eo adlaborasse, ut Theologiae scholasticae abusus praecaverentur, et recte ordinata eius pertractatio promoveretur. Ad hoc etiam non parum contulit novorum Ordinum Religiosorum institutio, inter quos hoc saeculo praecipue duo inclaruerunt, nempe *Ordo Praedicatorum* a *S. Dominico*, et *Ordo Fratrum Minorum* a *S. Franci-*

(1) Ap. Baron. ad ann. 1119 et ap. Leon. Allat. orthod. Graeciae tom. primo.

sco fundatus, ex quibus viri doctrina et sanctitate celebres prodierunt, qui Theologiam scholasticam ad summum apicem evexerunt.

4. Inter celebres viros, qui Theologiam scholasticam maxime illustrarunt, primo nominandus est *Alexander de Hales*, natione Anglus, Ordinis S. Francisci, S. Facultatis Parisiensis Doctor, qui iussu *Innocentii IV* R. P. scripsit Summam Theologiae egregiam et copiosissimam, alia quoque opera exaravit, et adeo in Theologia scholastica excelluit, ut vulgo a suis *Fons vitae*, *Doctor doctorum*, et *Doctor irrefragabilis* diceretur. — *Albertus*, natione Germanus, Ordinis Praedicatorum, ob sapientiam singularem cognomento *Magnus*, imo et *prodigium suae aetatis* nuncupatus, plurima scripsit opera philosophica et theologica: horum praecipua sunt: Commentaria in libros sententiarum, in 12 Prophetas minores, et in 4 Evangelia: Compendium theologicae veritatis: Summa Theologiae: ob eximiam doctrinam, et sanctitatem ab *Urbano IV* Episcopus Ratisponensis creatus est. — *S. Thomas Aquinas*, Ordinis Praedicatorum, ob miram ingenii perspicacitatem, et summam vitae et doctrinae puritatem, *Doctor Angelicus* merito appellatus, splendidissimum huius saeculi lumen fuit, et cum *S. Augustino*, cuius vestigia fideliter secutus est, praecipuus Theologorum omnium temporum Magister factus est. Eius opera theologica (ut S. Hieronymus de S. Cypriano scripsit) sunt sole clariora, nempe: Summa contra Gentiles, opus vere absolutissimum quod Philosophi non minus quam Theologi semper suspexerunt: Commentaria in 4 libros sententiarum: Quaestiones disputatae et Quodlibeta: Commentaria in Iob, 50 Psalmos, Canticum Cant., Isaiam, Ieremiam, Evang. Matthaei et Ioannis, et in omnes Epistolas Pauli: Sermones de tempore, et de Ss.: 73 opuscula: Summa Theologiae, quae merito a Theologis maximi aestimatur et omnium manibus teritur. *S. Thomas* etiam sanae philosophiae studio excelluit, et per commentaria in Aristotelis opera id praestitit, ut philosophia peripatetica ab erroribus purgaretur, et christianae Theologiae usui melius accommodaretur. — *S. Bonaventura*, Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, Albanensis Episcopus, et Cardinalis S. R. E. a *Gregorio X* creatus, ob eximiam doctrinam et sanctitatem *Doctoris Seraphici* nomen obtinuit. Praecipua ipsius opera theologica sunt: *Commentaria in 4 libros Sententiarum:* Opusculum *de reductione artium ad Theologiam*, in quo praeclare ostendit, quomodo ad lumen S. Scripturae reliqui cognitionum fontes referantur ac divinae Theologiae tanquam dominae famulentur, et qua ratione omnes scientiae et artes ad gloriam Dei et salutem animarum promovendam ordinentur: *Breviloquium*, in quo veritates theologicae breviter quidem, sed concinno ordine, clare, solide et pie proponuntur: *Centiloquium: Pharetra:* idem S. Doctor etiam plures S. Scripturae V. et N. T. libros explanavit, multosque sermones, ac libros morales, asceticos et mysticos composuit. Praecipuam *S. Bonaventurae* in scribendo dotem *Trithemius* in Chronico dilucide exprimit his verbis: « Profundus est, non verbosus; subtilis, non curiosus; disertus, non vanus; flammantia, non instantia verba proferens; unde et securius legitur, facilius ab amante intelligitur, frequentatur dulcius et fructuosius retinetur. » — Exeunte hoc saeculo maxime inclaruit *Ioannes Duns Sco-*

Digitized by Google

tus Ordinis Minorum, vir acutissimo ingenio praeditus, qui indefesso studio philosophicis et theologicis speculationibus incumbens summa Religionis mysteria intime perscrutari et explicare conatus est, ac propterea *Doctoris subtilis* nomine insignitus. Huius praecipua opera theologica sunt: Commentarium in 4 libros sententiarum, Oxonii elaboratum: Commentarium in eosdem Parisiense, quod autem teste Waddingo priori longe inferius est: Lib. de primo principio rerum: Lib. de cognitione Dei: Lib. Collationum Parisiensium: Lib. Theorematum: Commentaria in Genesin, in Evangelia, in Epistolas-valde obscura: Sermones etc. — Scotus orthodoxae doctrinae firmissime inhaesit, sed in non paucis quaestionibus philosophicis, et theologicis, quae de fide definitae non sunt, a S. Thomae sententiis declinans novae scholae auctor extitit, cui per aliqua saecula, praecipue ex Fratribus Minoribus, multi addicti erant. In laudem Scoti id praecipue vergit, quod strenue defenderit immaculatam B. V. Mariae Conceptionem, quae illo tempore a nonnullis impugnari coepit.

2. Hoc saeculo multi alii extiterunt, qui licet non eadem ut prius nominati celebritate fruantur, praeclara tamen theologica opera elucubrati sunt. *Gulielmus* Ep. Parisiensis praeter Commentaria in Hexaemeron, in Psalterium, in Proverbia, in Ecclesiasten, in Canticum, et in Ev. Matthaei, Sermones, Epistolas, et opera ascetica, scripsit tractatus dogmaticos: de Trinitate: de primo principio: de Sacramentis: cur Deus homo: de bono et malo: de poenitentia: de daemonibus. *Gulielmus* Ep. Antisiodorensis scripsit Summam theologicam Scholasticorum more distinctam, in qua una eius sententia notari solet ut singularis, quod videlicet merita hominum iustorum prius et principalius a fide, quam a charitate dependeant. *Iacobus a Vitriaco*, S. R. E. Cardinalis et Ep. Tusculanus, scripsit librum contra Saracenos, et magnum volumen concionum de tempore, in quibus multus est in Ss. Scripturis citandis et exponendis. *Edmundus* Archiep. Cantuariensis perutilem librum exaravit, qui speculum Ecclesiae dicitur. *Henricus* Cardin. et Ep. Ostiensis scripsit celebrem summam multa eruditione canonica plenam. *Henricus Gandavensis* Archidiaconus Tornacensis scripsit egregium opus Quodlibetorum: Summam quaestionum ordinariarum: lib. de Virginitate, et de Poenitentia: librum de viris illustribus ecc. *Aegidius Romanus* Ord. Erem. S. Augustini Prior Generalis, ac postea Archiep. Bituricensis, S. Thomae auditor et eius doctrinae defensor acerrimus, exaravit Commentaria in lib. I et II Sentent., in Hexaem., in Cantic., in Ep. ad Rom.: Tractatum de corpore Christi, de distinctione articulorum fidei: theoremata de Sacramento Altaris: Quodlibeta: tract. de peccato orig.: de praedestinatione, praescientia, paradiso, et inferno: Castigatorium in corruptorium librorum Thomae Aquinatis: ob eximiam, qua pollebat, eruditionem, *Doctoris fundatissimi* nomen promeruit. Ex Ordine Praedicatorum praecipue laudandi sunt: *S. Raymundus de Pennafort*, qui praeter lib. 5 Decretalium egregiam summam theologicam exaravit: *Hugo de S. Caro* Cardinalis brevia Commentaria in universam S. Scripturam, et seorsim in Psalmos conscripsit: idem excogitavit *Concordantias Bibliorum*, et per homines a se delectos opus laboriosissimum per-

Digitized by Google

fecit: *Vincentius* Bellovacensis opus pariter laboriosissimum concinnavit, nempe *Speculum*, quod in naturale, doctrinale et historicum divisit: *Petrus de Tarantesia*, seu Papa *Innocentius V*, scripsit in Epistolas Pauli, et edidit Compendium theologicum: *Udalricus Argentinensis*, Alberti M. auditor, scripsit in lib. 4 Sentent. atque summam theologicam, et librum de anima: *Ioannes Parisiensis* scripsit in lib. 4 Sentent. et Quodlibeta varia. — Ex Ordine Fratrum Minorum prae caeteris commemorandi sunt: *Rupertus*, seu *Robertus de Russia*, scripsit Commentaria in 4 libr. Sentent. et librum de anima: *Richardus de Mediavilla* Oxoniensis Academiae Doctor tam celebre sibi nomen comparavit, ut *Doctor solidus*, *copiosus* et *fundatissimus* nuncuparetur: scripsit Commentaria in 4 libr. Sentent., in 4 Evangelia, in Ep. S. Pauli, et de Conceptione B. Virginis, ac alia. *Raymundus Lullus* ex insula Maiorica, tertio S. Francisci Ordini adscriptus, cum maximo acumine ingenii insignem pietatem coniunxit, qua pro fidei dilatatione plurimum laboravit, et martyrium Bugiae in Africa pro defensione fidei a Saracenis illatum constanter pertulit. Plurima opera scripsisse perhibetur: *Waddingus* (1) unum praecipue laudat dicens: « Opus theologicum in libros sententiarum eo maiorem ingerit admirationem, quo copiosius, miris et inusitatis modis loquendi omnia fidei comprehendit arcana, deque singulis Theologiae controversiis plures instituit quaestiones: » Raymundus hic a nonnullis de multis propositionibus heterodoxis accusatus; sed ab aliis vindicatus, imo ut B. Martyr honoratus, et *Doctoris illuminati* nomine insignitus fuit.

(1) Ad ann. 1315.

3. In Ecclesia graeca nonnulli quidem opera historica ediderunt, inter quos praecipue *Nicephorum Callistum* commemorare oportet, qui in fine huius saeculi floruit. Caeterum philosophica et theologica studia deficere coeperunt, quapropter praeclara opera theologica lucem non aspexerunt. Etenim plerique ex graecis Scriptoribus dialectica quadam arte, qua pollebant, ad hoc tantum usi sunt, ut errores suos defenderent, et Ecclesiam latinam lacesserent et calumniis denigrarent; tales sunt: *Nicolaus Hydruntinus*, *Germanus II* Patr. Constantinopolitanus, *Georgius Cyprius*, *Georgius Moscabar*, *Constantinus* Acropolita, melius tamen mitiusque in controversiis cum Latinis procedunt *Nicetas Acominatus*, seu *Choniates* in quinque libris de orthodoxa fide, et *Nicetas* Archiep. Thessalonicensis in libris 6 Dialogorum de processione Spiritus sancti. — Extiterunt autem etiam inter Graecos nonnulli, qui horum errores impugnarunt, et orthodoxam Latinorum doctrinam defenderunt, ut *Nicephorus Blemmidas*, Monachus in Macedonia, eruditione et pietate inter Graecos celeberrimus, qui orationes duas de processione Spiritus sancti edidit, et *Io. Veccus* Patr. Constantinopolitanus doctrina et sanctitate insignis, qui voce et scriptis Graecorum cum Latinis unionem promovere sategit. Eodem tempore *Simon*, ortu Cretensis, Ord. Praed., Graecos impugnavit in tribus tractatibus de processione Spiritus sancti etiam ex Filio.

IV. *Theologiae scholasticae vicissitudines saeculo decimoquarto et decimoquinto.*

§ 51. Quamvis saeculo decimotertio praestantissimi Doctores extiterint, plures postea Universitates Imperantium munificentia erectae fuerint, et

eorum, qui de rebus theologicis scripserunt, numerus in immensum creverit; attamen in hac periodo Theologiae non tam incrementa praedicanda, quam potius decrementa deploranda sunt. Multorum enim Theologorum conatus eo tenderunt, non ut dogmata catholica ex ipsis Revelationis fontibus eruerent, probarent et per genuinam Philosophiam, quantum licet et prodest, dilucidarent, sed multo magis ut electi sibi in Theologia ducis doctrinam explorarent, commentariis explicarent, et contra aliter sentientes defenderent. Hinc duae praecipuae scholae enatae sunt, eorum, qui *S. Thomam Aq.*, et eorum, qui *Io. Duns Scotum* sequebantur, quae se se invicem non iam circa dogmata definita, sed circa theologicas sententias, in quibus dissentire licuit, acriter impugnabant. His accessit tertia schola, quae, duce potissimum *Gregorio Ariminensi*, se *S. Augustinum* sequi profitebatur, imo et quarta, quae a *Io. Bacone* Carmelita fundata fuit, sed nunquam ad magnam celebritatem pervenit.—Negari etiam non potest, inter Theologos scholasticos tales quoque extitisse, qui vanis subtilibusque quaestionibus enodandis nimium insudarunt, et neglectis Ss. Scripturis et Ss. Patribus, auctoritati Aristotelis plus iusto detulerunt: ast naevi isti non omnibus inhaeserunt, sed multi meliori et solidiori methodo Theologiam pertractarunt, imo etiam ad tollendos Theologiae scholasticae abusus operam suam collocarunt. — Praecipuos saltem huius periodi scriptores dogmaticos et polemicos hic indigitare oportet.

1. Ordo Praedicatorum in hac periodo maxime excelluit doctrinae laude, et illustres scriptores progenuit, qui maxima saltem ex parte *S. Thomam Aq.* secuti, praeclara opera reliquerunt. Sic *Durandus* Ep. Meldensis, Theologus insignis, scripsit in 4 lib. sentent. commentaria satis dilucida, sed nonnullas singulares sententias propugnavit, quae ab Ecclesia improbatae sunt: ipse vero se suaque scripta infallibili Ecclesiae iudicio penitus submisit. *Hervaeus Natalis* O. P. Magister Generalis scripsit Commentaria in 4 libr. sent. et in Epist. S. Pauli: Tractatus de potestate Papae, de Sacramentis, de Verbo etc.: librum adv. Durandum in iis, in quibus a S. Thoma dissentit: libros aliquot adv. Henricum Gandav. qui doctrinam S. Thomae impugnare tentavit. *Petrus Paludanus* Patr. Hieros. scripsit commentaria in 4 lib. sent. et egregium tractatum de causa immediata ecclesiasticae potestatis. *Nicolaus Trivetus* Anglus, praeter Chronicon, scripsit commentaria in Genesin, in Leviticum, in Psalterium, catenam ex Patribus in universam scripturam; commentaria in libros S. Augustini de Civitate Dei: quodlibeta: tractatum de Missa et alia opera theologica. *Robertus Holkoth* pariter Anglus scripsit commentaria in 4 libros sentent.: lectiones 213 in librum Sapientiae: lecturam in Cantica Cant. et in septem priora capita Ecclesiastici. Ineunte saeculo decimoquinto floruit *Ioannes Capreolus*, qui in suis commentariis in 4 lib. sent. S. Thomae doctrinam ex ipso S. Thoma explicat, et obiectiones illorum, qui eam oppugnarunt, optime dissolvit, quapropter *Thomistarum Princeps* dictus est. *Ioannes de Turrecremata* Cardinalis scripsit summam de Ecclesia in 4 libros distributam : apparatum in definitionem fidei a Concilio Florentino editam, et alia opera. *Ioannes a Montenigro* Theologus insignis, et linguarum orientalium peri-

Google

tissimus, in Concilio Florentino contra Graecos disputavit, eorumque errores solidissime confutavit. *Ioannes a Ragusa* orationem habuit doctissimam in Concilio Basileensi per octo dies de communione sub utraque specie contra Hussitas: et aliam contra eosdem per tres dies habuit *Henricus Kalteisen* de libera praedicatione verbi Dei (utraquė oratio extat apud Henr. Canis. tom. 3 et 4 ant. lect.). *S. Vincentius Ferrerius*, doctrina et sanctitate celebris, praeter conciones, scripsit tractatum consolatorium in Fidei tentationibus, et tractatum de fine mundi. *S. Antoninus* Archiep. Florentinus, praeter summam doctrinalem, scripsit tractatus de censuris Eccles., de Sponsalibus et Matrimoniis.

2. Etiam in Ordine Fratrum Minorum hac periodo celebres Theologi adfuerunt. *Franciscus Mayronius*, Gallus, *Doctoris acuti* nomine clarus, scripsit comment. in 4 lib. sent. et quodlibeta. — *Petrus Aureolus*, Gallus, *Doctor facundus* dictus, edidit Epitomen universae Scripturae S. iuxta sensum litteralem: compendium Theologiae: comment. in 4 lib. sent.: librum de Conceptione B. V. Mariae. —*Antonius Andreas* Hispanus, a suis Doctor dulcifluus appellatus, scripsit comment. in 4 lib. sent. — *Gulielmus Occamus* Anglus, Scoti discipulus, ob ingenii acumen *Auctor invincibilis* nuncupatus, scripsit comment. in 4 lib. sentent.: libr. quodlibet.: lib. de fautoribus haereticorum: lib. de Sacramento Altaris: compendium Theologiae etc.: is scholam Nominalium instauravit, eorumque subtilitates et argutias pene obsoletas et emortuas excitavit: in varios errores et in schisma prolapsus, a Ioanne XXII damnatus est. — *Nicolaus Lyranus* praeter commentaria in S. Scripturam scripsit comment. in lib. 4 sent.: lib. de Corpore Christi: l. contra Iudaeos: quaestiones V. et N. Test.: tractatum de visione Dei. — *Pelagius Alvarus* Hispanus scripsit insigne opus de planctu Ecclesiae: apologiam contra Gulielmum Occamum: comment. in 4 lib. sent. — *S. Bernardinus Senensis*, doctrina et miraculis clarus, praeter sermones et tractatus asceticos, scripsit etiam comment. in Apocalypsin: sermones contra Iudaeos: tractatus de Evangelio aeterno: de christiana religione: de Conceptione B. V. Mariae: de Passione Domini: de Spiritu sancto: de Veritate: et Defensorium veritatis. — *S. Ioannes de Capistrano* scripsit de dignitate ecclesiastica: de poenis Inferni et Purgatorii: de poenis iniungendis: de Matrimonio: de Conceptione B. M. Virginis: de iudicio universali et Antichristo: de potestate Papae et Concilii: de auctoritate Concilii, seu Ecclesiae: lib. contra Hussitas, et in specie adv. Ioan. Rochesanum Hussitam. *Ioannes Bassolius* scripsit in libr. 4 sentent. non contemnenda commentaria.

3. In aliis quoque Ordinibus religiosis non pauci Theologiam scriptis suis illustrarunt. *Augustinus Triumphus* Italus, Ord. S. Augustini, scripsit egregiam summam de potestate Ecclesiae, et comment. in S. Scripturam, et in 4 lib. sent. *Thomas de Argentina* Germanus scripsit comment. in 4 lib. sent.: quaestionum biblicarum solutiones: sermones et epistolas: *Gregorius Ariminensis* Ord. Erem. S. August. Generalis Prior, Doctor Parisiensis, et Theologorum sui temporis subtilissimus, scripsit commentaria in Epist. S. Pauli, in Epist. S. Iacobi, et in 4 lib. sentent.: hic inter Augustinianos maximam sibi auctoritatem conciliavit. *Augustinus* de

Roma, Augustinianus, scripsit comment. in lib. 1 sent.: in Epist. Paulinas et canonicas: tractatus de peccato originali: de libero arbitrio: de potestate Papae et alios tres libros, qui autem sunt in indice librorum prohibitorum, donec expurgentur. *Georgius Biel* Germanus Augustinianus edidit doctissima comment. in 4 lib. sent. multosque sermones. *Ioannes Baco* Anglus Carmelita scripsit commentaria in 4 lib. sent.: compendium Legis Christi: commentaria in libros S. Augustini de Civitate Dei et de Trinitate, et in libros S. Anselmi de Incarnatione Verbi: atque tractatus adv. Iudaeos et alia. *Guido de Perpiniano* Hispanus Carmelita scripsit ingens volumen de omnibus haeresibus et concordiam quatuor Evangelistarum. *Thomas Waldensis* Anglus scripsit egregium opus, nempe Doctrinale antiquae fidei contra Wicleffitas et Hussitas, tribus tomis distinctum, in quibus disputatur de Deo, de Christo, de Petro, de Ecclesia, de Religiosis, de Sacramentis et de Sacramentalibus. *Henricus de Hassia* Germanus Carthusianus scripsit commentaria in 4 lib. sent., in Genesin, in Exodum, in Proverbia, in Apocalypsin et alia. *Dionysius Carthusianus*, natione Belga, vir sanctissimus et doctissimus, praeter opera ascetica scripsit commentaria in totam S. Scripturam, et in lib. 4 sent.

4. Inter illos quoque, qui nec monasticae, nec regulari vitae addicti erant, multi praeclara opera theologica ediderunt. *Nicolaus Oresmius* Doctor Parisiensis, et postea Ep. Lexoviensis, scripsit librum de Communicatione Idiomatum, et tractatum contra Astrologos iudiciarios. *Marsilius ab Ingen* Coloniensis Canonicus scripsit commentaria in 4 lib. sent., aliaque opera. *Petrus ab Alliaco* Gallus Ep. Cameracensis et Cardinalis, vir doctissimus, scripsit comment. in 4 lib. sent.: lib. de laude Scripturae, et Ecclesiae stabilitate: quaestiones in Hexaemeron: Paraphrasin in Psalmos: de Sacramentis: de Concilio generali etc. — *Ioannes Gerson* Academiae Parisiensis Cancellarius, nuncupatus *Doctor christianissimus*, multa docta et pia opuscula scripsit; haereticos, praecipue Hussitas, strenue impugnavit, Theologos quoque sui temporis graviter reprehendit, qui inanibus subtilitatibus enodandis toti intenti, S. Scripturae, Ss. Patrum et Conciliorum studium neglexerunt, atque Theologiam ab istis naevis purgare contendit praesertim in praeclara Epistola data ad studentes Navarrae. Hunc eundem finem sibi proposuit *Nicolaus de Clemangiis*, Parisiensis Academiae Rector, in celebri tractatu de studio theologico. His adnumerandus est *Nicolaus Cusanus* Episc. Brixiensis et Cardinalis, qui ad studia theologica corrigenda scripsit librum de docta ignorantia: de dato Patris luminum: de quaerendo Deo: Directorium speculantis: idem vir doctissimus elaboravit tractatus de visione Dei: de cribratione Alcorani: adv. Bohemos: de filiatione Dei: de concordantia catholica: dialogum de Genesi: dialogum de Deo abscondito: Excitationum libros decem: complementum theologicum. — *Aeneas Sylvius* Senensis, postea Papa *Pius II*, scripsit librum de rebus ecclesiasticis contra Thaboritas: lib. ad Nicolaum de Cusa: lib. de fide ad Imperatorem Turcarum: de Concilio Basileensi lib. 2: retractationem: et epistolas multas. *Alphonsus Tostatus* Hispanus Ep. Abulensis scripsit librum de SS. Trinitate: Paradoxa: l. de statu animarum post mortem: et in Pentateuchum, in Iosue, Iudices, Ruth, libros Re-

Digitized by Google

gum, et Paralipomenon, ac in Evang. S. Matthaei commentaria, in quibus innumerabiles quaestiones ita solvit, ut de eo scriptum sit: Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne. *Ioannes Picus* Mirandulae Comes, dictus ingeniorum sui saeculi *Phoenix*, scripsit in primum caput Genesis, et de opere sex dierum expositionem multiplicem, libris 7 comprehensam: conclusiones 900 quas disputandas publice proposuit: de Christi regno et mundi vanitate: de Astrologia, seu potius contra Astrologiam iudiciariam; et alia. *Iacobus de Valentia*, Ep. Christopolitanus, scripsit commentaria in Psalmos et in Cantica Salomonis, ac librum contra Iudaeos de Christo Messia. *Marsilius Ficinus* Florentiae natus, scripsit librum de christiana Religione, et libros 18 de immortalitate animarum. *Petrus Pilichdor* Germanus scripsit librum contra sectas Waldensium. — In Anglia contra Wicleffi errores plures calamum acuerunt, et in primis *Thomas Arundinellius* Archiep. Cantuariensis, *Richardus Snetishamus* Doctor Oxoniensis, *Gulielmus Berton* Oxoniensis Cancellarius, *Robertus* Archiep. Eboracensis, et alii.

5. Quantum in Ecclesia graeca sanae Philosophiae et genuinae Theologiae studia defecerint, manifeste probant crassi multorum Monachorum errores, qui a praecipuo suo duce et Patrono *Gregorio Palama* dicti sunt *Palamitae*, et docuerunt lumen in monte Thabor Christo circumfusum fuisse increatum et aeternum Dei lumen; istud tamen non esse substantiam Dei, sed tantum eius operationem, quam uti caetera attributa divina ab essentia, seu substantia Dei distingui, et esse eo minora licet ipsi coaeterna contenderunt: addiderunt insuper, naturam, seu essentiam Dei a nullo intellectu creato etiam beatifico videri posse, qualis in se est, sed tantum luce increata, a substantia tamen Dei realiter distincta, et oculis aspectabili Sanctos perfrui in coelo, et in ea duntaxat luce totam sitam esse aeternae Beatorum felicitatis summam: denique iidem Monachi asseruerunt, se caput ad umbilicum deprimentes in hac orationis quiete mirabilem lucem intueri, et inexhausta voluptate affici. — Extiterunt quidem nonnulli, qui absurdos istos errores strenue impugnarunt, ut *Barlaam*, *Gregorius Acindynus*, *Nicephorus Gregorius*, auctor historiae Byzantinae, et alii. Sed multo plures errores Palamitarum defenderunt, ut *Isidorus* Patriarcha, *Iosephus Bryennius*, et alii: ipsis favit etiam *Ioannes Cantacuzenus* Imp., vir alioquin eruditione insignis, qui apologiam pro fide catholica adv. Saracenos, et Alcoranum scripsit: immo *Ioannes XIII* Patriarcha Constantinopolitanus anno 1341 Synodum habuit, cui *Lazarus* Patr. Hieros. et Legati PP. Antioch. et Alex. interfuerunt, quaeque idcirco nona generalis Synodus apud Graecos audit: in hac Synodo damnatus est *Barlaam*, et omnes Episcopi graeci deliria *Gregorii Palamae* approbarunt; eidemque haereticae sententiae inhaeserunt etiam Ioannis XIII in sede Constantinopolitana successores *Callistus*, et *Philotheus*, seu *Philetes*. — Caeterum, praeter *Theophanem* Archiep. Nicaenum, qui insigne opus adv. Iudaeos, et concordiam V. et N. Test. contra eosdem scripsit, atque *Simeonem* Archiep. Thessal. qui commentarium in Missae sacrificium, et dialogum ecclesiasticum adv. omnes haereses de sola D. N. I. Christi fide, sacris sacrificiis et mysteriis omnibus Ecclesiae, ex Ss. Scripturis et Patribus collectum elucubravit, vix inter

Graecos inveniuntur, qui Theologiam scriptis suis illustraverint. Plerique tantum funestae pugnae contra Latinos continuandae et erroribus suis defendendis pertinaciter insudarunt, ut *Maximus Planudes* Monachus, *Nilus Cabasilas* Archiep. Thessal., *Nicolaus Cabasilas* prioris nepos, *Nilus* Metropolita Rhodius, *Nilus Damila*, *Iosephus Bryennius*, *Macarius Macres*, *Marcus* Ephesinus pertinacissimus Latinorum hostis, *Ioannes Eugenius*, Marci Ephesini germanus frater, qui scripsit adv. Concilium Florentinum, *Georgius Gemistus Pleto*, *Sylvester Syropolus*, et alii. — Sed tamen in hac periodo inter Graecos non pauci extiterunt, viri vere docti et pii, qui Graecorum errores impugnarunt et orthodoxa dogmata defenderunt. *Demetrius Cydonius* Byzantinus non solum Gregorii Palamae errores confutavit, sed etiam contra Cabasilam apologiam pro S. Thoma Aq. exaravit. *Bessarion* Ep. Nicaenus, et postea S. R. E. Cardinalis, scripsit orationem pro unione doctissimam; librum adv. Marcum Ephesinum pro defensione Ecclesiae Romanae, et alia insignia opera. — *Georgius Scholarius*, dictus *Gennadius*, scripsit orationes quatuor de pace ineunda inter Graecos et Latinos, et quinque orationes de 5 articulis controversis pro veritate catholica. *Iosephus* Ep. Methonensis dogmata orthodoxa et Concilium Florentinum adv. Marcum Ephes. calumniatorem egregie defendit. *Gregorius Mammas* Patr. Constantinopolitanus aliam Apologiam pro Concilio Florentino concinnavit. *Isidorus* Archiep. Ruthenorum, et *Iosephus* Patr. Constantinopolitanus orthodoxam fidem in Concilio Florentino c. Marcum Ephes. defenderunt. *Georgius* Trapezuntinus et *Ioannes Argyropolus*, viri eruditissimi, praeclaris scriptis Ecclesiae latinae dogmata vindicarunt. *Manuel Calecas* O. P. contra Graecorum errores 4 libros doctissimos exaravit.

Nota. *Wicleffo* Theologia scholastica maxime exosa fuit. *Lutherus* in libro adv. Iacobum Latomum asserit, Theologiam scholasticam nihil esse aliud, quam ignorantiam veritatis, inanemque fallaciam, quam Apostolus (1) praecavet; et in libro de abroganda Missa privata dicit, Academias esse Antichristi lupanaria. *Philippus Melanchthon* in Apologia contra Parisienses dicit, Lutetiae natam esse profanam scholasticen, et per hanc Evangelium obscuratum et fidem extinctam. Protestantes idcirco sat communiter Theologos scholasticos et mirifice contemnunt, et inimice insectantur tanquam illos, per quos pura Evangelii doctrina corrupta fuit. Immo etiam inter Catholicos nonnulli Theologos scholasticos vilipendunt, illisque exprobrant, quod S. Scripturae et Ss. Patrum studium penitus neglexerint, auctoritati Aristotelis nimium detulerint, et dogmata catholica non debito modo exposuerint et probaverint, sed solum subtilibus distinctionibus incundis, ac inutilibus quaestionibus solvendis insudaverint, barbarisque et inconditis vocibus Theologiam deturpaverint. — Ast ab omni prorsus veritate abhorret, quod Protestantes sine solido argumento deblaterant, dicentes, per Theologos scholasticos fidei doctrinam corruptam, aut nova dogmata condita fuisse. Constans enim, universalis et intima persuasio inerat Theologis scholasticis, quod fidei dogmata a sola Revelatione divina descendant, quae in S. Scriptura et Traditione continetur, et ab Ecclesia infallibiliter exponitur. Quaecunque ergo divinitus

(1) Coloss. 2.

revelata et ab Ecclesia ad credendum proposita esse cognoscebant, ea *de fide esse* pronuntiabant, et tanquam certissima, indubitata et immutabilia principia ita adseverabant, ut neque de iis inter se altercarentur, neque ea, dum nondum impugnarentur, multis argumentis indigere putarent. In Academiis porro lege iureiurando firmata cautum erat, ut ne vestigium quis ab Ecclesiae fide recedat (1). Ipsosmet idcirco Protestantes id quoque Theologis scholasticis vitio vertisse, quod eorum ratio, et libertas cogitandi duplici vinculo, nempe antiquorum Patrum testimoniis, et Conciliorum definitionibus penitus hebetata fuerit; fatetur ex suorum sententia *Andreas Krammer* (2). Praeterea negari non potest summa vigilantia Rom. Pontificum, Episcoporum, immo et Academiarum, qua factum est, ut errores ex philosophiae abusu in sacrarum disciplinarum tractatu pullulantes continuo proscriberentur, atque illi, qui heterodoxam, aut suspectam doctrinam proposuerant, erronea sua dicta revocare iuberentur, aut, si renuerent, poenas illius aevi more dare cogerentur: plura huius rei exempla vide apud *Bulaeum* (3), apud *Ant. Wood* (4), apud *Nat. Alex.* (5). His accedit, quod in hac periodo variae scholae *Thomistarum*, *Scotistarum*, et aliorum enatae sint, quae maxima aemulatione sibi invicem invigilabant, atque levioris quoque momenti naevos et errores statim detegebant, et acerrime impugnabant; ex quo sole clarius apparet, nullo modo fieri potuisse, ut una schola, altera tacente et consentiente, fidei doctrinam corrumperet, aut dogma hactenus incognitum venditaret. Haec siquis rite perpenderit, facile cognoscet, quam iniusta et absona sit Protestantium criminatio, qua in medio aevo per Theologos scholasticos fidei doctrinam corruptam, et nova in Ecclesiam dogmata introducta fuisse contendunt. — Non autem ideo omnes Theologiae scholasticae abusus negantur. Ipse *Melchior Canus* (6) fatetur: « fuisse in schola quosdam Theologos adscriptitios, qui universas quaestiones theologicas frivolis argumentis absolverint, et vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, ediderint in Theologiam commentataria vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his Ss. Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant, nihil ne ex gravi philosophia quidem, sed fere e puerilibus disciplinis; Scholastici tamen, si Superis placet, Theologi vocantur: nec scholastici sunt, nedum Theologi, qui sophismatum faeces in scholam inferentes, et ad risum viros doctos incitant et delicatiores ad contemptum. » Ast tum veritati, tum charitati maxime repugnat, vitia nonnullorum omnibus adiudicare, et artis abusum ipsi arti adscribere. Extiterunt enim etiam in hac periodo multi qui Theologiam solidiori modo pertractarunt, et quorum praeclara opera etiamnum non sine maximo emolumento leguntur. S. Scripturae studium hoc aevo nullatenus omnino neglectum fuisse, probant plurima commentaria in varios V. et N. Test. libros exarata. Nec desunt opera ex quibus magna Ss. Patrum et Conciliorum notitia elucescit. Immerito etiam dicitur, hoc aevo, quo Theologi

(1) V. Chron. dipl. Univ. Vindob. Iacobi Zeisl. p. 8, tit. 8 et 9, 1755.
(2) T. 6, p. 606, in continuatione Bossueti.
(3) In Hist. Acad. Paris. t. 4.
(4) De Antiq Oxonen.
(5) Saec. 14, c. 3.
(6) Lib. 8, c. 1.

nonnisi subtilibus speculationibus et vanis quaestionibus occupabantur, defuisse illam *agnitionem veritatis, quae secundum pietatem est* (1): contrarium enim ostendit magnus eorum numerus, qui praeclare de mystica Theologia scripserunt, ut *Henricus Suso* Constantiensis Ord. Praed., *Io. Tauler* pariter Germanus et O. P., *Io. Rusbrochius* Belga, Prior monasterii Vallis viridis, *Io. Gerson*, *B. Laurentius Iustinianus*, *Dionysius* Carthusianus, *Henricus Harpius* Belga Minorita, *Thomas a Kempis* Canon. regul. et alii.—Fatendum omnino est, barbaras inconditasque voces in Theologorum scholasticorum scriptis frequenter occurrere; sed etiam observare decet, ex classicis Latii auctoribus non potuisse satis idonea vocabula repeti ad christianae doctrinae veritates exprimendas et declarandas, ac praeterea concedendum est, multas saltem huiusmodi barbaras voces ad conceptus presse significandos maxime accommodatas, et a Theologis scholasticis claro semper explicatas fuisse. — Vanas quaestiones motas, et inutiles controversias, quibus hincinde etiam charitas laedebatur, inter varias scholas agitatas fuisse, historia testatur. In maximo autem errore versatur, qui indiscriminatim omnes scholasticorum quaestiones vanas, distinctiones frivolas, et disputationes inutiles atque incompositas reputat: plurimae enim ad veritates theologicas magis magisque dilucidandas solidiusque probandas maxime proficuae fuerunt.—Sicuti ergo Theologiae scholasticae abusus negari haud possunt: ita et magna ipsius emolumenta, quae Religioni attulit, agnosci et praedicari debent. Et sane, Theologia scholastica ad hoc maxime contulit, ut universa Religionis christianae doctrina ordinata methodo traderetur: excogitatae a scholasticis fixae loquendi formulae, logicae rerum definitiones, variaeque distinctiones et conclusiones ad claram veritatum theologicarum notitiam promovendam plurimum contulerunt: Religionis dogmata philosophicis quoque rationibus stabilita, hoc ipso quoque rectae rationis principiis neutiquam adversari monstrabantur: ars dialectica Theologiae iuncta ad errores praecavendos et confutandos optima media suppeditavit. Et certe ex hac potissimum ratione Lutherus eiusque gregales Theologiae scholasticae maxime infensi fuerunt; « connexae quippe sunt, ac fuere semper post natam scholam, scholae contemptio et haeresum pestis. » Caeterum Protestantes moderatiores Theologis scholasticis suas non denegant laudes. Ita *Doederlein* (2) fatetur, quemlibet in Theologis scholasticis (saltem insignioribus) amplam eruditionem, subtilem in cogitando perspicaciam, ingens in argumentando ingenii acumen, et strictum in sua docendi methodo nexum et ordinem admirari debere.

ARTICULUS III.

Epocha theologica recentior.

§ 52. In hac epocha, quae a saeculo decimo sexto usque ad nostra tempora protenditur, ad Theologiae faciem immutandam complures causae concurrerunt, quae scientiarum studiis partim propitiae, partim adversae fuerunt.

1. Post captam anno 1453 a Turcis urbem Constantinopolim multi Graeci, non quidem Theologiae laude insignes, sed tamen humaniorum litterarum studio excellentes, Grammatici, Oratores, Poëtae etc. in Occidentem fugerunt, et primum apud Italos,

(1) Tit. 1, 1.

(2) Instit. theol. Chr. p. 1, p. 205, etc.

et mox etiam apud alias Europae nationes linguarum, praesertim hebraicae et graecae, peritiam, auctorum classicorum lectionem, et humaniorum litterarum studia promoverunt. Quo magis autem ingenia humanioribus litteris exculta, et elegantiori stylo assueta sunt, eo magis Theologorum scholasticorum tractatus, sermone inculto conscripti, et subtilibus vanisque quaestionibus referti displicere coeperunt. Hinc necessitas agnita fuit, Theologiam reformandi, a tricis et inutilibus quaestionibus liberandi, solidiori modo et purgatiori stylo pertractandi. Extiterunt etiam praeclari viri, qui linguarum orientalium peritiam ad S. Scripturae et Ss. Patrum studium promovendum adhibuerunt, et humanioribus litteris usi sunt ad res theologicas meliori stylo proponendas. In meliori Theologiam tradendi methodo commendanda atque docenda eminuit *Melchior Canus* in celebri opere de locis theologicis, multa eruditione, arte et elegantia conscripto. — Ast efflorescens linguarum orientalium studium, et ingenuarum artium cultura, sua etiam incommoda et pericula peperit. Hinc enim in nonnullis nata est turgida illa iactantia, qua, eoquod hebraicis et graecis litteris operam dederint, iam se Religionis magistros evasisse putaverunt, caeteros contempserunt, traditionem hermeneuticam neglexerunt, aut etiam suam privatam interpretationem ipsi infallibilis Ecclesiae iudicio praeposuerunt. Praeterea, ut observat Cl. *Schwetz* (1): « Studiis antiquae litteraturae multorum animi non tantum amorem litterarum elegantiorum, sed et spiritum, quo scripta Graecorum et Romanorum exarata sunt, imbiberunt, omnia subiectivae sententiae deferentem, voluptatumque sensualium cupidinem excitantem ac nutrientem. »

2. Maximum in Theologiam influxum habuerunt funestae haereses, quae sub fallaci reformationis nomine saeculo decimo sexto disseminatae sunt. Quae a doctis piisque viris bene coepta fuerunt, et continuo perfici poterant; per religiosa dissidia tumultusque tragicos, qui Germaniam praecipue involverunt, iterum impedita et labefactata sunt. *Lutherus* quippe multa dogmata temere negans, pessimos errores audacter spargens, et Ecclesiam, a qua impie recessit, dire impugnans, disciplinis theologicis ad maiorem perfectionem provehendis maxime obstitit. Ipse enim omnis philosophiae se inimicum declaravit, immo ipsam rationem humanam stultam a nativitate, diaboli meretricem, et bestiam enecandam appellavit: nihilominus autem insigni contradictione S. Scripturam, quam ut unicum Revelationis fontem assignavit, cuiuslibet spiritui privato exponendam commisit. Cum porro Traditionem divinam reiiceret et Ecclesiae infallibilitatem negaret, Ss. Patrum et Conciliorum studium supervacaneum et inutile pronuntiavit. Generatim *Lutherus* a concertationibus theologicis maxime abhorruit, et verbis suis, quae verba Dei appellavit, caecam fidem poscens, contradicentibus sibi nonnisi conviciis respondere consuevit. Mirum igitur non est, iuxta talia principia disciplinas theologicas perfici non potuisse. Ideo *Erasmus Roterodamus*, vir maximi ingenii et insignis eruditionis, qui et ipse ad reformandam Theologiam manus admoverat, maxime doluit, nascentes litteras quasi in cunis suffocari, idemque (2) scripsit: « Ubicunque regnat Lutheranismus, litterarum

(1) Th. dogm. Isag. § 9, p. 42

(2) L. 19 in Epist. ad Bilib. Pirkheimer.

est interitus. » Hoc idem etiam de reliquis Protestantium sectis dicendum est, qui *Zwinglium*, *Calvinum*, *Socinum*, aliosque habuerunt auctores, qui omnes in eo tantum convenerunt, ut veram Christi Ecclesiam impugnarent, dogmata catholica negantes, et his oppositos errores tradentes. — In tristissimis hisce circumstantiis Theologi orthodoxi ad veritatem catholicam contra adversariorum insultus defendendam coacti a magis magisque excolenda disciplina nostra detenti sunt. Sed tamen ipsae luctae, quae cum tot adversariis suscipiendae erant, id effecerunt, ut Theologi catholici ab inutilibus quaestionibus abstinentes ad ipsa dogmata solide probanda vires suas intenderent, studio S. Scripturae, qua Protestantes potissimum abutebantur, maiori diligentia incumberent, in arte dialectica perfectius exercerentur, et egregia opera polemica elucubrarent.

3. Ad legitimam Theologiae reformationem plurimum absque dubio contulit *Concilium Tridentinum*. In hoc enim amplissimo totius Ecclesiae catholicae conventu, in quo doctissimi et piissimi Episcopi ac celeberrimi Theologi congregati fuerant, dogmata, praecipue impugnata a Protestantibus, cum summa diligentia ex S. Scriptura et Traditione eruta, clarissime explicata et cum maxima praecisione definita sunt. Sapientissimae quoque leges constitutae sunt tum ad disciplinam ecclesiasticam reformandam, tum ad S. Scripturae et aliarum scientiarum theologicarum studia promovenda. Hinc quemadmodum Tridentinae Synodi beneficio universim refloruit disciplina, clericalis iuventus in litteris moribusque diligentius excoli coepta est, novoque Ecclesia ubique decore renituit, sic etiam inde theologica studia amplificata, perpolita, eruditiora atque adeo solidiora effecta sunt. Errant ergo, et vehementer errant, qui dolent e Tridentina Synodo factum esse, ut Theologi equidem, quid credendum sit, proponerent, sed a Philosophiae usu caute abstinentes dogmata ad intelligentiam evehere, eorumque intrinsecum nexum ostendere haud studerent, et sic *positivam* quidem Theologiam excolerent, *speculativam* autem penitus negligerent. Nam Concilium Tridentinum genuinae Philosophiae usum in Religionis et Theologiae negotio nullibi interdixit, nec speculativam Theologiam prohibuit. Ideo etiam post Concilium Tridentinum, ut ex dicendis apparebit, excellentes doctrina et pietate viri theologicis speculationibus institerunt, et Theologiam scholastica methodo pertractarunt, ab illis tamen vitiis purgata, quae prioribus temporibus contraxerat. Quod autem successu temporis plures Theologi catholici ab omni speculatione alieni positivam tantum Theologiam traderent; id non Concilio Tridentino, sed potius ipsis Protestantibus, atque etiam illorum temporum Philosophis adscribendum est. Cum enim Protestantes continuo Ecclesiae catholicae dicerent, eam a sua primitiva dignitate defecisse, eiusque doctrinam a genuina S. Scripturae et antiquae Ecclesiae doctrina disparem esse, et hanc mutationem seu corruptionem Theologorum scholasticorum speculationibus tribuerent: Theologi, ut tales criminationes retunderent, prae omnibus operam navare debebant, ut doctrinam Ecclesiae cum S. Scriptura et primaevae Ecclesiae Traditione revera consentientem esse ostenderent. Philosophicam autem, seu speculativam doctrinae divinae tractationem eo facilius omittebant, quo magis ipsi

Google

persuasum erat, partim hanc apud adversarios male audire; partim ipsam Philosophiam aevi, in quo scribebant, sese Theologiae inimicam monstrare. Hinc factum est, ut illa ultimo huius periodi saeculo e scholis theologicis fere exularet, donec tandem nostris diebus iterum revixerit.

4. In hac epocha Philosophia etiam separatim a Theologia pertractari coepit, et varia tentamina facta sunt, veritates Religionis naturalis ex solis rationis principiis comprobandi. Nonnulli hac in re haud improbandos labores exantlarunt, et inter Philosophos magnum sibi nomen compararunt, ut *Baco de Verulamio*, *Cartesius*, *Leibnitius*, *Wolfius* et alii, qui Dei existentiam, hominis libertatem, animae immortalitatem, Religionis et Revelationis necessitatem, aliasque veritates ad Religionem pertinentes solidis argumentis demonstrarunt. Alii autem philosophicis studiis tantum abusi sunt ad Religionem christianam impugnandam et ad iniquam incredulitatem propagandam. Ita saeculo decimo septimo *Ben. Spinoza* Pantheismum mathematica methodo demonstrare conatus est; *Humius* Scepticismum restauravit; *Bayle*, seu *Baelius*, dictionarium composuit, in quo praecipua Religionis capita in dubium trahere, ac in mysteriis contradictiones ostendere conatur. Eodem fere tempore Religionis revelatae inimici et incredulitatis praecones in Anglia fuerunt *Herbertus a Cherburio*, *Hobbesius*, *Tolandus*, *Tindalius*, *Woolstonus*, *Morganus*, *Chubbius*, et alii. Mox eadem impietas in Galliam transiit, et saeculo decimo octavo pessimos fructus tulit. Incredulorum autem in Gallia coriphaei, ducesque extiterunt *Voltaire*, *Rousseau*, *D'Alembert*, *Diderot*, *Mirabeau*, *Helvetius*, et alii non pauci. Impiahorum conamina ipsa Religionis christianae fundamenta evertendi, ac omnimodam incredulitatem, imo et Atheismum propagandi, Theologos catholicos obligarunt, ut non solum cum antiquis Apologetis Religionis christianae divinam originem, sed et ipsam Dei existentiam aliasque fundamentales Religionis veritates probarent, fallacesque adversariorum obiectiones refellerent: quod et a multis excellentissimo modo praestitum fuit. — Ast non solum illi, qui palam se omnis revelatae Religionis osores declararunt, sed etiam alii, qui Religionem christianam extrinsecus profitebantur, incredulitatis praecones et promotores merito nuncupantur, quoniam arrogantem Rationalismum sectantes, doctrinam christianam pro suo arbitrio exponere, mysteria aut reiicere aut contorquere, et fidem iuxta rationis suae placita modulari attentarunt. — Funestae huic inordinationi ipse *Lutherus* ianuam aperuit, S. Scripturae, seu verbi Dei expositionem cuiuslibet spiritui privato committens. Mox *Socinus*, novae sectae, quae se christianam nominare non veretur, auctor, ulterius progressus ita rationem revelatarum veritatum iudicem constituit, ut omnia, quae ab ipsa comprehendi nequeunt, reiicere, aut ita declarare possit ac debeat, ut rationalibus principiis evidenter conformes reddantur: quo systemate posito omnia Religionis christianae mysteria expuncta fuerunt. Ab initio equidem Lutherani et Calviniani Socinianos detestati, eosque confutare nisi sunt. Successu autem temporis factum est, ut, duce potissimum *Semlero*, multi ex Protestantium Theologis in Socinianorum partes transirent, libros sacros spuriae criticae subiicerent, et invento impio *accommodationis* et *perfectibilitatis*

Digitized by Google

systemate, in dictis Christi nonnisi veritatum rationalium involucra invenirent, quae progressu temporis operationis continuo explicari et perfici debent. Putidus hic rationalismus maxima incrementa cepit per Philosophos, qui inter Protestantes, et ex ipsis prodierunt. *Kant*, philosophiae criticae auctor, Theologiae dogmaticae gravissima vulnera inflixit; rationem enim practicam maxime exaltans theoreticam ad ima depressit; atque huic omnem transcendentalium cognitionem abnegans, argumenta ex eadem deducta impugnans, aliaque substituens, Scepticismum produxit, ac supernaturalis revelationis se inimicum ostendit. *Iacobi* equidem rationis theoreticae iura vindicavit, ast nimia huic circa veritates revelatas iura concedens Rationalismum non coërcuit, sed ampliavit. *Fichte* subiectivae cogitandi vi totus insistens, et ex ista omnia repetens in *Idealismum* et *Pantheismum* prolapsus est. *Schelling* ab initio Deum, seu absolutum tanquam principium essendi et cognoscendi proponens, ex quo omnia oriuntur, et in quo omnia uniuntur, visus est *Platonis*, aut etiam Augustini Philosophiam restaurare, unde etiam a nonnullis catholicis Theologis, e. g. *Patr. Zimmer*, *Ignat. Thanner*, etc. magnis laudibus exaltatus est: sed mox aut mutato, aut clarius explicato suo systemate, patuit, quod per absolutum nonnisi naturam intelligat, in qua, seu ex qua ipsum Deum oriri et evolvi dicit: unde *Pantheismi realis* patronus factus est. *Hegel*, non sine magna logica et dialectica arte Idealismum ad summum apicem evehens, *Pantheismum idealem*, seu larvatum *Atheismum* procreavit, et se acerrimum Religionis revelatae hostem ostendit. Istorum Philosophorum aberrationes Theologiam Protestantium penitus corruperunt. Extiterunt equidem nonnulli, qui Religionem christianam ut divinitus revelatam agnoverunt et defenderunt, et opera theologica iuxta libros suos symbolicos exararunt, ut *Storr*, *Reinhard*, *Hahn*, *Steudel*, *Henricus Schmid*, *Hengstenberg*, *Tholuck* etc. At multo plures ex recentioribus Protestantium Theologis Rationalismum sequuntur, S. Scripturam peius quam quodlibet opus humanum tractant, cum Divinitate Christi omnia mysteria negant, dogmata christiana iuxta philosophica sua placita exponunt, et non tam in Religione christiana excolenda, quam potius in illa evertenda occupantur, ut *Tieftrunk*, *Wegscheider*, *Ammon*, *Bretschneider*, *de Wette*, *Twesten*, *Hase*, *Strauss*, etc.; quinimo multi putidum Pantheismum tradunt, ut *Daub*, *Marheineke*, *Schleiermacher*, etc. — Ex his rerum circumstantiis facile patet, Theologis catholicis incumbere, ut non solum contra haereticos, sed etiam contra incredulos pugnent, Dei personalis existentiam probantes Pantheismum conterant, Religionis christianae divinitatem defendant, et tunc demum ad Ecclesiae catholicae auctoritatem et reliqua dogmata commonstranda accedant, atque spuriae philosophiae argutias et sophismata per sanae philosophiae principia refellant. Has Theologi catholici obligationes novissimis temporibus plurimi celebres viri probe agnoverunt, et egregia opera elucubrarunt, in quibus falsa Philosophorum systemata impugnarunt, divinitatem Religionis christianae, auctoritatem Ecclesiae, et dogmata catholica egregie defenderunt, et sanam Philosophiam cum Theologia iterum coniungentes hanc praeclare illustrarunt. — Sed operae pretium est, ut totius huius

epochae praecipuos saltem Theologos de dogmatica et polemica benemeritos propius cognoscere satagamus.

I. *Celebriores Theologi dogmatici et polemici saeculi decimi sexti.*

§ 53. Ecclesia, quae hoc saeculo plurimos adversarios nacta est, multos etiam habuit celebres viros, qui haereticos strenue impugnarunt, dogmata catholica solide defenderunt, aut S. Scripturae, Ss. Patrum et Conciliorum studium promoventes, Theologiam dogmaticam maxime adiuvarunt. Ne autem ipsa Scriptorum multitudo confusionem producat, istos in varias classes dividentes, primo Scriptores ex Clero saeculari apud varias nationes, et dein Scriptores ex Clero regulari in variis Ordinibus religiosis enumerabimus.

1. In Italia *Hadrianus VI* R. P. (natus Traiecti), vir doctrina et pietate insignis, scripsit Disputationes in lib. 4 sentent. et eximias Epistolas; quarum una valde prolixa et docta ad Saxoniae ducem extat in tom. Concil. — *Iacob. Sadoletus* Mutinensis, Cardinalis, stylo Ciceroniano scripsit multas Epistolas, Orationes et Commentarios in Psalmos, ac in Epistolam S. Pauli ad Romanos. — *Gaspar Contarenus* Venetus, Cardinalis, edidit librum de Immortalitate animarum contra Pomponatium, aliaque opera exegetica, polemica et theologica (1). — *Aloysius Lipomanus* Venetus, Ep. Veron. Catenas in Genes., Exod. et in Psalmos ex graecis et latinis authoribus, miro ordine contexuit, ac perdoctis adnotationibus illustravit. — *Claudius Seissellus* Sabaudus, Ep. Taurinens., scripsit tractatus tres de divina Provideutia; lib. c. Waldenses, et Commentar. in Ev. Lucae. — *Dominicus Iacobatius* Romanus, scripsit insigne opus de Conciliis. — *Stanislaus Hosius* Polonus, Cardinalis, plura contra Lutheranos praeclara scripta elucubravit. His addi meretur *Albertus Pius* Carporum in Italia Princeps, qui doctissimis libris impia Lutheri dogmata confutavit, et cum *Desiderio Erasmo* Rot. litterarias concertationes habuit.

2. In Germania *Fridericus Nausea* Ep. Viennensis, praeter opera exegetica, scripsit Expositionem 12 articulorum fidei contra haereticos: censuras et solutiones quaestionum contra Zwinglium: lib. de Sacramento Eucharistiae: lib. de chr. Sacerdotii dignitate: lib. de coelibatu Sacerdotum et votis monasticis contra Lutherum: de ineunda in Religione christiana concordia: de Concilio Tridentino. — *Ioan. Eckius* vir doctissimus, qui in publica disputatione Lutherum confudit, scripsit Enchiridion, in quo controversias fere omnes breviter ac erudite dirimit: libros primum duos, dein tres de Missae sacrificio: lib. tres de Primatu Petri: lib. de Poenitentia et alia. — *Io. Cochlaeus* Norimbergensis, eximius fidei catholicae propugnator, scripsit opuscula plurima contra Lutherum, Melanchthonem et alios sectarios: librum de actis et scriptis Lutheri valde utilem ad Lutheranos confundendos: septicipitem Lutherum, cuius hic contradictiones et inconstantiam ostendit: lib. 12 de historia Hussitarum. — *Ioan. Gropperus* ex Westphalia ortus, egregiam edidit Institutionem catholicam: lib. de Eucharistia: tract. de Communione sub altera tantum specie, et alia opera, quae a viris eruditis impense laudantur. — *Iacobus Noguera*, Decanus Ecclesiae Viennensis, libros duos de Ecclesia Christi ab haereticorum conciliabulis dignoscenda in lucem emi-

(1) Excusa Venetiis 1589.

sit. — *Albertus Pighius* Coloniensis, Academiae Doctor, pluribus theologicis operibus catholicam fidem contra haereticos defendit. Praecipuam laudem meretur *Iodocus Coccius* Canonicus Iuliacensis, qui *Thesaurum catholicum* edidit, in quo constantem 14 saeculorum traditionem praecipue circa dogmata a Protestantibus impugnata commonstrat.

3. In Belgio *Iacobus Latomus*, *Ioan. Driedo*, *Thomas Stapletonus et Ioannes Molanus*, Doctores Lovanienses, multis perdoctis scriptis *Lutherum* aliosque huius furfuris Novatores exagitarunt. *Ruardus Tapperus*, Doctor Lovaniens., qui interfuit Concilio Tridentino, Articulos Lovanienses contra Lutherum erudito opere explicuit et defendit: scripsit etiam librum de Providentia et Praedestinatione. — *Iansenius* Ep. Gandavensis scripsit utilissimam Concordiam in 4 Evangelia, doctissimum Commentarium in Psalmos, et alia opera praeclara. — *Guilelmus Lindanus* item Ep. Gandav., scripsit Panopliam evangelicam, atque Tabulas analyticas omnium haeresum sui saeculi. Ast theologicae doctrinae laude inter omnes eminuit *Guilelmus Estius*, qui doctissima Commentaria tum in libros 4 sentent., tum in Epistolas S. Pauli et aliorum Apostolorum, Notas quoque in praecipua ac difficiliora S. Scripturae loca, et alia opera scripsit, quibus toti Orbi christiano eruditionis fama notissimus evasit. — Ingenii acumine et omnigena eruditione excelluit etiam *Erasmus* Roterdamus, qui multa opera scripsit, Lutherum eiusque discipulos libris editis palam impugnavit, apologias quoque adornavit, ut ostenderet, se ab impia Lutheri doctrina vehementer abhorrere; sed tamen in fide ambiguus fuit, eiusque scripta ab erroribus immunes non sunt: ipsum tamen in gremio Ecclesiae catholicae obiisse multis argumentis probat doctissimus et piissimus Abbas *de Marsonlier*.

4. In Anglia *Ioannes Fischer* Ep. Roffensis, Cardinalis, qui et Martyr occubuit, scripsit adversus articulos Lutheri, damnatos a Leone X: contra librum Lutheri de captivitate babylonica: tractatus contra eundem de christiano Sacerdotio et de Eucharistia, et alia. — *Stephanus Gardinerus* Ep. Wintoniensis dogma de reali Christi in Eucharistia praesentia erudito volumine contra haereticos propugnavit. — *Reginaldus Polus* Cardinalis ad restaurandam in Anglia fidem catholicam plurimum laboravit, et varia reliquit ingenii sui monumenta. — *Ioannes Maior* natione Scotus scripsit Commentaria in 4 Evangelia, et in lib. 4 Sentent. — *Gulielmus Alanus* Lancastriae natus plura scripsit de quaestionibus controversis contra haereticorum opera, et ob labores pro fide catholica in Anglia susceptos Cardinalis a *Sixto V* creatus est. — *Nicolaus Sanderus* historiam anglicani schismatis, et egregium librum de visibili Monarchia scripsit. Hic commemorandus est etiam celeberrimus *Thomas Morus*, qui insignem responsionem ad epistolam Lutheri, explicationem passionis dominicae, et libellum de morte pro fide Christi perferenda scripsit.

5. In Gallia *Robertus Cenalis* Ep. Abrincensis scripsit librum contra Interim Caesareum: Antidotum adv. Sacramentarios: lib. de coelibatu: Larvam sycophanticam contra Calvinum. — *Natalis Beda* errores Iacobi Fabri Stapulensis confutavit, et etiam calamum strinxit in *Erasmum Roter.*, quem multorum errorum insimulavit. — *Franc. Vatablus* eruditas Adnotationes in S. Scripturam scripsit: sed

hoc opus primo ab haereticis excusum et depravatum, postea vero a Salmanticensibus purgatum et typis evulgatum est. — *Claudius Espencaeus* contra haereticos edidit libros 5 de Eucharistia et eius adoratione: lib. 6 de continentia: Apologiam adversus Ministros haereticos: tractatum de Missa privata et publica; et alia utilissima opuscula. — *Iodocus Clictovaeus* Carnutensis Ecclesiae Canonicus scripsit Propugnaculum Ecclesiae contra Lutheranos: Antilutherum: lib. de Sacramento Eucharistiae contra Oecolampadium, et alia. — *Iacobi Merlini* opera contra haereticos Novatores duobus tomis continentur. — *Hermannus Lethmatius* Doctor Parisiensis scripsit de instauranda Religione libros novem. — *Ioan. Mercerus* Parisiis linguae hebraicae Professor egregios adornavit commentarios in Genesin, in Iob, in Salomonem, et in sex priores Prophetas minores. — *Iacob Almainus* celeber Theologus Parisiensis multa opera philosophica, moralia et theologica edidit.

6. In Hispania *Benedictus Arias Montanus* Biblia Polyglotta edidit, et commentaria scripsit in Iosue, et Iudicum, in Isaiam, et 12 Prophetas minores, in 4 Evangelia, et in Acta Apost. — Hic socium laboris habuit *Andream Masium* in Belgio hispanico natum, qui praeter alia praeclara opera praeclaram scripsit disputationem de coena Domini adv. Calvinistas. — *Ludovicus Vives*, patria Valentinus, quinque libris de tradendis disciplinis, et commentariis in libros S. Augustini de Civitate Dei immortalis famae gloriam adeptus est. — *Petrus Serranus* Cordubensis scripsit commentaria in Leviticum, in Ezechielem, et in Apocalypsin. *Leo Castrius* Salmanticensis Doctor exaravit comment. in Isaiam et Oseam, et scripsit Apologiam pro vulgata et 70 Interpretum Versione. — *Iacobus Payva de Andrada* Lusitanus, fere omnes doctrinas controversas pertractavit, et adv. haereticos egregiam defensionem Tridentinae fidei publici iuris fecit.

7. In Ordine Praedicatorum *Thomas de Vio Caietanus* Cardinalis scripsit commentaria in Scripturam universam, praeterquam in Canticum, Prophetas et Apocalypsin: Summam S. Thomae commentariis illustravit, et alia opuscula theologica de fide et operibus, de indulgentiis et aliis quaestionibus contra Lutherum edidit. — *Melchior Canus* Hispanus Ep. Canariensis scripsit celeberrimum opus de locis theologicis, et Relectionem de Sacramentis in genere, et aliam de Sacramento Poenitentiae. — *Ambrosius Catharinus* Archiep. Compsae, praeter opera exegetica scripsit opus adversus Lutherum: sed acri stylo etiam Card. Caietanum exagitavit, et nonnullas sententias propugnavit, quae communi Theologorum iudicio improbantur. — *Bartholomaeus Carranza* Archiep. Toletanus scripsit tractatum de necessaria Episcoporum residentia: Summam Conciliorum: Catechismum: et librum de poenitentia. —*Franciscus a Victoria* Hispanus scripsit commentaria in Summam S. Thomae, et 13 valde eruditas Relectiones theologicas de potestate Ecclesiae, de potestate Concilii, de matrimonio etc. — *Dominicus Soto* Hispanus scripsit commentaria in Epist. ad Rom. et in lib. 4 Sentent., ac de natura et gratia libros tres. — *Petrus Soto*, qui obiit Tridenti tempore Concilii, edidit tres libros de institutione Sacerdotum. — *Franciscus Ferrariensis* O. P. Mag. Generalis Summam S. Thomae contra Gentes commentariis illustravit. — *Six-*

Digitized by Google

tus Senensis celebrem composuit Bibliothecam Sanctam, in qua libros sacros, eorum auctores, versiones et commentaria percenset, nec non Ss. Patrum et Virorum illustrium opera critice expendit. — *Sylvester Prieras* Pedemontanus primus omnium adversus nascentem haeresin Lutheri scripsit, et comment. in lib. 4 Sent. exaravit. — *Cyprianus Benetus* Hispanus elucubravit eruditos tractatus de prima Orbis Sede: de Concilio: de eccles. potestate: de auctoritate Papae. — *Ioannes Viguerius* concinnavit theologicas Institutiones. — *Ioan. Bunderius* adv. haereticos scripsit compendium rerum theologicarum: scutum fidei orthodoxae adv. quaslibet haereses: tract. de baptismo contra Mennonem Anabaptistam: confutationem dogmatum Lutheranorum, et alia. — *Ambrosius Pelargus* Germanus Symbolum Nicaenum, et S. Chrysostomi Liturgiam notis illustravit, Oecolampadium aliosque haereticos, nec non Erasmum Rot. eruditis lucubrationibus exagitavit.

8. In Societate Iesu, hoc saeculo a *S. Ignatio* instituta, multi statim doctrina et pietate effulserunt scriptores. *Iacobus Laynez* Hispanus praeclara sui ingenii suaeque eruditionis, quaetiam in Concilio Tridentino splenduit, reliquit monumenta. — *Alphonsus Salmeron* Toletanus Novum Testamentum sexdecim tomis perdocte interpretatus est: haereticorum perpetuus hostis fuit, quos disputationibus ac scriptis semper exagitavit. — *Martinus Olavius* scripsit assertiones de conditione, lapsu et reparatione hominis. — *Petrus Canisius* Noviomagensis scripsit lib. 5 de B. V. Maria: parvum Catechismum Catholicorum: commentarios de verbi Dei corruptelis: et alia opuscula dogmatica, polemica, exegetica, et ascetica. — *Henricus Canisius*, prioris frater, edidit sex tomos Antiquae lectionis, in quibus varia exhibet scriptorum priscorum monumenta ad historiam mediae aetatis illustrandam, nunquam antehac evulgata. — *Franciscus Ribera* scripsit doctissimos commentarios in 12 Prophetas minores, in Ev. Ioann., in Ep. ad Hebr. et in Apocalypsin. — *Io. Ferdinandus* Hispanus edidit divinarum Scripturarum iuxta Ss. Patrum sententias locupletissimum thesaurum. — *Franciscus Toletus* Cardinalis praeclara opera exegetica, et moralia concinnavit. — *Io. Maldonatus* Hispanus scripsit praestantissima commentaria in 4 Evangelia, in Ieremiam, Baruch, Ezechielem et Danielem. — *Emanuel Sa* Lusitanus scripsit adnotationes in S. Scripturam breves, sed eruditas. — *Leonardus Lessius* egregios tractatus de divinis nominibus, de Providentia divina et animae immortalitate, aliaque opera exaravit; sed ob aliquas propositiones, gratiam divinam concernentes, Academiae Lovaniensis, et ob propositiones de Ss. Librorum inspiratione, quam cum Duhamelio propugnavit, Apostolicae Sedis censuram incurrit. — *Ludovicus Molina* Hispanus inter alia opera edidit librum de concordia gratiae et liberi arbitrii, qui multas turbas excitavit. Re longius discussa in Congregationibus de Auxiliis, quae in fine huius et initio sequentis saeculi habitae sunt, summi Pontifices *Clemens VIII* et *Paulus V* nihil aliud definierunt, nisi ut partes collitigantes, Dominicani scilicet et Iesuitae, invicem abstinerent ab accusatione haereseos.

9. In Ordine Fratrum Minorum *Ximenes* Hispanus Cardinalis primus Biblia Polyglotta, Complutensia dicta, infinitis laboribus atque impensis perfecit. — *Franciscus Lychetus* Min.

Generalis edidit commentaria in tres primos libros Sentent. iuxta doctrinam Scoti. — *Franciscus Titelmannus*, Capucinus, linguarum orientalium peritia, doctrina et pietate insignis, scripsit Apologeticum pro editione vulgata Scripturae: collationem super Ep. ad Rom. adv. Iacobum Fabrum et Erasmum Rot., commentaria in Psalmos, in Cantica, in prima capita Iob, et alia: « Omnia eius scripta, ait Bellarminus, etiam philosophica, miram pietatem spirant. » — *Andreas Vega* Hispanus Concilii Tridentini doctrinam de Iustificatione perdoctis commentariis contra haereticos defendit. — *Marcus Viguerius* Italus Episc. Senogalliensis, et postea Cardinalis, scripsit Decachordum Christianorum de praecipuis incarnati Verbi mysteriis: lib. de vita, morte, passione, resurrectione et instrumentis passionis D. N. I. C. et alia. — *Clemens Dolera* Italus Ep. Fulginat. et Cardinalis edidit compendium catholicarum institutionum ad christianam Theologiam. — *Petrus Crabbius* Mechliniensis novam Conciliorum collectionem in tria magnae molis volumina digestam adornavit. — *Alphonsus a Castro* Hisp. scripsit opus adversus omnes haereses in libr. 14 distributum: lib. 3 de iusta haereticorum punitione: et lib. 2 de potestate legis poenalis. — *Conradus Clingius* Germanus, praeter Catechismum lib. 4 comprehensum, scripsit locorum communium S. Theologiae Sylvam, et alia opera, quae tamen vel exuberantis ingenii vitio, vel haereticorum fraude corrupta correctione indigent, et ideo in Indice lib. prohib. reperiuntur. — *Petrus Galatinus* Italus opus theologicum edidit in 5 partes divisum: item opus de Ecclesiae catholicae institutione, deformatione et reformatione, aliosque tractatus: edidit et librum de Arcanis catholicae veritatis, qui autem non videtur esse nisi compendium multo maioris operis, quod sub nomine *Pugionis fidei* edidit *Raymundus Martinus Ord. Praed.* — *Nicolaus Grandis* Doctor Theologus Parisiensis commentarios elaboravit in Epist. ad Rom. et ad Hebr. — *Seraphinus Cumiranus* Feltrensis scripsit conciliationem locorum S. Scripturae, quae inter se pugnare videntur.

10. In Ordine S. Augustini *Claudius Sanctesius* Ep. Ebroicensis in Colloquio Poissiacensi avitam S. Eucharistiae fidem invicte propugnavit, et adversus Calvinianos scriptis doctissimis vindicavit. — *Martinus Navarrus* Can. Reg., praeter multa opera canonica et moralia, scripsit commentaria in septem distinctiones de poenitentia, et tractatum de indulgentiis. — *Augustinus Steuchus* Eugubinus Can. Reg. scripsit lib. 10 de perenni Philosophia: lib. 3 pro Religione christiana adv. Lutheranos: adnotationes in Pentateucbum: enarrationes in Iob: comment. in Psalmos: et epistolam doctam, et prolixam ad Erasmum Roter. — *Basilius Zanchius* adnotationes in omnes S. Scripturae libros ex Ss. Patribus excerpsit. — *Hieronymus Seripandus* Erem. S. Aug. Archiep. Salernitanus, et Cardinalis, scripsit tres libros de Iustificatione: quaestiones adv. haereses: commentarios doctissimos in omnes Apostolorum Epistolas: obiit Tridenti anno 1563. — *Ioannes Garetius* Lovaniensis Erem. S. Aug. eruditos libros de vera Corporis Christi in Eucharistia praesentia, de Sanctorum invocatione, et de precibus pro defunctis contra haereticos exaravit. *Iosephus Pamphilus* Veronensis Erem. S. Aug. Ep. Signinus egregios edidit libros de origine multarum Ecclesiae caeremoniarum: de sacris ritibus veterum

Pontificum in Baptismi, Chrismatis, et Eucharistiae Sacramentis administrandis; de Exorcistis, et antiquo ritu daemones expellendi etc.

11. Ex aliis quoque Ordinibus et Congregationibus regularibus multi insignes scriptores prodierunt. *Caesar Baronius* Oratorianus Romanus, Cardinalis celebres Annales ecclesiasticos elaboravit, in quibus veritatem historicam contra fallaces Centuriatores Magdeburgenses vindicavit. — *Gregorius Cortesius* Abbas Cassinensis scripsit comment. in lib. 4 Sent.: lib. de theologica institutione: lib. de peccato originali: lib. de potestate Ecclesiae: lib. de adventu S. Petri Romam. — *Cyprianus* Hispanus Ord. Cisterc. linguarum orientalium peritissimus edidit commentaria in Iob, Isaiam, Ieremiam, Nahum, in Ev. Matth. et Ioannis, et in Apocalypsin: tres praeterea libros in Cantica Salomonis, deque mundi opificio conscripsit. — *Laurentius Surius* natione Germanus, professione Carthusianus, praeter historiam ecclesiasticam usque ad sua tempora pertingentem, et vitas Sanctorum, quas collegit et conscripsit, etiam collectionem Conciliorum multis in locis emendatam, et septem tomis comprehensam edidit. — *Petrus Sutor* Gallus, Doctor Parisiensis, et postea Carthusianus, scripsit Apologiam pro editione Vulgatae: tractatum de potestate ecclesiastica, et alia opera critica et polemica.

II. *Celebriores Theologi dogmatici, et polemici in saeculo decimo septimo.*

§ 54. Scriptores huius saeculi de Theologia et Ecclesia bene meriti vix numerari possunt: sufficiat celebriores iuxta classes prius indicatas recensere.

1. In Italia *Franciscus Maria* Florentinus praeter alia opera scripsit eruditam disquisitionem de antiquo usu fermentati panis et azymi. — *Petrus Arcudius* Corcyrensis Romae scripsit in Latinae Ecclesiae defensionem tractatum de Purgatorio adv. Barlaam, et opuscula aurea de processione Spiritus sancti a Filio: edidit etiam librum cui titulus est: Concordia Ecclesiae occidentalis, et orientalis, in quo ostendit, Ecclesiam graecam, etiam schismaticam, circa numerum, essentiam et virtutem Sacramentorum cum Ecclesia latina penitus consentire, et ideo modernos haereticos a veritate longe aberrare. In eodem themate egregie versatus est *Leo Allatius* in insula Chios natus, sed Romae educatus, et Vaticanae Bibliothecae custos: hic plura graecorum scriptorum opera edidit, et praeterea scripsit tres libros de perpetua Occidentalis et Orientalis Ecclesiae consensione: tomos duos Graeciae orthodoxae: in specie librum de utriusque Ecclesiae consensu circa Purgatorium, et alia. Floruit etiam Romae *Abrahamus Ecchellensis* Maronita, cuius praestantissimum opus est: Concordia nationum christianarum in fidei catholicae dogmatibus.

2. In Germania celebres scriptores Theologi, nec monasticam, nec regularem vitam agentes, non extiterunt praeter illustrissimos *Fratres Wallemburgenses* Episcopos, qui multa et perdocta opera contra Protestantes elucubrarunt. His addere oportet *Lucam Holstenium*, patria Hamburgensem, sed Romae Vaticanae Bibliothecae custodem, qui collectionem bipartitam Canonum, Conciliorum, Epistolarum Rom. Pontificum, et aliorum veterum monumentorum ecclesiasticorum adornavit, duplicem dissertationem de Sacramento Con-

firmationis apud Graecos, et alia opera scripsit. In Belgio autem eximii Theologi floruerunt. *Franciscus Sylvius* egregios edidit commentarios in Summam S. Thomae, et alia elucubravit doctissima opera. — *Ioannes Obstraet* Doctor Lovaniensis edidit Institutiones theologicas ad tyrones, aliosque libros. *Gunmarus Huygens* typis mandavit conferentias theologicas: observationes de praecipuis catholicis dogmatibus: compendium Theologiae, et alia opera, in quibus doctrinae S. Augustini, et S. Thomae de gratia, et praedestinatione fideliter inhaeret. — Commemorari etiam hic meretur vir acatholicus quidem, sed magna eruditione insignis, nempe *Hugo Grotius*, qui egregium librum scripsit de veritate Religionis christianae, et commentarios in omnes V. et N. Test. libros adornavit: in multis catholicam doctrinam adversus Protestantes defendit.

3. In Anglia celebres scriptores catholici desiderantur, et solum laudari potest *Henricus Holden*, natione Anglus, Parisiensis Doctor, qui librum edidit de Analysi fidei, cui adnexuit tractatum de schismate contra Novatores, qui temere se ab Ecclesia catholica separarunt. Hoc saeculo *Waltonus* Anglicanus Episcopus Polyglotta edidit, quae Londinensia vocantur, et etiam a catholicis Doctoribus commendantur, licet a mendis immunia non sint. Etiam in Hispania ex Clero saeculari haud multi inclaruerunt; aliqui tamen recenseri merentur. *Iosephus Stephanus* Ep. Oriolensis composuit Lexicon ecclesiasticarum vocum, ac phrasium ad ritum veteris Ecclesiae catholicae ex graecis et latinis Patribus: scripsit quoque librum de dignitate et praeeminentia Presbyterorum: disputationem de unica Religione et alia. — *Franciscus Pegna* Aragonius plures de rebus theologicis libros scripsit. — *Garzia de Loaysa* Archiep. Toletanus collectionem antiquorum Hispaniae Conciliorum edidit.

4. In Gallia insignes scriptores dogmatici et polemici hoc aevo extiterunt. *Iacobus David Perronius* Cardinalis doctissima opera theologica contra Protestantes elucubravit: insignis est ipsius Replica, seu responsio ad Iacobum I, Angliae regem, in qua Ecclesiae Romanae doctrinam ab haereticis impetitam ea eloquentiae et eruditionis copia ac argumentorum efficacia adstruit, defendit ac demonstrat, ut *David Blondellus* in refellendis duobus solis capitibus (25 et 27 lib. I) octodecim annos impenderit, seu potius oleum et operam perdiderit. Obiit Perronius 1618. — *Armandus Io. Plesseus*, dux *Richelius* Cardinalis scripsit Controversiarum tractatum: Cathechismum: methodum facilem, et tutam ad Ecclesiam Romanam reducendi eos, qui ab ea sunt separati († 1652). — *Petrus de Marca* Archiep. Paris. opus de concordia sacerdotii, et imperii: commentarium litteralem in Psalmos, et alia opera theologica edidit († 1672). — *Gabriel Albaspinaeus* Ep. Aurelianensis edidit librum de veteribus Ecclesiae ritibus, et tractatum de Eucharistia. — *Iacobus Benignus Bossuet* Episcopus Meldensis, eloquentiae flumen, theologiae oceanus, malleus haereticorum, Ecclesiae gallicanae oraculum et decus, permulta in vario genere scripsit, omnia accurate, perspicue, facunde et nervose: praecipue commemorari merentur sequentia opera: Expositio doctrinae catholicae in materiis controversis: Historia variationum Ecclesiarum protestantium: Defensio Patrum: Defensio Traditionis circa com-

Digitized by Google

munionem sub una specie: Expositio Apocalypsis: Concertationes cum Claudio, cum Leibnitio etc.; idem etiam errores *Fenelonii* detexit et confutavit, et Quietistas seu Molinosii gregales contrivit († 1704). — *Antonius Godeau* Ep. Venciensis praeter historiam ecclesiasticam paraphrases in Psalmos et in omnes Epistolas Apostolorum, aliaque opuscula scripsit. — *Nicolaus Isambertus* Doct. Sorbon. Summam S. Thomae egregiis commentariis illustravit. — *Antonius Arnaldus* Doct. Sorbon. vir summi ingenii, et maxima scribendi facilitate donatus, adv. Claudium egregium librum de perpetuitate fidei Eucharistiae, et alia opera theologica scripsit, sed in causa Iansenii, cui addictus erat, nimiam pertinaciam prodidit. — *Andreas Duvalius* insignis Doct. Sorb. Theologiam et opera polemica edidit. — *Petrus Nicolius* eleganter atque erudite scriptis opusculis fidem catholicam contra Protestantes defendit, sed Iansenismo nimis favit. — *Iacobus Sambovius* Doct. Sorb. contra Dallaeum egregios tractatus composuit de Sacramento Confirmationis et de Extrema Unctione. — *Io. Bapt. Thiers* edidit disquisitionem theologicam de Sanguine Christi post Resurrectionem: tractatum de necessitate contritionis: historiam de confessione auriculari: tractatum de adoratione Eucharistiae, et alia. — *Franc. Feu* Doct. Sorbon. tractatus de Deo uno et trino, de legibus, et peccatis, et de Incarnatione scripsit. — *Io. Bapt. Duhamel* cursum theologicum puro et eleganti stylo concinnavit, in quo Theologiam scholasticam cum dogmatica, polemica, et historia ecclesiastica miro artificio ac perpetuo foedere coniungit. — *Martinus Grandin* Doct. Sorbon. multa opera theologica reliquit, 5 voluminibus comprehensa. — *Nicolaus L'Herminier* Doct. Parisiensis scripsit Summam Theologiae scholastico-dogmaticae, in plerisque conformatam ad mentem Scoti. — *Habertus* Doct. Sorb. Ep. Vabrensis, primus Iansenii errores detexit, valide aggressus est, et confutavit († 1668).

5. In Ordine Praedicatorum *Raymundus Capisuccus* Cardinalis scripsit quaestiones dogmaticas et morales cum dissertatione de haereticis Praedestinatianis tomo in folio comprehensas: publicavit quoque alterum tomum in folio de selectis Controversiis theologicis. — *Nicolaus Coëffetaeus* Gallus Ep. Massiliensis scripsit Mirabilia Eucharistiae, ubi adv. haereticos invicte realem Christi in Eucharistia praesentiam probat, et alia opera polemica. — *Dominicus Maria Marchesius* Ep. Puteolanus edidit Theologiam bipartitam, et alia opera. — *Abraham Bzovius* Polonus Annales Baronii ab anno 1198, usque ad sua tempora continuavit et speciali libro primatum Apostolicae Sedis vindicavit. — *Thomas Malvenda* Hispanus eruditum opus edidit de Antichristo in 11 libros divisum. — *Didacus Alvarez* Ep. Tranensis plura scripsit opera de auxiliis divinae gratiae. — *Thomas de Lemos* composuit panopliam divinae gratiae 4 tomis comprehensam. — Eandem de gratia efficaci doctrinam propugnarunt ex professo *Antonius Reginaldus*, *Hieronymus Baptista de Lanuza*, *Io. Gonzales de Leon*, et alii. — In illustrandis Scriptorum graecorum operibus egregiam operam posuerunt *Franciscus Combefisius*, et *Iacobus Goar*. — *Dominicus Gravina* edidit catholicas Proscriptiones adversus omnes veteris, et novi temporis haereticos, et tractatus polemicos de notis Ecclesiae, et de supremo

Digitized by Google

controversiarum Iudice. — *Ant. Massoulié*, praeter egregia opera moralia et ascetica, scripsit ad defensionem doctrinae scholae S. Thomae de gratia duos tomos in folio, quorum titulus est: S. Thomas sui interpres. — *Io. Bapt. Gonetus*, vir doctissimus, quinque Theologiae scholasticae tomos in folio concinnavit. — *Vincentius Contenson* egregiam edidit Theologiam mentis et cordis, quae varia forma et variis in locis typis excusa fuit. — *Dominicus Bannez* multa theologica scripta exaravit, quibus praecipue Thomistarum doctrinam de gratia explicat et defendit. — *Ludov. Bancellus* Theologiam scholasticam in 7 tomos divisam composuit, et alia opera. — *Seraphinus Picinardi* Italus praeter alia opera, scripsit dogmaticam philosophiam. — *P. Boucquin* plures libros contra haereticos scripsit. — Contra Iansenii errores scripserunt *Vincentius Baronius*, *Vincentius Casalas*, *Bernardus Guiard*, Doct. Paris. et alii.

6. In Societate Iesu *Robertus Bellarminus* Cardinalis, praeter alia opera, celeberrimas edidit Controversias, quas haeretici irrito conatu aggressi sunt, et quae etiamnum validissimum fidei veluti armamentarium exhibent († 1621). — *Iacobus Gretserus* Germanus multa polemica scripta edidit, quibus Protestantes contrivit: idem tres tomos in 4° de Cruce Domini scripsit. — *Martin. Becanus* Brabantinus praeter Theologiam scholasticam varios tractatus polemicos contra Protestantes exaravit. — *De Lugo* Cardinalis multis operibus theologicis inclaruit († 1643). — *Dionysius Petavius* ob praeclarissimum opus de theologicis dogmatibus Theologiae dogmaticae parens aut princeps nuncupari consuevit († 1652). — *Gabriel Vasquez* († 1604) et *Franc. Suarez* († 1617), commentaria in Summam S. Thomae, et alia opera theologica ediderunt, quae notissima sunt. — *Adam Tannerus* († 1632) Theologiam scholasticam magnis voluminibus illustravit, et praesertim perdocte scripsit de Iudice controversiarum fidei. — Praeclara opera theologica etiam elucubrarunt *Gregorius de Valencia*, *Fonseca*, *Herice*, *Granado*, et *Typhanius*. — Contra Baii et Iansenii errores permulti calamum acuerunt, inter quos celebriores sunt *Franc. Annatus*, *Io. Martinus Ripalda*, *Io. Martinonus*, et *Stephanus Deschamps*. — Multi doctissimis commentariis in S. Scripturam elucubratis Theologiae dogmaticae, et polemicae plurima emolumenta attulerunt. *Ioan. Mariana* Hisp. praeter alios theologicos tractatus scripsit scholia in universam S. Scripturam. — *Io. Lorinus* Gallus edidit eruditissimos commentarios in Levit., Numeros, Deut., in Psalmos, in Ecclesiasten, in librum Sapientiae, in Acta Apost. et in Epist. canon. — *Iacobus Tirinus* († 1636) Belga totam S. Scripturam interpretatus est. — *Cornelius a Lapide* († 1637) Belga in plerosque S. Scripturae doctissima commentaria elucubravit, quae maximi ubique aestimantur. — *Io. Pineda* Hispanus scripsit commentaria in Iob, in Ecclesiasten, praelectionem sacram in Cantica, et alia erudita opera. — *Iacob Bonfrerus* Belga, *Io. Stephanus Menochius* Italus, *Iacobus Gordonus* Scotus, et *Benedictus Pereyra* Hispanus in exponendis Ss. Scripturis praeclaram operam navarunt. — Alia quoque opera publicam lucem adspexerunt, Theologiae dogmaticae, et polemicae utilissima. *Dionysius Petavius*, *Iacobus Sirmondus*, *Antonius Possevinus*, *Fronto Ducaeus*, *Andreas Schottus*, *Petrus*

Franc. Chiffletius, et *Io. Garnerius* varia Ss. Patrum et veterum Scriptorum ecclesiasticorum scripta aut ediderunt, aut ex graeco in latinum verterunt, aut etiam notis illustrarunt. — *Philippus Labbaeus*, praeter dissertationem, quam edidit de Scriptoribus eccles. et novam Bibliothecam manuscriptorum librorum 2 tomis fol. comprehensam, aggressus est Conciliorum compilationem omnium maximam et locupletissimam, quam Parisiis anno 1672 publicare coepit; sed cum immensum istud opus e vivis sublatus imperfectum reliquisset Labbaeus, ei ultimam manum admovit coronidemque imposuit *Gabriel Cossartius*, qui in socii sui Labbaei litterarios labores successit.

7. In Ordine Fratrum Minorum *Laurentius Brancatus de Lauraea* Italus Cardinalis scripsit Epitomen omnium canonum: disputationes duas de decretis Ecclesiae et de proponente legitime res fidei: commentaria in 3 et 4 lib. Sentent. Scoti: opuscula tria de Deo quoad opera praedestinationis, reprobationis et gratiae actualis, in quibus doctrinam Augustinianam propugnat. — *Franc. Fevardentius* Gallus edidit Commentarium in libros S. Irenaei adv. haer., aliisque acerrimis scriptis haereticos exagitavit, inter quae reperitur Theomachia Calvinistica, in qua 1400 Calvini errores diligenter discutiuntur et solide confutantur.—*Claudius Frassen* Gallus Doct. Paris. auctor est Cursus theologici, cui titulus est: Scotus Academicus, seu universa Doctoris subtilis dogmata: edidit quoque Disquisitiones biblicas in quibus de auctoritate Editionis Vulgatae late disserit. — *Gabriel Boyvin* Gallus concinnavit integrum Theologiae cursum, qui ob perspicuitatem commendatur, qua Doctoris subtilis doctrinam proponit. —*Bartholom. Durandus* Gallus edidit cursum theologicum, cuius titulus est: Clypeus Scoticae doctrinae contra novos eius impugnatores: idem publicavit aliud opus sub titulo: Fides vindicata contra haereticos. — *Marcus Ant. Capellus* Italus praeter alia opera polemica disputationes duas edidit de Primatu Petri, et eius successorum Rom. Pontificum, et de institutione SS. Eucharistiae in pane azymo insignem tractatum, qui a viris eruditis impense laudatur. — *Io. de la Haye* Gallus edidit Biblia Magna 19 tom. in fol. in quibus plurium auctorum commentaria collegit, additis amplissimis Prolegomenis et Chronico sacro. — *Valerianus Magnus* Capucinus, patria Mediolanensis, sed Bohemiae Provinciae alumnus, acerrimus haereticorum impugnator, multa philosophica et theologica opera scripsit, inter quae praestant: Iudicium de Acatholicorum regula credendi libri 6: Iudicium de Catholicorum regula credendi libri 8: Organum theologicum: De luce mentium, et eius imagine: Methodus convincendi et revocandi haereticos ad fidem catholicam († 1661).— *Zacharias Borerius* Capucinus scripsit demonstrationes verae et falsae Religionis contra Atheistas, Iudaeos, et haereticos, Paraenesin catholicam ad Marcum Antonium de Dominis: Orthodoxam consultationem de ratione verae fidei et Religionis amplectendae († 1638). *Carolus Ioseph Tricassinus* Capucinus tractatus scripsit de praedestinatione hominum ad gloriam: de indifferenti lapsi hominis arbitrio sub gratia et concupiscentia iuxta mentem S. Augustini: de necessaria ad salutem gratia: de natura peccati originalis: de causa bonorum operum: idem etiam commentaria scripsit in libros S. Augustini de gratia, et contra Pe-

Digitized by Google

lagianos, et totus in eo est, ut ostendat, doctrinam S. Augustini ab ea Augustinianorum et Thomistarum penitus differre. — *Michaël a Castrofranco* Capucinus scripsit Antidotum contra Iansenismum tom. 3 in fol., et alia. — *Ludovicus Caspensis* Capucinus integrum cursum theologicum iuxta ordinem S. Thomae elucubravit.

8. In Ordine Erem. S. Augustini *Henricus Norisius* Italus Cardinalis, clarissimus Theologus, edidit Historiam Pelagianam: Vindicias Augustinianas: opuscula contra Iansenistas, et alia († 1704). — *Angelus Rocca* Ep. Tegastensis scripsit eleganti calamo Bibliothecam Theologiae et Scripturae sacrae, tract. de Canonizatione Sanctorum, et alia. — *Christianus Lupus* Belga Synodorum generalium et particularium decreta et canones doctissimis notis, scholiis et dissertationibus illustravit: dissertationes de SS. Sacramenti expositionibus et de Ss. Processionibus: de sensu Ss. Patrum circa contritionem et attritionem edidit, notas in librum Tertulliani de praescriptionibus, et alia praeclare scripsit. — *Petrus Lambertus le Drou* Doct. Lovan. praeter dissertationes de contritione et attritione, typis mandavit sex tomos in fol. hunc praeferentes titulum: Theologia exantiquata iuxta S. Augustini doctrinam ab Aegidio Columna expositam. — *Io. Fronteau* Can. Reg. tractatum de gratia et praedestinatione, et perdoctas Dissertationes et Epistolas scripsit.

9. In Ordine S. Benedicti hoc saeculo maxime inclaruit Congregatio S. Mauri, et opus pro Theologia dogmatica utilissimum inchoavit in procurandis novis Ss. Patrum editionibus, in quibus opera genuina a dubiis et spuriis critice secernerentur. Multi doctrina et pietate insignes viri huic gravissimo labori insudarunt, et praeclara ingenii et eruditionis suae monumenta reliquerunt. Aliquos saltem hic nominare oportet. *Lucas Dacherius* omnia *Lanfranci* opera doctissimis notis illustrata, et Spicilegium edidit, in quo multa antiquitatis monumenta, hactenus tantum manuscripta, typis publicavit. — *Io. Mabillonius* Acta Sanctorum O. S. B. cum eximia eruditione edidit. — *Theodoricus Ruinart* vulgavit et notis illustravit Acta sincera et selecta Martyrum contra Henricum Dodwellum Anglum, qui Martyrum gloriam obscurare nisus est. — *Petrus Constant* opera S. Hilarii edidit et notis illustravit. — *Franciscus Lamy* scripsit 5 tomos de notitia sui: opuscula contra Atheos et Incredulos: et tractatum de veritate Religionis christianae. — *Edmundus Martene* insignem edidit tractatum de antiqua Ecclesiae disciplina in Officiorum divinorum celebratione, de ritibus ecclesiasticis librum, et collectionem monumentorum historicorum moralium et dogmaticorum. — *Hugo Mathoudus* octo libros sententiarum Roberti Pulli Cardinalis (saec. 12) notis illustravit. — *Io. Martinaeus* egregiam operum S. Hieronymi editionem adornavit.

10. Ex aliis Ordinibus et Congregationibus regularibus plurimi praeclara theologica scripta ediderunt. *Io. Maria Thomasius* Theatinus, Cardinalis, insignes edidit Institutiones Theologiae antiquorum Patrum. — *Lud. Thomassinus* Gallus, Presb. Oratorii († 1695), elucubravit praestans opus de dogmatibus theologicis, Petaviano Suppar. — *Gaspar Iuenin* Oratorianus scripsit commentarium historico-dogmaticum de Sacramentis, et institutiones Theologiae, in quibus autem Romae et in Galliis quae-

dam reprobata fuerunt († 1713). — *Io. Morinus* Oratorianus doctissima edidit opera, praesertim lib. de Ordinatione: lib. de Poenit. : tractatum de Sacram. Confirmationis. — *Iacobus de Long* Oratorianus adornavit Bibliothecam sacram. — *Ioan. Cabassutius* Oratorianus eruditam Conciliorum notitiam edidit. — *Dominicus a SS. Trinitate* Carmelita opera theologica, polemica et mystica 7 tom. fol. comprehensa reliquit. — *Liberius* Carmel., ad debellandos haereticos schismaticos et alios fidei catholicae hostes, multa erudita opera scripsit. — *Cherubin a S. Ioseph* Carmelita immensum opus aggressus est, cui hunc praefixit titulum: Bibliotheca critica sacra Theologiam positivam undecim voluminibus scholastica fere methodo complectens.

III. *Celebriores Theologi dogmatici et polemici saeculi decimi octavi.*

§ 55. 1. In Italia ante omnes reliquos nominandus est doctissimus Cardinalis Lambertini, postea *Benedictus XIV.* qui in omnibus, quae elucubravit operibus, se eximium Theologum ostendit, praesertim in celeberrimo opere de Beatificatione et Canonizatione servorum et servarum Dei. — *Ludovicus Ant. Muratorius* multa praeclara opera scripsit, varia etiam antiquitatis monumenta in lucem protraxit, et inter Theologos praecipue inclaruit per eximium opus de ingeniorum moderatione in Religionis negotio († 1750). — *Ant. Genuensis* celebris Philosophus, edidit quoque Elementa universae Theologiae christianae. — *Orsi* Cardinalis, praeter historiam ecclesiasticam, alia opera theologica concinnavit. — *Ballerini Petrus et Hieronymus* fratres Veronenses Presbyteri plures theologicos tractatus ediderunt, nonnullas Ss. Patrum editiones adornarunt, et praecipue contra Febronium S. Petri et Apostolicae Sedis primatum solide defenderunt. — *I. Francescati* contra incredulos publicavit elementa Religionis naturalis et revelatae 4 vol. in 4° Veronae 1769. — *Ioan. Carolus Bossi*, edidit institutiones theologicas tom. 4 in 8° Romae 1759. — *Antonii Gardini* Veritates catholicae ex incorruptis fontibus haustae excusae sunt Venet. 1774. — *Io. Dominicus Mansi* novam et amplissimam Conciliorum Collectionem 31 vol. in fol. comprehensam adornavit, aliaque pro studio theologico utilissima opera edidit. — *Nicolaus Capassus* Neapolitanus Institutiones theologicas concinnavit. — *Ferrari* Theologiam scholastico-critico-historico-dogmaticam vulgavit Venet. 1758, vol. 3 in 4°.

2. In Gallia insignes Theologi extiterunt. *Daniel Huetius* Ep. Abrincensis contra incredulos egregiam scripsit Demonstrationem evangelicam; quaestiones Alnetanas de Concordia rationis et fidei, aliaque opera erudita († 1721). — *D'Argentré* Doct. Sorb. Ep. Tutelensis edidit pretiosam Collectionem Iudiciorum de novis erroribus a duodecimo saeculo in Ecclesia proscriptis aut notatis, et alia opera († 1740). — *Ludov. Habert* Doct. Sorb. edidit saepius excusam Theologiam dogmaticam et moralem († 1718). — *Honorati Tournely*, in Acad. Duac. et Paris. Professoris, Doct. Sorbon. Cursus theologicus scholastico-dogmatico-moralis, quamvis a nonnullis vellicatus, maxime tamen celebris factus est: extant editiones factae Parisiis, Coloniae, Venet., Neapoli († 1729). — *Carolus Witasse* Doct. Sorb. edidit Tractatus theologicos de locis theologicis, de attributis divinis, de Trin., Incarn.,

Euchar., Poen., Ord. Anonymus Witassii continuator tractatus reliquos addidit († 1716). — *Babin* auctor est Andegavensium Collationum, cuius operis praestantiam multiplices editionesostendunt († 1734).—*Languet* Archiep. Senonensis multa nervose scripsit in Iansenianam haeresin, et alia praeclara opera edidit († 1753).—*Renaudot* Presb. Paris., historiae et orientalium linguarum peritissimus, scripsit de Orientalibus Liturgiis et aliis († 1720). — *Gibert* Iuris et Theologiae Doctor, praeter consultationes canonicas in Sacramenta, speciatim Traditionem Ecclesiae de Sacramento Matrimonii probavit († 1736). — *Houtteville* Veritatem Religionis christianae ex factis demonstravit: hoc opus celebre excusum Parisiis 1722 et 1740, germanice prodiit Ienae 1745. — *Nonnotte* profligavit errores Voltairii et dictionarii philosophici de Religione: praeclarum hoc opus gallice scriptum prodiit theodisce Aug. Vind. anno 1775. — Ad confutandos Rousseavii et aliorum errores *Bergier*, Canon. Parisiensis († 1790), scripsit Deismum confutatum per seipsum: Apologiam Religionis christianae et alia plura, germanice in vol. 12, vulgata Bambergae 1788-1792. —*Bullet* clarus multis operibus, et maxime suis responsis criticis adv. incredulorum obiectiones, et sua historia de institutione Christianae Religionis ex solis ethnicis auctoribus obiit 1775. — *Legrand* Doct. Paris. maximam partem habuit in Determinationibus Sacrae Facultatis adversus I. I. Rousseau et alios incredulos († 1788). *De Pressy* Ep. Boloniensis in Gallia, dedit Documenta pastoralia, et Dissertationes theologicas ad retundenda incredulorum obiecta († 1789). *Regnier* Doctor Paris. adversus incredulos principia Religionis asseruit, tractatumque de Ecclesia elucubravit († 1790). — *Guénée* plura composuit opera ad Revelationem contra incredulos vindicandam, inter quae notissimae sunt ab ipso editae Litterae alicuius Iudaei ad M. de Voltaire († 1803). — Prodierunt etiam auctore anonymo (Valla) Institutiones Theologiae Lugdunenses, saepius recusae, sed non in omnibus probatae.

3. In Germania varia opera theologica in lucem prodierunt. *C. Schrenk* edidit Theologiam dogmatico-scholasticam ab 1696-1702. —*Herm. Scollinger*, scripsit Praelectiones theologicas, Aug. Vind. 1769. —*Claes* elucubravit Principia Theologiae dogmaticae 1781. — *Cuer* edidit Theologiam dogmaticam et moralem 1792. — *Ios. Widmann* scripsit Institutiones universae Theologiae dogmatico-polemico-scholasticae et moralis, Aug. Vind. 1775. — *Fr. Gmeiner* elucubravit Theologiam dogmaticam in systema redactam et methodo scientifica propositam, Graec. 1785. — *Schneller* edidit Institutiones Theologiae positivae 1796. — Ad Theologiam generalem et polemicam spectant sequentia opera: *Oberndorf* brevis apparatus eruditionis de fontibus Theologiae 1760. *Neuff* Religionis revelatae contra diversos illius hostes defensio 1771. *Opfermann* Religionis revelatae veritas testimonii methodo demonstrata, Mogunt. 1779. —*Vitus Pichler* Theologia polemica in duas partes divisa, Aug. Vind. 1719. — *C. Hanneberg* Theologia controversa, Posn. 1723. —*Ignat. Tentscher* Institutiones polemicae, Prag. 1767. — *Car. Schwarzel* Praelectiones Theologiae polemicae, Vindob. 1781. — *Benedictus Stattler* Demonstratio evangelica, seu Religionis a Iesu Christo revelatae certitudo de-

monstrata, August. 1771: Demonstratio catholica 1775: Theologia christiano-theoretica 1776. Idem scripsit *Antikant* seu confutationem Philosophiae criticae 1788: exaravit etiam Tractatus de locis theologicis: et universa christiano-catholicae Religionis Doctrina, solidis argumentis ex revelatione et ratione petitis probata 1793. Sed pleraque eius scripta ab erroribus non sunt immunia.

4. In Ordine Praedicatorum eximii Theologi floruerunt. *Natalis Alexander*, praeter historiam ecclesiasticam, et insignes dissertationes historicas, criticas et dogmaticas, scripsit etiam Theologiam dogmaticam et moralem: expositionem litteralem et moralem in 4 Evang. et comment. in Epistolas S. Pauli († 1724).—*Innoc. Ansaldi* scripsit egregium tractatum de necessitate et veritate Religionis naturalis et revelatae (Venet. 1767). — *Th. Mar. Cerboni* Theologia naturalis et revelata, 4 vol. in 4° prodiit Romae 1768. — *Lud. Vinc. Gotti* Cardinalis, praecipua opera sunt: Veritas Religionis christianae contra Atheos, Polytheos etc. demonstrata, Romae vol. 12 in 4.° 1740, et Theologia scholastico-dogmatica Venet. 1750 († 1742). — *Dan. Concina* scripsit Religionis revelatae contra incredulos defensionem, et Theologiam dogmaticam et moralem († 1756). — *Renatus Billuart* edidit Summam S. Thomae hodiernis Academiarum moribus accommodatam, seu cursum Theologiae iuxta mentem S. Thomae: opus praeclarum frequentissime recusum († 1757). — *Le Quien* exaravit Orientem christianum, edidit opera S. Io. Damasceni, et scripsit adversus Le Currayer de nullitate ordinationum anglicarum († 1733). — *P. Richard* publicavit dictionarium ecclesiasticum cum supplemento tom. VI, in quo incredulorum obiectiones una cum idoneis responsionibus reperiuntur. — *Hyacinthus Serry* Doct. Paris., scripsit historiam Congregationum de auxiliis: Vindicias pro S. Augustino, et pro schola thomistica: et Praelectiones theologicas, dogmaticas, polemicas, scholasticas, Venet. 1742. — *P. Rabaudi* Cursum Thomisticum theologico-positivum elucubravit. — *Petrus Mar. Gazzaniga* Vindob. Professor, edidit Theologiam polemicam, t. 2 in 8°, et Praelectiones Theologiae universae, tom. 9 in 4°, Venetiis 1797.—*Ant. Valsecchi* edidit fundamenta Religionis christianae contra incredulos, et eadem soliditate Veritatem Ecclesiae catholicae contra haereticos propugnavit. — *Fabricy* in doctrina sacra versatissimus Romae vulgavit opus: Primigenei tituli Revelationis († 1800).

5. In Societate Iesu multi Theologiam dogmaticam et polemicam scriptis suis illustrarunt. *Gabr. Antoine* edidit Theologiam universam, speculativam et dogmaticam Nanceii 1735. — *Edmundus Simonetti* Theologiam cum delectu quaestionum et sententiarum concinnavit.—*Io. Bapt. Gener* Hispanus elucubravit Theologiam dogmatico-scholasticam: id peculiare sibi habet, quod studeat illustrare dogmata inscriptionibus aliisque antiquitatis monumentis. — *I. Harduinus* novam edidit Conciliorum collectionem Paris. 1715 tom. 12 fol. († 1720).— *Kilber* exaravit Theologiam dogmatico-polemo-scholasticam: in eodem genere laboravit *Monschein* cum aliis. — *Iac. Scheffmacher*, versatissimus in polemicis adversus Protestantes, scripsit duodecim epistolas quae maximo sunt in pretio, de articulis a Protestantibus controversis († 1733). —*Neubauer* insignis theo-

logus fuit, cuius opera sunt: Vera Religio vindicata contra omnis generis incredulos, ed. 1771, et Theologia dogmat.-polem.-scholastica 1766. — *Carolus Sardagna*, Ratisbonae Professor, praeclaram edidit Theologiam dogmatico-polemicam, in qua praecipue errores Protestantium solide refelluntur. Ratisb. 1771, tom. 9 in 8°. — *Baltus* nonnulla opera scripsit pro revelationis defensione († 1743). — *Dominicus Viva* praeter alia opera scripsit Trutinam theologicam, in qua omnes propositiones a Rom. Pontificibus damnatas explicavit, easque iuste censura affectas esse ostendit: prodiit opus Beneventi 1721. — *Franc. Neumayr, et Aloys. Merz*, perdoctas controversias, seu conciones polemicas adv. Protestantes ediderunt. — *Franc. Ant. Zacharias* de rebus ad Theologiam et fidei controversias pertinentibus multa scripsit: dissertationes operi Petavii adiecit: primatus et Ecclesiae iura in Anti-Febronio vindicavit († 1796). — *Sig. Storchenau* praeclaram concinnavit Philosophiam Religionis, in qua praecipuae Religionis catholicae veritates contra incredulos et haereticos egregie defenduntur. — *Laurentii Veith* S. Scriptura contra Incredulos propugnata tum elegantia styli, tum soliditate doctrinae se plurimum commendat. — *Ign. Weitenauer* orientalium linguarum peritissimus in declaranda S. Scriptura excelluit, et alia perdocta opera scripsit. — *Al. Sandbichler* elaboravit defensionem divinitatis mosaicae legis, et V. T., Salisb. 1797, aliisque scriptis neologorum biblicorum errores confutavit. — *Weissenbach* contra errores sui temporis varia lectu dignissima opuscula exaravit.

6. In Ordine Fratrum Minorum sequentia opera theologica prodierunt. *Antonii Celestris* Panormitani christiana Religio contra Gentiles, Hebraeos et Sectarios demonstrata: et novus Atheismus eversus, seu refutatio systematis Spinozae. — *Franc. Mar. Assermet* Galli, Doct. Paris., cursus Theologiae scholastico-positivae. — *Seb. Dupasquier* Min. Convent. Summa Theologiae scotisticae. — *Fortunati a Brixia* Reform. Iansenii systema methodice expositum et theologice confutatum. — *P. Henno* Theologia scholastica dogm. et mor. ad mentem Scoti. — *Ant. Bianchi, Philippi* a Carbon. et *Damasi* Empor. Observ. tractatus theologici complures. — *Philippi Nerei Crismann* Rec. regula fidei, et collectio dogmatum credendorum. — *Bernardini a Piconio* Capucini, expositio triplex in Epist. S. Pauli Clementi XI et aliis eruditis acceptissima: opus plane simile eiusdem in Evangelia († 1709). — *Thomae ex Charmes* Capucini, Theologia universa ad usum S. Theologiae auditorum. — *Pauli Lugdunensis* Capuc. totius Theologiae specimen scholastica methodo delineatum, tom. 6 Lugd. editum 1734: Ianseniusexarmatus ibid. 1716. Anti-Hexapla, seu defensio Constitutionis, *Unigenitus*, ibid. 1721 et alia. — *Viatoris a Cocaleo* Capucini, tentamina theologico-scholastica, Bergomi 1768, tom. 9. — *Bernardi a Bononia* Theologia scholastica dogmatica. — *Ieremiae a Beinettis* Capucini Pedemontani, vindiciae privilegiorum in persona S. Petri Romano Pontifici collatorum, eruditum opus in duas partes et quinque tomos distributum Romae 1766 († 1774).

7. In Ordine S. Augustini *Fulgentius Bellelli* anno 1711 librum edidit ad explicandam mentem S. Augustini circa statum creaturae rationalis ante peccatum. — *Io. Lamberti* Italus

Digitized by Google

opus publicavit de theologicis disciplinis, Venet. 1760. — *Henricus Florez* Hispanus vulgavit Theologiae scholasticae cursum in vol. 5 1767. — *Laurentius Berti* praeter alia opera edidit celebre opus de theologicis disciplinis, Venet. 1760, vol. 7 fol., (obiit 1766). — *Eusebius Amort* Germanus, Can. Reg., scripsit Theologiam eclecticam, moralem et scholasticam (Aug. Vind. 1752). — *Ios. Bertieri* edidit tractatus de Incarnatione, Legibus et Peccatis, de Sacram. in genere, de Bapt. et Confirm. — *Aug. Gervasius* elucubravit Praelectiones theol. dog. de Sacramentis in genere et in specie. — *Engelb. Klüpfel* edidit Institutiones Theologiae dogmaticae. — *Iordan Simon* Germanus, scripsit Theologiam contra Spiritus fortes: et lib. 3 de Religione contra Libertinos.

8. In Ordine S. Benedicti multi insignes rerum theologicarum scriptores extiterunt. *Renatus Massuet* Congr. S. Mauri opera *S. Irenaei* edidit et illustravit, atque editionis operum *S. Augustini* adv. Langlois Iesuitam vindex acerrimus fuit († 1716). — *Monfaucon* C. S. M., vir infinitae memoriae et eruditionis, multa scripsit, et potissimum 15 volumina Antiquitatum cum supplementis: novam confecit editionem operum *S. Athanasii* et *S. Chrysostomi*: obiit 1741. — *Gab. Gerberon* C. S. M. S. Anselmi editionem adornavit. — *Aug. Calmet* Belga Abbas Senonensis in Lotharingia doctissima commentaria in universam S. Scripturam, et alia praeclara opera exaravit. — *Mat. Petitdidier* Belga, edidit dissertationes in omnes libros V. T. et tractatum de Infallibilitate Rom. Pontificis. — *R. Ceillier* Auctorum ecclesiasticorum historiam gallice scripsit 23 vol. comprehensam. — *Dionysius Sammarthanus* C. S. M. praeter quaedam opuscula, quae contra Calvinistas scripsit, omnium *S. Gregorii M.*, operum elegantissimam editionem cum eruditis praefationibus, notis et dissertationibus adornavit. — *Nicolaus le Noury* C. S. M. edidit apparatum ad Bibliothecam maximam Ss. Patr. — *Martinus Gerbertus* Princeps S. Blasii, vir doctissimus edidit apparatum ad eruditionem theologicam, Friburgi 1754: principia Theologiae dogmaticae: principia Theologiae symbolicae: principia Theologiae scholasticae 1758. — *Dominicus Schram* Carranzae Summam Conciliorum adnotationibus eruditis illustravit, scripsitque compendium Theologiae dogmaticae et moralis 1768, nec non Institutiones Theologiae mysticae, seu de vita et magisterio spirituali. — *Simpertus Schwarzhueber* Manuale catholicae Religionis practicum concinnavit, tom. 4 Salisb. 1785. — *Beda Mayr.* defensionem Religionis naturalis, christianae et catholicae, in tres partes divisam elucubravit 1787 etc. — *Ildephonsus Schwarz* valde eruditum Manuale Religionis christianae cum praeclara praefatione edidit, Bamb. et Wirc. 1797. — *Stephanus Wiest* Cisterciensis egregias publicavit Praelectiones theologicas historico-dogmaticas. Ingolst. 1780-1789 t. 6. — *Bernardus Baner* Cisterciensis, composuit Theologiam universam dogmat., histor., crit. genio puriori accommodatam, tom. 4 in 8° 1786.

10. In aliis quoque Ordinibus et Congregationibus regularibus illustres Theologi fuerunt. — *Gerdil* Barnabita, Cardinalis, multa de Theologia, ac pro Religionis et Ecclesiae defensione erudite scripsit: obiit 1802. — *Ant. Boucat* Ord. Minim. S. Franc. de Paula Theol. Prof. Paris. edidit *Theologiam Patrum dogmaticam* Pa-

ris. 1718 vol. 5 fol. — *Ios. Mar. Perimezzi* Ord. Minim. scripsit Dissertationes selectas historicas, dogmaticas, scholasticas in sacram. de Deo scientiam, Neap. et Romae 1730-39. —*Petrus Cöllet* Presbyter e Congregatione S. Lazari edidit Institutiones Theologiae scholasticae, seu Theologiam speculativam, t. 2 fol. Lugd. 1768.—*Duguet* Oratorianus permulta opera facunde et erudite edidit, quae omnia et maximam sacrarum litterarum scientiam probant, et teneram pietatem spirant: ut absolutissimum opus habetur illud, cui est titulus: Principia fidei. — *Le Brun* Oratorianus de Missae caeremoniis omniumque Ecclesiarum Liturgiis, nec non de superstitionibus disseruit. — *Malebranche* Oratorianus multa theologica, philosophica et pia opera edidit, inter quae maxime notum est opus: Inquisitio veritatis. — In Ordine Carmelitarum insignes Theologi extiterunt, qui sub nomine *Salmanticensium* celebrantur. — Hic etiam commemorari meretur *Thesaurus Theologicus*, qui eeleberrimorum Theologorum dissertationes continet, et in 13tom. in fol. prodiit Venet. 1762.— Pro coronide Scriptorum saeculi XVIII nominandus est *S. Alphonsus M. Liguori*, Congregationis SS. Redemptoris Institutor, qui, quamvis maxima ex parte Theologiam moralem et asceticam praeclaris piisque suis scriptis illustrarit, attamen etiam Theologiam dogmaticam et polemicam non neglexit; scripsit enim Veritatem fidei contra Incredulos vindicatam: Historiam haeresum et confutationem: Vindicias pro suprema Pontificis potestate adv. Iustiuum Febronium: opera dogmatica, in quibus ea praecipue dogmata, quae in Concilio Tridentino adv. Novatores definita sunt, succincte et dilucide pertractat.

IV. *Celebriores Theologi dogmatici, et polemici saeculi decimi noni.*

§ 56. Belli tumultus et aliae funestae temporum vicissitudines ineunte hoc saeculo non parum scientiarum sacratarum studia impediverunt. Multis quoque in locis Ordines religiosi aut penitus extincti, aut persecutionibus agitati, aut ob exiguum membrorum suorum numerum, aut aliis ex causis a disciplinis theologicis serio excolendis detenti sunt. Sed pace orbi restituta, scientiae theologicae refloruerunt, et tum ex Clero saeculari, tum ex Clero regulari, ac praesertim ex Societate Iesu, a Pio VII resuscitata, celebres viri prodierunt, qui Theologiam dogmaticam et polemicam scriptis suis illustrarunt. Utriusque Cleri scriptores iunctim referemus, qui in Italia, in Gallia, in Germania, aut inter alias Nationes inclaruerunt. Neque silentio illos penitus praeterire possumus, qui, quamvis laici essent, de rebus tamen ad Religionem et Theologiam spectantibus memoratu digna scripta ediderunt.

1. In Italia *Maurus Cappellari*, Camaldulensis, postmodum *Gregorius XVI*, perpetuum triumphum S. Apostolicae Sedis magna eruditione demonstravit. — *Al. Lambruschini* Barnabita Cardinalis praeter alia docta et pia opera, egregiam dissertationem de immaculata B. V. M. Conceptione edidit. — *Ang. Mai* Cardinalis, vir omnigena eruditione conspicuus, Scriptorum veterum novam collectionem ex Vatic. Cod. adornavit in vol. 10 in 4, Romae 1825-38. — Idem edidit Spicilegium Romanum in vol. 10 in 8°, Romae ab 1839-1844. — *Al. Mastrofini* opus philosophicotheologicum elucubravit, cui titulus est: Metaphysica sublimior de Deo Uno et Trino, vol. 1 fol. — *Cassito* Ord. Praed. Institutiones theologicas

edidit: obiit anno 1822. — *Battini* Ord. Serv. B. M. V. scripsit: de principiis Religionis nat. et revel. vol. 2, de rebus divinis vol. 1, de culto sacro, et de novissimis vol 1, de mysteriis gratiae divinae vol. 2 in 8, Pisis 1823-1827.— *Sever. Fabriani* praeclarum opus publicavit de Religione christiana demonstrata ex natura mysteriorum suorum: Mutinae 1818-1836. — *Muzzarelli* S. Poenitentiariae Theologus argumenta nonnulla theologica, nunquam antea satis diligenter discussa, brevissimis solvit opusculis: obiit Parisiis 1813. — *Marchetti* censorias notas docte dilucideque in historiam ecclesiasticam D. Fleury exaravit. — *Io. Bapt. Perrone* S. I. edidit Praelectiones theologicas, quas habebat in Collegio Romano, vol. 9 in 8, cuius operis excellentiam ostendunt multiplices, quae iam factae sunt, editiones: reliqua celeberrimi huius Theologi opera sunt: Praelectiones theologicae in compendium redactae: Historiae Theologiae cum Philosophia comparatae synopsis: Disquisitio theologica de immaculato B. V. Mariae conceptu etc.: Dissertatio (italice scripta) de titulo Ecclesiae catholicae, quem sibi attribuunt coetus ab Ecclesia Romana separati. — *Mich. Marcellius* Erem. Augustin. vulgavit Institutiones theologicas, tom. 6 Fulginii 1844 (opus nondum ad finem perdurtum). — *Carolus Passaglia* e S. I. edidit maxime eruditum commentarium de praerogativis B. Petri Apostolorum Principis auctoritate divinarum litterarum comprobatis: idem alia commentaria theologica publicavit, in quibus de Deo disserit, et in specie de partitione voluntatis divinae in primam, et secundam, deque universali reparati ordinis amplitudine. Romae 1851. — *Io. Bapt. Pianciani* S. I. commentationem in historiam mosaicam creationis exaravit. — *Raphaël Cercia* S. I. perdoctos tractatus de Ecclesia Christi et de Romano Pontifice vulgavit. Vol. 2 in 8 Neap. 1851.

2. In Gallia *De la Luzerne* Ep. Lingonensis Cardinalis egregias homilias et varias dissertationes elucubravit; praecipue commendare oportet eius instructionem de excellentia Religionis, et sermones de causis incredulitatis: obiit 1821. — *Thomas M. G. Gousset* Archiep. Rhemensis Cardinalis edidit Theologiam dogmaticam, gallice exaratam. — *Barruel* e S. I., praeter alia erudita opera, eximias edidit epistolas (Lettres Helviennes) obiit 1820. — *Duclot* Sacerdos gallice scripsit Biblia Sacra contra incredulorum obiectiones vindicata († 1821). — *Emery* Superior generalis Congregationis S. Sulpitii praeclara edidit opera, gallico idiomate exarata, nempe: Sensus Leibnitii de Religione, et de doctrina morali: Christianismus Franc. Baconis: Sensus Euleri de Religione: obiit 1811. — *Iarry* Sacerdos eruditas publicavit dissertationes: obiit 1820. — *Iacques* Decanus Theologiae Lugdunensis edidit Theologiam dogmaticam, et tractatum de Scriptura Sacra († 1821). — *Iauffret* Ep. Metensis insigne vulgavit opus de cultu publico, et commentaria historica de statu Religionis et Philosophiae in fine saeculi decimi octavi († 1823). — *De la Hogue* socius Sorbonicus tractatus theologicos elucubravit († 1825). — *De la Palme* Ep. Augustae Praetoriae gallice scripsit Principia catholica per semetipsa iustificata. — *De Maistre* Comes, vir laicus, sed insigni eruditione clarus librum edidit de Papa et alia. — *De la Mennais* praeclarum opus contra indifferentismum vulgaverat, sed postea in gravissimos

Digitized by Google

errores prolapsus est. — *Merauet* Philosophos incredulos impugnavit duobus libris gallice scriptis, quorum titulus est: Apologetae involuntarii, et Coniuratio impietatis contra humanitatem. — *Rozaven* egregie confutavit Gerbetum, certitudinem fidei impugnantem. — *Du Voisin* Episcopus Nannetensis Religionis christianae veritatem eleganter dilucideque asseruit in Demonstratione evangelica gallice scripta. — *Frayssinous* Episc. Hermopolitanus, *Lacordaire* Ord. Praed. et *Ravignan* e S. I. concionibus suis apologeticis, seu collationibus de Religione publice habitis, et typis mandatis ubique iam inclaruerunt.

3. In Germania *Cels. Bernardus Galura*, Ep. et Princ. Brixinensis, praeter multa alia docta et pia opera, edidit Theologiam christianam idiomate german. tom. 6. Aug. Vind. 1800-1804, recus. Oenip. 1844. — *Io. Mich. Sailer*, Ep. Ratisponensis egregia philosophica et theologica opera elucubravit, inter quae huc pertinent doctrinae fundamentales religionis: et tractatus de Trinitate contra illos, qui hoc mysterium impugnant (id. germ.). — *Greg. Ziegler* O. S. B. Episc. Lincensis scripsit institutiones, seu prolegomena Theologiae catholicae, et institutiones Engl. Klüpfel a se auctas et illustratas edidit. — Praeterea cum laude commemoranda sunt sequentia opera: *Patritii Zimmer* Veritas christianae Religionis, seu Theologiae christianae dogmaticae, sectio I et II. August. 1789-1790: eiusdem Theologia christ. specialis, et theoretica Landish. 1802-6. — *Pingeler* tract. de veritate, et divinitate Religionis christ. cathol. 1804. — *Mariani Dobmayr* O. S. B. Systema Theologiae catholicae tom. 8 in-8, Solisbaci 1807-19. — *Bonif. Schnappinger* Carmel. Doctrina dogmatum Ecclesiae christ. cath. ad usum academicum, tom. 2, Aug. 1816. — *Ignatius Tanner* Aphorismi scientifici dogmaticae catholicae (idem germ.), Salisb. 1816: — *Ios. Onymus* Doctrina fidei Ecclesiae catholicae practice proposita (idiomate german.), Salisb. 1820-23. — *Dan. Tobenz* Institutiones Theologiae dogmaticae Vien. 1820. — *Geishüttner* Tentamen dogmaticae scientificae, et popularis (id. germ.) 1818. — *Lienhardt* O. S. B. Institutiones Theologiae dogmaticae 1821, eiusdem tractatus de antiquis Liturgiis, et de disciplina arcani. — *Fr. L. B. Liebermann* Institutiones theologicae, Mogunt. 1819-26, tom. 5 in-8. — *Goldwitzer* Compendium Dogmaticae christianae 1824. — *Buchner* Summa Theologiae dogmaticae 1828. — *Frid. Brenner* Constructio Theologiae speculativae catholicae (id. germ.), Ratisp. 1837-38. — *Al. Waibl.* Ord. Fr. Min. Reform. Dogmatia Religionis Iesu Christi tom. 9 (id. germ.), Aug. Vind. 1831. — *Henrici Klee* Dogmatica catholica tom. 3, Mogunt. 1835: eiusdem Historia dogmatum: tractatus eruditissimus de Confessione auriculari, et alius de Matrimonio (omnia opp. id. germ. exaravit, sed loca PP. in ling. orig. citantur). — *Franc. Staudenmayr*, Theologia christiana Friburgi 1844 (id. germ. tom. 3 nondum ad finem perducta). — *Hugel* Demonstratio Religionis christianae catholicae: Theologia dogmatica vol. 2 (id. lat.). Catholicismus et Philosophia (id. germ.), Theoria supernaturalismi (id. germ.). — *Fr. Bitter* De civitate Dei comment. Mogunt. 1835. — *I. Kuhn* Dogmatica catholica tom. 2 (id. germ. nondum ad finem perducta). — *Fr. Baader* (viri laici) Praelectiones de Theolo-

Digitized by Google

gia speculativa (id. germ. ab erroribus nullatenus immunes). — *Fr. A. Scharpf* Manuale Religionis christianae (id. germ.) Giess. 1848. — *Berlage* Systema Dogmaticae catholicae (id. germ. nondum finit.) Monast. 1848. — *Beyr* Institutiones Theologiae dogmaticae Vienn. 1847. — *Fr. Xav. Dieringer* Dogmatica catholica (id. germ.) Mogunt. 1847. — *Ant. Günther* Schola praeparatoria ad Theologiam speculativam Christianismi positivi (id. germ.), et alia opera, in quibus aliorum recentiorum Philosophorum errores confutat, sed rationi nimis indulgens ipsemet quoque in devia ruit.—Cl. *Ioan. Schwetz* Prof. Vienn. edidit Theologiam generalem anno 1849, et Theologiam dogmaticam catholicam vol. 3, 1851. — Commemorandus hic etiam est vir laicus quidem sed doctissimus Comes *Leopoldus de Stolberg*, qui in sua Historia Religionis Iesu Christi, et in dissertationibus huic adnexis multa pertractat, quae pro Theologia dogmatica et polemica utilissima sunt.— Praecipua cum laude nominandus est celeberrimus *Ioan. Adam Möhler*, qui praeter alia erudita opera edidit iam ubique satis notam *Symbolicam*, in qua doctrinam Catholicorum et doctrinas Protestantium in materiis controversis ita proponit, ut illius veritas et harum falsitas clare pateat. Per hanc elucubrationem, ut observat Cl. *Perrone* (1): « novam viam, eandemque efficacem acatholicos profligandi aperuit. » Idem Cl. Möhler suam Symbolicam contra D. Baur alio praeclaro opere defendit. Obiit anno 1838. — *B. I. Hilgers* edidit Theologiam symbolicam 1841 Bonn. — *I. Buchmann* concinnavit Symbolicam popularem. Mogunt. 1844.

4. In Anglia *Nic. Wiseman* Cardinalis edidit egregias Collationes circa Ecclesiae catholicae dogmata et instituta maioris momenti tom. 2 (id. angl.). — *Milner* Ep. et Vicarius apost. in Anglia Disputationes adv. Anglicanos docte concinnavit († 1829). — *Plowden* e S. I. Anglus de rebus ad fidem catholicam pertinentibus egregie disceptavit. — *Thom. Alliez* opus (id. angl.) publicavit, cui titulus est: Cathedra S. Petri fundamentum Ecclesiae, fons iurisdictionis, centrum unitatis.— In Hispania *Olavidez* (id. hisp.) Triumphum Evangelii couscripsit: quod praeclarum opus iam in plures linguas translatum est: obiit anno 1803.— *Balmes*, ingenii acumine, doctrina et pietate eximius scripsit (id. hisp.) Protestantismum comparatum cum Catholicismo, et alia opera. — In Hungaria quoque et Polonia opera dogmatica in lucem prodierunt, qualia sunt: *Matth. Zirics* de dogmatis orthodoxae Religionis libri decem, Pestini. — *Georgii Fejèr* Theologia generalis et Institutiones Theologiae dogmaticae tom. 9, Vien. 1819. — *Ios. Prűnyi* Systema Theologiae dogmaticae christ. cathol. Vindob. 1842. — *Ign. Penka* Praelectiones ex Theologia dogmatica. — In America *Franc. Patr. Kenrick* Ep. Philadelphiensis Theologiam dogmaticam edidit 4 vol. in-8.

Nota. Historiam Theologiae iam multi descripserunt: uti *I. B. Gener* in Prodromo ad Theologiam: *Kilber* in suis Principiis theologicis: *Ambr. Car. Zamler* in sua historia Theol. dogm. (Viennae 1806): *Greg. Mayer* in Hist. litt. Theol. — *St. Wiest* tom. 1. — *Klüpfel* in Proleg. § 103-121. — *Fejèr* t. 1, § 20-§ 30.—Cl. *Perrone* in Historiae theol. cum Philosophia comparatae synopsi. — Cl. *Staudenmayr* tom. 1, § 14, pag. 201-

(1) In Synopsi p. 48.

326. — Cl. *Kuhn* tom. 1, seu Introd. in Theol. cap. 3, § 14-17. — Cl. *Schwetz* Th. dogm. t. 1, § 7-9.

Doctrinae usus.

§ 57. 1. Sapientissimus Ecclesiae Auctor et Rector voluit, ut praeter Apostolos, Prophetas et Evangelistas in Ecclesia semper existant non solum *Pastores*, qui invigilent et regant, sed etiam *Doctores*, qui potentes sint *exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere*(1), qui omnes ordinantur *ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionem Filii Dei* etc. (2). Tales doctores in Ecclesia semper fuisse, ex allata historia manifestum est. Imo ex eadem patet, eo plures, ingenio, doctrina et zelo praestantiores doctores in Ecclesia catholica quovis aevo extitisse, quo plures et atrociores adversarii orthodoxam doctrinam corrumpere tentarunt. Divinam ergo Providentiam admirari, et Christum collaudare debemus, qui semper nobiscum est usque ad consummationem saeculi.

2. Cum tantus sit Theologorum numerus, ut omnes ne obiter quidem perlegi possint, omnino opus est, ut prae caeteris illi seligantur, qui doctrinae perspicuitate et soliditate excellunt. In hoc autem delectu cavendum est tum a praeiudicio eorum, qui veteres Theologos praecipue scholasticos flocci faciunt ac vilipendunt, et novis tantum elucubrationibus pervolvendis insudant, tum a praeiudicio illorum, qui veteres theologos, praesertim scholasticos, ita ad astra extollunt, ut scriptores recentiores omnes aut fere omnes, ut insufficientes, aut etiam ut suspectos aspernantur. Media via incedendum, et fatendum est, non solum in sanctis Patribus, sed etiam in Theologis scholasticis egregias veritatum ad Religionem pertinentium tractationes inveniri, quae non sine maxima utilitate leguntur: ast simul concedendum est, quod etiam recentiores Theologos negligere non liceat, qui aptiori systemate veritates theologicas proponunt, et, quod summi momenti est, recentiorum quoque temporum errores exponunt, atque confutant. Recte igitur hic applicatur celebre dictum divini Redemptoris: *Ideo omnis scriba doctus . . . similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera* (3). — Caeterum cavendum est, ne quis ita uni tantum Theologo inhaereat, ut ubique in eius verba furet. Sed cum de doctrinis agitur circa quas, quoniam ab Ecclesia definitae non sunt, variae in scholis catholicis sententiae propugnantur; observandum est Apostoli effatum: *Omnia probate, quod bonum est tenete* (4). Utriusque igitur sententiae Theologi legendi, eorumque argumenta indifferenti et attento animo ponderanda sunt, ut iudicium ferri queat, quaenam sententia veritati magis consona sit censenda.

(1) Tit. 1, 9. (2) Eph. 4, 12 etc.

(3) Matth. 13, 52. (4) 1 Thess. 5, 21.

§ 58. ORDO DICENDORUM

SEU TOTIUS THEOLOGIAE THEORETICAE PROSPECTUS

Theologia theoretica, cuius centrum Deus est, recte in quinque partes dividitur.

Pars I. *agit* de Deo in se spectato, *nempe de Deo uno, et trino, seu de attributis divinis, et de mysterio Trinitatis.*

Pars II. *agit* de Deo in relatione ad universum considerato, *scilicet de Deo Creatore, Conservatore, et Gubernatore, seu de Creatione mundi, Angelorum, et hominum, et de divina Providentia.*

Pars III. *agit* de Deo lapsi humani generis Redemptore, *nempe de Incarnatione Filii Dei, et de peracta per ipsum Redemptione.*

Pars IV. *agit* de Deo hominum Sanctificatore *per gratiam, cuius natura, operationes, et instrumenta, scilicet Sacramenta exponuntur.*

Pars V. *agit* de Deo omnium Consummatore: *ubi primum decreta divina praecipue hominum consummationem concernentia declarantur, et dein decretorum executio in tempore et in aeternitate ostenditur.*

Digitized by Google

THEOLOGIAE

DOGMATICO-POLEMICAE SPECIALIS

PARS I.

DE DEO IN SE SPECTATO

§ 1. Deum, qui est Ens a se, infinite perfectum, et omnium rerum causa, vere, realiter et personaliter existere, iam in Theologiae dogmaticae generalis initio probandum erat, ut tum Religionis, tum Revelationis possibilitas, necessitas atque realitas probari possent. Negari etiam non potest, per varia argumenta rationalia, ad Dei existentiam demonstrandam adducta, varia quoque attributa divina ostendi, ut merito dicatur, etiam per rationem nos ad Dei cognitionem perduci posse. Sed in secunda Theologiae dogmaticae generalis parte probatum fuit, Deum O. M. humanum genus etiam per extraordinariam Revelationem erudire voluisse quae iam in Periodo patriarchali exorsa fuit, in Periodo mosaica magna incrementa cepit, et in Periodo christiana ad summam perfectionem pervenit. In hoc iam supernaturalis Revelationis lumine Deum propius perfectiusque cognoscere licet. Est autem Deus, si in se spectetur, iuxta doctrinam Revelationis *unus in essentia*, et *trinus in personis*, sub quo duplici respectu hoc in tractatu considerandus venit.

SECTIO I.

DE DEO UNO IN ESSENTIA

§ 2. Sectio haec quatuor capitibus absolvitur, in quibus agitur 1° *de Dei existentia, essentia, et cognitione*, 2° *de Dei nominibus, et attributis in genere*, 3° *de Dei attributis in specie*, et 4° *de Dei unitate.*

CAPUT I.

DE DEI EXISTENTIA, ESSENTIA, ET COGNITIONE

§ 3. Quamvis ipsa ratio satis solide existentiam Dei evincat, magni tamen momenti est, ut cognoscatur, an, et quomodo etiam per Revelationem Dei existentia confirmetur. Maioris autem momenti est, ut non sola ratione, sed etiam Revelatione duce essentia Dei describatur, atque demum determinetur, qualis de Deo cognitio haberi possit et debeat. Ideo in isto capite 1° *de Dei existentia*, 2° *de Dei essentia*, et 3° *de Dei cognitione* tractatus suscipitur.

ARTICULUS I.

De Dei existentia.

§ 4. Dogmata catholica ex verbo Dei scripto et tradito, duce infallibili

Ecclesiae magisterio probanda sunt. Non autem eodem modo prima veritas, et fundamentale totius Religionis dogma, nimirum ipsa Dei existentia evinci potest. Si enim haec ex infallibili S. Scripturae et Ecclesiae testimonio probari vellet, talis argumentatio manifeste circulo vitioso, seu petitione principii laboraret, quia infallibilitas S. Scripturae et Ecclesiae ex sola infallibilitate Dei revelantis repeti potest. Sed tamen Revelatio ad fidem de Dei existentia stabiliendam maxime conducit, tum quia ipsa factae Revelationis certitudo nos de Dei existentia dubitare non sinit, tum quia in S. Scriptura argumenta rationalia, quibus Deus existens ostenditur, et indigitantur et confirmantur, tum denique, quia in ipsa Revelatione haud obscure innuitur, Deum per se iam nobis notum esse.

1. Ipsa Revelatio, quae est actio Dei externa et supernaturalis, satis luculentum de eiusdem existentia testimonium reddit. Nam si homo non potest certius existentiam suam probare, quam cum seipsum praesentem exhibet, aut ea agit, quae praeter ipsum agere nemo potest, quidni et de Deo id valebit? — Deus sane, si existit, non solum naturali, sed etiam extraordinario et supernaturali modo existentiam suam manifestare potest. Talis etiam genio hominum maxime congruus esse videtur, qui per sensibilia et insolita maxime affici et persuaderi solent. Exstiterunt enim iam tam corruptae mentis homines, qui clarissimis tum naturae, tum rationis testimoniis haud contenti in Deum credere recusarunt, quia ipsum oculis non vident, auribus non audiunt, manibus non sentiunt, quasi per solos sensus certa veritatis cognitio obtineatur, et qui ideo exigere visi sunt, ut Deus externo, sensibili et supernaturali modo se conspicuum reddat. — Nullatenus autem exigi posse, ut Deus cuilibet homini extraordinario modo existentiam suam manifestet (quod legi parsimoniae contrarium esset) ipsa ratio videt. Quod autem non pro omnibus admitti potest, plurimis tamen concessum fuit. Deus enim O. M. pro infinita sua bonitate tum in periodo patriarchali, tum in periodo mosaica, tum praecipue in periodo christiana hominibus apparere, salutares veritates extraordinario et supernaturali modo patefacere, et hanc revelationem suam plurimis Theophaniis, stupendis miraculis et innumeris vaticiniis confirmare dignatus est, quae etiam pro reali et personali Dei existentia clarissima testimonia reddunt. De horum autem veritate historica dubitare non potest, nisi qui contra sanae rationis dictamen omnem fidem historicam reiicit (v. Dogm. gen. p. II). Huic a Deo factae revelationi universalis et constans de Dei existentia persuasio praecipue adscribenda est: et etiamnum plurimi firmissime eandem credunt, quam tamen argumentis rationalibus probare non possunt (1). Merito igitur existentia Dei inter fidei dogmata - et quidem sicut omnium fundamentum - recensetur, quia, licet etiam ex sola ratione evidenter constet, tamen ex auctoritate quoque Dei revelantis, seu seipsum supernaturali modo manifestantis credi potest et debet. « Nil obstat, ait Cl. *Liebermann*, quominus idem obiectum et fidei et scientiae subesse possit, seu quominus intellectus assentiri possit uni et eidem obiecto per motiva diversa, quorum unum est evidens, alterum divina auctoritate subnixum. Potest ergo homo

(1) Cf. Staudenmayr Christ. Dogmatik 2, I. 5 et § 6.

de supremi Numinis existentia semel convictus idem obiectum fide quoque adprehendere. Ita enim, ut S. Thomas (1) ait, fides rationi accedit, ut naturae gratia et naturalis cognitio immisso supernaturali lumine perficitur (2). »

2. S. Scriptura non solummodo in qualibet pagina, vix non dixerim in qualibet linea Deum praedicat, sed etiam modum facillimum et tutissimum indigitat, quo homines, ratione sua recte utentes, de existentia Dei persuaderi valeant. Varia enim sunt loca, quae nos, ut a rebus istis, quae sensus nostros percellunt, ad Deum omnium Auctorem cognoscendum venerandumque assurgamus, graviter exhortantur. Talia sunt: *Interroga iumenta et docebunt te: et volatilia coeli, et indicabunt tibi. Loquere terrae, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia haec manus Domini fecerit? in cuius manu anima omnis viventis, et spiritus universae carnis* (3). — *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum* (4). Omnes creaturae clamant: *Scitote, quoniam ipse est Deus: ipse fecit nos, et non ipsi nos* (5). — *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex.... A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri* (6). — *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit* (Deus), *benefaciens de coelo, dans pluvias, et tempora fructifera, implens cibo, et laetitia corda nostra* (7). *Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, et divinitas; ita ut sint inexcusabiles* (8). Ita ipsa S. Scriptura argumenta rationalia, quae ad probandam Dei existentiam ex contingentia rerum, ex ordine et pulcritudine mundi etc. inferuntur, et indigitat, et confirmat. Ideo etiam Ss. Patres, de Deo disserentes, eadem adhibuerunt, elaborarunt, et exornarunt (9). Neque illis, qui divinam S. Scripturae auctoritatem venerantur, argumenta, ab hac commendata, contemnere licet; quae potius aptissima censenda sunt, ad fidem de Dei existentia etiam in hominibus, magno scientiarum apparatu haud instructis, semper magis magisque stabiliendam.

3. Revelatio demum non obscure indigitat, Deum per se nobis notum esse, quia immediate agit in originarias nostras facultates, et spiritui nostro lucet ut prima veritas, ut supremus Dominus legem moralem dictat, et ut infinitum bonum desiderium sui excitat (v. Th. gen. § 34-36). Ideo dicitur: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (10). « Hoc lumen, ait S. Augustinus (in hunc locum) est totum hominis, et verum bonum, quod non oculis, sed mente conspicitur. Signatum autem dixit in nobis tanquam denarius signatur Regis imagine. Homo enim factus est ad imaginem et similitudinem Dei, quam peccando corrupit. » Verbum aeternum dicitur *Lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (11). « Ex quo perspicuum fit, ait S. *Hieronymus*, natura

(1) 1, q. 2, a. 2 ad 1. (2) T. 3, l. 1.
(3) Iob 12, 7 etc. (4) Ps. 18, 1.
(5) Ps. 99, 3. (6) Sap. 13, 1 etc.

(7) Act. 14, 16. (8) Rom. 1, 19 et 20.
(9) V. Staudenmayr § 19 etc.
(10) Ps. 4, 7. (11) Io. 1, 7.

omnibus Dei inesse notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, et non habere semina in se sapientiae et iustitiae, reliquarumque virtutum. » Huc spectant etiam dicta Christi: *Ego sum lux mundi* (1); et: *Ego sum via, veritas et vita* (2), i. e. *via*, legem moralem dictans, ac obtinendae salutis modum ostendens; *veritas* intellectum illuminans; et *vita* perfectae felicitatis desiderium et excitans et satians. — Hoc idem ex aliis S. Scripturae locis probat *S. Athanasius* (3) dicens: « Neque ut est ipse Deus super omnia, ita via, quae ad illum ducit, foris et procul a nobis est: verum in nobis ipsis est, eiusque initium haud est difficile a nobis reperire, ut et Moyses his verbis docuit: *Verbum fidei intra cor tuum est*, quod idem Salvator declaravit et confirmavit dicens: *Regnum Dei intra vos est* (4). » — Accedit lex illa naturalis, scripta in cordibus, de qua dicit S. Paulus: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus* (5): profecto autem lex illa, « quam ex natura ipsa homines accipiunt, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sunt, » ut loquitur *Theodoretus* (6), lex, inquam, illa ab ipso naturae auctore Deo in cordibus nostris inscripta, inditam quoque ac nobis ingenitam ab eodem naturae auctore sui notitiam supponit et arguit. Sunt enim haec duo inter se intime connexa, iisdemque pariter momentis aut stant, aut convelluntur, cum sit utriusque par ratio et eadem prorsus origo. Ita fere arguit *Origenes* (7) dicens: « Non est mirandum... Deum eorum, quae per Prophetas et Servatorem docuit, semina indidisse omnium mortalium animis, ut in divino iudicio omnis homo sit inexcusabilis, habens legem mentis scriptam in corde suo. » — Ex iisdem rationibus etiam alii Ss. Patres docent, Deum per se iam nobis notum esse. Sic *Iustinus M.* (8), « Dei, inquit, appellatio nomen non est, sed rei inenarrabilis naturae hominum insita opinio. » — *Dionysius Areop.* (9) Deum comparat soli; sicut enim hic fulget oculis corporeis, ut in eiusdem lumine obiecta videant, ita Deus aeterna Veritas lucet menti, ut vera cognoscat. *Clemens. Alex.* (10), « Omnibus, inquit, simpliciter hominibus, maxime autem iis, qui versantur in doctrina et litteris, instillatus est quidam divinus influxus, qua de causa vel inviti fatentur unum esse Deum ab interitu alienum et ingenitum. » *Tertullianus* (11), « Animae, ait, a primordio conscientiae Dei dos est. » Alia eiusdem verba refert *S. Cyprianus* (12) dicens: « Vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens et anima sui auctoris et principis admonetur. Dici frequenter audimus: O Deus! et: Deus videt, et: Deo commendo, et: Deus mihi reddet, et: quod vult Deus, et: si Deus dederit. Atque haec est summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis. » *Eusebius Caes.* (13), « Eximium illud, ait, ac salutare imprimis, quod Dei nomen essentiamque significat, ipsius naturae ductu, impressisque ani-

(1) Io. 8, 12. (2) Io. 14, 6.
(3) Or. c. Gentes n. 30.
(4) Luc. 17, 21. (5) Rom. 2, 14.
(6) Orat. de Provid.
(7) L. 1, c. Cels. (8) Apol. 2.
(9) De div. Nom. c. 4.
(10) In Protr. seu Admon. ad Gentes.
(11) L. 1 c. Marcionem, c. 10.
(12) De van. Idol.
(13) L. 2, Praep. evang. c. 9.

mo per sese notionibus vel divinitus potius inspiratis, nemo non intelligit. Hoc enim omnes populi communi quodam rationis sensu praecepere, cum id omni animo, rationi et intelligentia praedito, idem huius universitatis artifex naturalibus quibusdam cogitationibus inseverit. » *Gregorius Naz.* (1), « De Patre, inquit, quid dicere necesse est, cui uno consensu omnes naturalibus animi notionibus edocti atque imbuti parcunt? » — *S. Augustinus* (2) laudat Platonicos, qui « lumen mentium esse dixerunt ad discenda omnia eundem ipsum Deum a quo facta sunt omnia: » et (3) Platonicorum sensum de Deo fuisse ait, « quod et rerum creatarum sit effector et lumen cognoscendarum, et bonum agendarum: quod ab illo et nobis sit et principium naturae, et veritas doctrinae et felicitas vitae. » Idem (4) ad Deum dicit: « Ubique Veritas praesides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus, etiam diversa consulentibus. Liquido tu respondes, sed non omnes audiunt. » Idem (5) « Haec est, inquit, vis verae Divinitatis, ut creaturae rationali iam ratione utenti non omnino ac penitus possit abscondi. » Et (6) ait: « Deus ubique secretus est, ubique publicus, quem nulli licet, ut est, cognoscere, et quem nemo permittitur ignorare. » Denique *Io. Damascenus* (7), « Non nos, ait, in omnigena prorsus ignorantia versari passus est Deus. Nemo quippe mortalium est, cui non hoc ab eo naturaliter insitum sit, ut Deum esse cognoscat. »

Nota. Scholastici inter se disputarunt, an notio Dei nobis ingenita, et an propositio: Deus existit, cuilibet per se nota sit, an non. Affirmativam sententiam propugnarunt *S. Bonaventura*, *Scotus*, *Hon. Tournely*, *Laur. Berti* etc. Negativam sententiam defendit *Herminier*. Idem fere sentiunt *Thomistae*, qui cum angelico Doctore (8) dicunt propositionem: Deus existit, esse quidem per se notam, sed non quoad nos, quia ad hanc certo cognoscendam demonstratione quadam indigemus. Alii, ut *Aegydius Gerhardus* etc, eandem solis sapientibus per se notam esse dixerunt. Sed etiam qui negativae sententiae inhaerent, fatentur, hominem ad Dei existentiam cognoscendam facillime pervenire posse. Ita *Billuart* (9) dicit: « Quamvis existentia Dei non sit per se nota quoad nos, sed sit ex creaturis demonstrabilis, haec tamen demonstratio est tam facilis, tam obvia ut nullus sit mentis compos quamvis rusticus, aut barbarus, qui illius non sit capax, aut saltem cui ex inspectione mundi, aut sui ipsius non incidat aliqua suspicio, aut coniecturalis opinio alicuius supremi Numinis, aut Rectoris. » Exinde etiam omnes inferunt, neminem invincibiliter Deum ignorare posse. — Sed vix intelligi posset, quomodo demonstratio de Dei existentia tam facilis et tam obvia esset, nisi notio Dei esset homini ingenita, aut rectius nisi ipse Deus ut prima Veritas menti luceret, et se huic ut supremum Legislatorem et infinitum bonum repraesentaret. Dicendum ergo esse videtur, Deum cuilibet per se notum esse, sed non omnes huius cognitionis sibi satis conscios esse, imo eo minus conscios fieri, quo magis rebus externis dissipantur, aut etiam vitiis inquinantur. Nam etiam

(1) Orat. 24. (2) L. 8 de civ. Dei, c. 7.
(3) Ibid. c. 11. (4) L. 10 Confess. c. 26.
(5) Tract. 106 in Io. n. 4.

(6) In Psal. 1, 4, n. 9.
(7) L. 1 orth. fid., c. 1. (8) 1, q. 2, a. 1.
(9) Curs. theol. Diss. 1, art. 4.

propositionum evidentissimarum, e. g., idem non potest simul esse, et non esse, vel nil fit sine ratione sufficiente etc., non omnes sibi ita conscii sunt, ut illas rectis terminis enuntient, quamvis iuxta illas iudicia sua instituant: et sic homo rudis inveniri potest, qui Deum in se videt et sentit, quin tali nomine eum appellare sciat, sed per medium facile et obvium sibi talis cognitionis conscius fieri potest. Id praecipue apparet ex idea Entis perfectissimi et summe boni, quam homini inesse, ipse *Herminier* non diffitetur: haec vero idea, quae fortiter hominem afficit, ex entibus contingentibus repeti nequit, quia Ens perfectissimum et summum bonum absque dubio solus Deus est: hunc ergo etiam idiota intuetur, quamvis eum verbis exprimere nesciat.

ARTICULUS II.

De Essentia Dei.

§ 5. Difficillimum profecto est, essentiam, seu naturam Dei explicare. Loquens de hac quaestione gravissima *S. Augustinus* (1), ait: « Neque periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius invenitur. » — Theologi tamen, ratione et revelatione ducibus, essentiam Dei, quantum ingenio humano fas est, explicare studuerunt. Duplicem autem communiter Dei essentiam distinguunt, *metaphysicam* et *physicam*: metaphysicam in eo repositam esse dicunt, quod primum a nobis in Deo concipitur, et ex quo, tanquam ex fonte, caeterae omnes perfectiones divinae a mente nostra deducuntur, quodque Deo ita est proprium, ut eum a quolibet alio ente distinguat. In determinanda autem essentia Dei metaphysica Theologi non consentiunt. Nam *Thomistae* eandem ponunt in *intellectione* sive *radicali*, sive *actuali: Scotistae* in *infinitate*, alii cum *Suarezio* in omnium perfectionum aggregatione: recentiores vero Theologi plerique, ut *Petavius*, *Tournely*, *Herminier*, *Boucat*, *Berti*, *Liebermann*, *Perrone*, etc. essentiam Dei metaphysicam repositam esse dicunt in *aseitate*, seu in eo, quod Deus *sit ens a se* ab omni causa et conditione independens. Hanc sententiam caeteris praeferendam esse, variis argumentis probari potest. Nam 1° Aseitas est prima perfectio quae nobis de Deo cogitantibus statim occurrit, et cuius nulla ratio reddi potest; hinc *Dionysius* (2) ait: « Ex ipso esse, tanquam antiquiori aliis Dei bonis, ipse Deus celebratur. » Aseitas concipitur etiam a nobis ut fons et radix, ex qua caeteras omnes Dei perfectiones deducimus, ac demum Aseitas Deum maxime ab omnibus aliis entibus distinguit, quae suum esse acceperunt ab alio. 2° Illud quoque ad sententiae nostrae confirmationem non parum confert, quod aliorum sententiae defendi nullo modo possint. Non enim metaphysicam Dei essentiam perfectionum omnium cumulus constituit; nam quaerimus, quaenam ex iis concipiatur prima, et velut radix caeterarum. Neque de infinitate id dici potest, quia haec non tam perfectio est, quam modus afficiens omnes divinas perfectiones. Sed neque de intellectione sive radicali, sive actuali asseri potest, quod primo in Deo concipiatur; prius enim Deus intelligitur esse, quam cognoscere; hinc sapientia et intelligentia aliorum attributorum ad instar habentur in Scriptura; sic dicitur: *Apud ipsum est sapientia et fortitudo*, *ipse habet consilium et intelligentiam* (3). 3° E contra in Scriptura et Patribus ipsa

(1) L. 1 de Trin. c. 3.

(2) L. de div. nom. c. 5. (3) Iob 12, 13.

Digitized by Google

existendi necessitas, vel Aseitas Deo tribuitur non eo modo, quo aliae quaecunque perfectiones, sed velut expressus Dei character et differentia illius constitutiva, uti ex locis inferius citandis apparebit. — Quod vero attinet *essentiam Dei physicam*, haec sat communiter a Theologis ponitur in cumulo omnium perfectionum, seu in natura infinite perfecta. Quidquid autem sit de istis scholasticorum disputationibus, maximi certe momenti est, ut perspicue declaretur et solide probetur, 1° Deum vere esse *ens a se*, et quod immediate exinde sequitur, seu potius idem significat *ens necessarium, independens primum;* etc. 2° Deum esse *infinite perfectum:* haec enim dogmata omnis cognitionis Dei divinorumque attributorum fundamenta constituunt.

I. *Deus est ens a se, necessarium, primum et independens.*

§ 6. Dum Deus dicitur *ens a se*, nequaquam id ita intelligi potest, ac si Deus sibimetipsi existentiam dedisset, quod manifestam contradictionem involveret, quia Deus tunc debuisset esse, ut produceret, et non esse, ut produceretur. Sed ens a se opponitur enti, quod ab alio productum est. Cum ergo Deus ens a se nuncupatur, omnis causa prior a Deo removetur. Haud ergo recte Deo satis notum principium applicatur: *Nihil est sine ratione sufficiente;* de Deo enim causa, seu ratio prior assignari nequit, et de ipso aliud dici nequit, quam: *Est, quia est*, et in hoc tantum sensu scholastici dixerunt, quod Deus sufficientem suae existentiae rationem habeat in semetipso, quia a se et per se existit. Melius ergo citatum principium profertur dicendo: *Nihil fit sine ratione sufficiente;* nam quae fiunt, seu producuntur, causam seu rationem sufficientem habeant necesse est, non vero ens a se, quo prius nihil cogitari potest. Nullatenus porro arbitrandum est, propositionem, qua Deus ens a se dicitur, mere negativam esse, quia omnis causa et ratio prior a Deo removetur; nam pro sua existentia aliena indigere causa, non perfectionem, sed defectum existentiae indigitat, et ideo, dum omnis causa a Deo removetur, ipsi existentia perfectissima, seu τὸ Esse per excellentiam adiudicatur (1). — Eodem fere modo Deus hic *ens necessarium* adpellatur. — In genere equidem duplici modo necessitatem entium concipimus, nimirum vel *a posteriori*, dum ex effectu ad necessariam causam concludimus, uti, e. g., cernentes fumum necessario adesse ignem dicimus, vel *a priori*, cum ex causa agente necessarium effectum inferimus. Iam de Deo disserentes, omni iure, dum entia contingentia consideramus, concludimus ad causam sufficientem, qualis non est, nisi ens absolutum, primum et omnipotens, et sic a posteriori Deum ens necessarium seu necessario existens affirmamus. Maxime autem erraret, qui a priori Dei existentiam necessariam esse asserere vellet, ac si ob principium quoddam prius, aut ob legem quandam superiorem existere deberet; tali enim adsertione Deus ipse tolleretur, quo aliquid prius aut superius statuitur. Cum ergo hic in sensu metaphysico, etiam sine respectu ad creaturas, Deum ens necessarium affirmamus, id tantum pronuntiatur, quod eius non existentiam nullo modo cogitare valeamus. Ens enim necessarium opponitur enti contingenti, cuius existentia ab aliqua conditione dependet: cum autem Deo nil sit prius, ergo etiam nulla conditio

(1) V. Staudenmayr t. 2, § 42 etc.

cogitari potest, sub qua Deus vel existat, vel non existat, atque ideo, omni conditione remota, Deus rectissime absolute, seu necessario existens cogitatur. — Sicut ergo cum Deum ut *ens a se* concipimus, omnem causam et originem, ita cum eum ens *necessarium* dicimus, omnem contingentiam, seu conditionem, a qua eius existentia dependeat, removemus, et positive de eo existentiam perfectissimam et absolutam, seu τὸ Esse per excellentiam praedicamus, atque ex hoc ipso Deum *ens primum*, quo nihil prius, et *ens independens*, quo nil superius ratio concipere potest, iure appellamus. Deum autem vere esse ens a se, necessarium, primum, independens.

Probatur 1° *ex Ss. Litteris*. Deus ipse Moysi interroganti de praecipientis nomine respondit: *Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israël; qui est, misit me ad vos* (1), quibus verbis Deus sibi τὸ Esse per excellentiam, et tanquam characterem sibi soli proprium assignat, ita ut sensus verborum sit: Ego sum ille, qui esse habet a seipso, qui est ipsum esse: caetera autem omnia ita sunt, quasi non essent, quia non habent in se ut existant. In eodem sensu Iob XXIII, 13 dicit de Deo: *Ipse solus est* (2). Deus undequaque independens ait: *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* — Deus ut ens a se, summe independens, omnibusque prius clare praedicatur ab Isaia XL, 13: *Quis adiuvit Spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?... cum quo iniit consilium?* et XLI, 4: *Quis haec operatus est, et fecit vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus, et novissimus ego sum;* et XLIII, 10 etc.... Deus ait: *Ut sciatis quia ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, et post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me Salvator.* — Eadem de Deo in Ss. Litteris N. T. pronuntiantur. Christus dicit: *Pater habet vitam in semetipso* (3): ergo rationem suae existentiae non habet in alio, sed est ens a se, ens primum. Paulus in Areopago de Deo disserens ait: *Hic coeli et terrae cum sit Dominus... nec... indigens aliquo cum ipse det omnibus vitam, inspirationem et omnia* (4): ergo non Deus dependet ab aliquo, sed omnia dependent ab ipso. Denique legitur: *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens* (5): quibus ens a se, primum, a qualibet causa et conditione independens egregie exprimitur.

Probatur 2° *ex Ss. Patribus*, qui easdem de Deo notiones tradiderunt. Sic *S. Hilarius* (6) in verba Exodi: *Ego sum, qui sum:* « admiratus sum, inquit, plane tam absolutam de Deo significationem, quae naturae divinae incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo, quam esse intelligitur, quia id ipsum quod est, neque desinentis est aliquando; neque coepti. » — Idem (7): « Ipse est, ait, qui quod est, non aliunde est: in sese est, secum est, ad se est, suus sibi est, et ipse sibi omnia est. » — *S. Hieronymus* (8) ait: « Loquitur in Exodo Dominus: *Ego sum, qui sum, et haec dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos.* Nunquid solus Deus erat et caetera non erant? — et quomodo nomen commune substantiae sibi proprium vindicat **Deus?** — **Illa,**

(1) Ex. 3, 14. (2) Cf. Iob. 14, 4, et 41, 2. (3) Io. 5, 26. (4) Act. 17, 24 etc.

(5) Apoc. 1, 8. (6) L. I de Trin. (7) In Ps. 2. (8) In c. 3 Ep. ad Ephes.

ut diximus, causa; quia cetera, ut sint, Dei sumpsere beneficio: Deus vero, qui semper est, nec habet aliunde principium, et ipse sui origo est, suaeque causa substantiae, non potest intelligi aliunde habere, quod subsistit. » — *S. Ambrosius* (1) citata verba Exodi exponens inquit: « Cognoscens mentem eius Deus, non respondit nomen, sed negotium: hoc est, rem expressit non appellationem dicens: *Ego sum, qui sum*, quia nihil tam proprium Dei, quam semper esse. » — *S. Augustinus* (2) ita disserit: « Dominus ipse, tanquam solus sit, dixit: *Ego sum, qui sum* etc. Non dixit, Dominus Deus ille omnipotens, misericors, iustus; quae si diceret, utique vera diceret. Sublatis de medio omnibus, quibus appellari posset, et dici Deus, *ipsum Esse* se vocari respondit: et tanquam hoc esset ei nomen, hoc dices eis, inquit, *Qui est, misit me*. Ita enim ille est, ut in eius comparatione ea, quae facta sunt, non sint. » Idem (3) ait: « Quamvis ergo illa aeterna, incommutabilisque natura, quod Deus est, habens in se, ut sit, sicut Moysi dictum est: *Ego sum, qui sum*: longo scilicet aliter, quam sunt ista, quae facta sunt: quoniam illud vere, ac primitus est quod eodem modo semper est, nec solum non commutatur, sed commutari omnino non potest, nihil horum, quae fecit, existens, et omnia primitus habens, sicut ipse est. » — Deum esse ens a se, ab omni causa alienum et omni principio carens, clare ostendit *S. Anselmus* (4), ita disserens: « Si principium habet (summa Substantia), aut ex se, vel per se hoc habet, aut ex alio, vel per aliud; aut ex nihilo, vel per nihil. Sed constat per veritatem iam perspectam quia nullo modo ex alio, vel ex nihilo, vel per aliud, vel ex alio, aut per nihil, vel ex nihilo initium sortita est. Ex se ipsa vero, vel per se initium habere non potest; quamquam ex seipsa, et per seipsam sit. Sic enim est ex se, et per se, ut nullo modo sit alia essentia, quae est per se, et ex se, et alia per quam, et ex qua est. Quidquid autem ex aliquo, vel per aliquid incipit esse, non est omnino idem illi, ex quo, vel per quod incipit esse. Summa igitur natura non incoepit per se, vel ex se. Quoniam igitur nec per se, nec ex se, nec per aliud, nec ex alio, nec per nihil, nec ex nihilo habet principium; nullo modo habet principium. »

PROBATUR 3° *ex ratione*. Deum vere esse ens a se, necessarium, primum, et independens colligitur ex argumento cosmologico, ad demonstrandam Dei existentiam adducto (Th. gen. § 28). Ratio enim nostra, ut entium contingentium rationem sufficientem inveniat, quoniam seriem causarum infinitam nullo modo admittere potest, necessario pervenit ultimo ad *ens a se*, quo nil prius, nilque superius existit, atque ideo entis istius nullam causam, nullamque conditionem concipere potest, unde illud omni iure ens primum, necessarium, et undequaque independens pronuntiat.

Nota 1. Ens a se, quod sine causa et conditione existit, ita Ens primum esse, ut nil eo prius cogitari queat, et in hoc solum Ente sufficientem rerum contingentium causam inveniri; quaelibet sana ratio facile agnoscit, et vix possibile videtur, hac de re dubia moveri posse. — Attamen *Hegel* negare non erubuit, quod Ens a se, seu Esse necessarium et infinitum, ut omnium primum considerandum sit: ita enim in fallacibus suis speculatio-

(1) In Ps. 43.
(2) In Ps. 134, n. 4.
(3) De Gen. ad litt. l. 5, c. 16.
(4) Monolog. c. 19.

nibus procedit, primam, et universalem omnium rerum ideam inquirens. — Si cogitatur, ait, τὸ Esse, hoc concipitur vel necessarium, vel contingens, vel infinitum, vel finitum: istae autem qualitates, seu modificationes sibi invicem contradicunt, et se invicem tollunt; nam si cogito esse necessarium, nego esse contingens; et si cogito esse finitum, nego esse infinitum; ergo hae qualitates, seu modificationes in una idea convenire nequeunt. Ut ergo unitas in cogitando obtineatur, altior idea est investiganda. Cogitandum nimirum est *Esse*, quod nec necessarium, nec contingens, nec infinitum, nec finitum sit, sed *Esse purum*, ab omni qualitate et modificatione remotum. In hoc Esse puro nihil omnino distinguitur, et ideo aequivalet nihilo, et cum hoc identificatur, ita ut pro prima idea, seu summo principio statui possit: esse et non esse sunt idem. Sed tamen hoc Esse purum, aequivalens τὸ non esse, distinguitur ab absoluto nihilo, et est medium quid inter absolutum nihilum, et esse iam evolutum; est nimirum ipsum τὸ *Fieri*, quod non est, sed esse potest, et actu evolvitur. Huic ideae *Hegel* totam suam Metaphysicam superstruit, et putat, quod in declarato Esse puro, seu in τὸ *Fieri* sufficientem totius Universi rationem et causam assignare possit. — Tota autem haec Hegelii speculatio sophismatibus et contradictionibus scatet. Nam: *a*) diffitendum equidem non est, Esse necessarium, et Esse contingens, esse infinitum, et Esse finitum ita sibi opponi, ut hae ideae in uno eodemque subiecto, et sub eodem respectu uniri non possint: sed id a nemine asseritur, verum Deo Esse a se necessarium, infinitum, creaturis vero Esse contingens et finitum adscribitur: ergo posito Esse infinito, non negatur Esse finitum: et posito Esse contingenti, non negatur, sed potius adstruitur Esse necessarium et absolutum. Prima itaque et suprema Idea semper manet τὸ Esse, quod, ut ipse Hegel fatetur, aut necessarium, aut contingens, aut infinitum, aut finitum cogitatur: verum Esse, et non Esse sibi ita opponuntur, et sic se invicem tollunt, ut nullo modo identificari possint. *b*) Esse purum, in quo nihil distinguitur, est mera abstractio, quae extra mentem speculantem non subsistit, quoniam, fatente Hegelio, quodlibet Esse necessario qualificatum, i. e. vel a se, vel ab alio, vel infinitum, vel finitum, vel necessarium, vel contingens cogitatur. Sed mera abstractio, qualis est Esse — non esse, seu Esse non existens, aliquid efficere, et ratio sufficiens alicuius effectus esse nequit. *c*) Hegel tamen distinguit Esse purum ab absoluto nihilo, et ab Esse iam evoluto, et dicit, illud esse τὸ *Fieri*, in quo omnia evolvuntur: sed quaeritur, qua virtute? si hanc τὸ Esse puro adscribit, hoc iam qualificatum et modificatum constituit; si negat, evolutiones, seu effectus sine causa et ratione sufficiente admittit, atque ideo ab omni Philosophia recedit. *d*) Denique Hegel dicit, in Esse puro, seu Fieri omnia evolvi: sed ut quid evolvatur, iam esse debet: undenam autem hoc Esse repetendum est? an est Esse a se, vel ab alio, an necessarium, vel contingens? an infinitum, vel finitum? — Ad omnes istas quaestiones Hegel respondere nequit, quia Esse purum, seu τὸ Fieri ut primam et supremam ideam assumit, a qua omnia deducenda sint. Exinde apparet, quam necessario Ens a se, primum, independens et infinitum statuatur, in cuius omnipotente virtute omnium entium contingen-

tium ratio sufficiens inveniatur (1).

Nota 2. Maximi momenti est, ut Deus semper ut ens a se, primum, et undequaque independens consideretur. Neque enim ipsius attributa, et operationes debito modo explicari et determinari possunt, nisi idea entis a se, primi et independentis continuo ante oculos habeatur: hac vero firmiter retenta multae difficultates, quae alias inextricabiles videntur, per se evanescunt.

II. *Deus est ens infinite perfectum.*

§ 7. Physica Dei essentia iuxta omnes consistit in cumulo omnium perfectionum, quae ipsam divinam naturam constituunt. Deum enim concipimus ut ens, quo nihil maius cogitari possit: quidquid ergo boni, quidquid perfecti cogitari potest, Deo attribuendum, omnis autem defectus et omnis limes a Deo removendus est. Deus iuxta hunc conceptum est ens perfectissimum, quo nullum perfectius datur, et ens infinitum, ab omni defectu, termino et limite remotum. Hanc equidem infinitatem Dei perfecte non concipimus, eamque negative exprimimus, omnem defectum et limitem a Deo removentes: sed, quia mera negatio cogitari nequit, et semper quid positivum quod negatur in mente conspicitur, etiam negativo nostro loquendi modo Deo positive perfectiones omnes in summo gradu, qui captum nostrum longe excedit, attribuimus. Deum autem vere in hoc sensu infinite perfectum esse, ex Revelatione et ratione constat.

PROBATUR 1° *ex S. Scriptura*, quae variis in locis infinitam Dei perfectionem praedicat. Ex. XXXIII, 18 etc. Moysi dicenti: *Ostende mihi gloriam tuam:* Deus *respondit: Ego ostendam omne bonum tibi;* iam vero, ait Cl. *Perrone*, omne bonum Deus dici absolute non posset, nisi perfectiones omnes in se contineret. Ps. CXLIV, 3 dicitur: *Magnus Dominus, et laudabilis nimis et magnitudinis eius non est finis;* quae verba exponens S. *Augustinus* ait: « Ipse non finitur, illius magnitudo sine fine est. » Baruch III, 25 legitur: *Magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus.* Quam sublimia sunt et ad exprimendam infinitam Dei maiestatem magnifica, quae Isa. XL leguntur! v. 12 Propheta quaerit: *Quis mensus est pugillo aquas, et coelos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes, et colles in statera?* Et inferius, v. 15 et 17, ut infinitam Dei perfectionem magis magisque exaltet, addit, caetera omnia Deo comparata evanescere, et ut nihilum reputari; ait enim: *Ecce gentes quasi stilla situlae, et quasi momentum staterae reputatae sunt: ecce insulae quasi pulvis exiguus... Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum, et inane reputatae sunt ei.* Tantae etiam magnitudinis Deus praedicatur, ut, quidquid gloriosi de eo dixerimus, encomia et laudes nostras excedat; nam Eccli. XLIII, 32 etc. dicitur: *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis; maior enim est omni laude.* — In N. T. Christus ait: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est* (2); quae verba ita exponit Concilium Lateranense IV (3): « Estote perfecti perfectione gratiae, sicut Pater vester coelestis perfectus est perfectione naturae. » Paulus omnem defectum

(1) Cf. Marel de Philos. Hegelii.

(2) Matth. 5, 48.

(3) Cap. *Damnamus*, de Trin.

a Deo excludit dicens, quod non sit *indigens aliquo*, *cum ipse det omnibus vitam et inspirationem*, *et omnia* (1); et magnifica sententia positive Deo omnia adscribit dicens: *Ex ipso*, *et per ipsum*, *et in ipso sunt omnia* (2). Idem infinitam Dei magnificentiam extollit dicens: *Beatus*, *et solus potens*, *Rex regum*, *et Dominus Dominantium*, *qui solus habet immortalitatem*, *et lucem inhabitat inaccessibilem*, *quem nullus hominum vidit*, *sed nec videre potest*, *cui honor et imperium sempiternum: Amen* (3).

Probatur 2° *ex Ss. Patribus*, qui infinitam Deo perfectionem adscribunt. *Dionysius Areop.* (4) ait: « Deus non quovis modo est ens, sed simpliciter, et infinitum, totum in se esse pariter complexus et anticipans. » *S. Hilarius* (5) inquit: « Haec Dei prima et praecipua laudatio est, quod nihil in se mediocre, nihil circumscriptum, nihil emensum et magnitudinis suae habeat et laudis. Virtus eius opinione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enuntiatur, temporibus non subditur. » *S. Gregorius Nyss.* (6) de Deo disserens: « Neque maior, ait, neque minor fit accessione, vel decessione: quippe incrementum illud, quod in maius fit, in infinito locum non habet. » *S. Gregorius Naz.* (7) ait: « Omnium, quae sunt, pulcherrimum et supremum, est Deus; nisi quis tamen malit eum supra omnem essentiam ponere, aut in ipso totum esse constituere, utpote a quo alia ut sint acceperunt. » Idem (8) dicit: « Universum esse in seipso, nunquam incoeptum, nunquam desiturum, complexus continet, tanquam infinitum quoddam et interminatum essentiae pelagus. » — *S. Augustinus* (9): « Omnem, inquit, creaturam suam excedit Deus. - Si enim quaeras magnitudinem maior est, si pulcritudinem pulcrior, si dulcedinem dulcior... nulla enim ratio patitur, ut vel factura factori suo aequetur, vel opus artifici comparetur. » *S. Maximus* (10): « Deus, ait, nulli termino subiectus est, sed ipse terminus omnium existit, et cuncta in se ipso terminat, termino autem non est subiectus. » — *S. Io. Damascenus* (11) scribit: « Videtur inter nomina Dei primas tenere: *qui est*. Totum enim in se ipso comprehendens habet ipsum esse velut pelagus quoddam substantiae infinitum et interminatum. »

Prob. 3° *ex ratione*, per quam gentiles iam Philosophi nonnulli Deum sub conceptu entis infiniti, sive perfectissimi sibi repraesentaverunt. Sic *Anaxagoras* Deum dixit « mentem infinitam, principium omnium rerum; » *Aristoteles* Deum « ipsam infinitatem continere » adseruit; *Zeno* eum vocavit « indeterminatam perfectionem nunquam deficientem (12). » Argumenta autem philosophica varia hic adferri possunt. *a*) Si Deus est ens a se, necessarium, ab omni causa et conditione independens, ergo sub nulla conditione aliter existere, seu mutari potest: est ideo prorsus immutabilis, ac nullo modo augeri potest: atqui si infinitus non esset, si ipsi aliquid deesset, si perfectiones extra ipsum darentur, aliquid accipere et augeri posset: cum autem hoc in ente necessario et immutabili omnino impossibile sit, sequitur, eadem certitudine constare, Deum infinitum esse, qua constat, eum ens a se et necessarium esse. *b*) Iuxta argumentum ontologicum existit ens,

(1) Act. 17, 25. (2) Rom. 11, 36.
(3) 1 Tim. 6, 15 etc.
(4) De div. Nom. c. 5. (5) In Ps. 144.
(6) L. 12 c. Eunom. (7) Orat. 12.
(8) Orat. 38 in Natal. n. 11.
(9) Serm. 1 de verb. Apost.
(10) In cap. 2 coel. Hier.
(11) L. 4, de fid. c. 12.
(12) Cf. Wiest tom. 4, § 25.

Digitized by Google

quo nihil maius cogitari possit: sed tali enti omnes perfectiones sine defectu et limite attribui debent, quia alias maius quid cogitari posset: ergo iuxta idem argumentum existit ens infinite perfectum, quod est Deus. *c*) A recentioribus Philosophis recte Deus ens, seu Esse absolutum nuncupatur: ast Esse absolutum e diametro opponitur absoluto nihilo: sicut ergo de hoc omnia negantur, sic de illo omnia affirmentur, necesse est: sed de nihilo absoluto recte dicitur, quod in nullo loco, vel tempore subsistat, nil omnino efficere queat, et omni perfectione ita careat, ut nec minimum ei demi possit: ergo de Esse absoluto eodem iure asseritur, quod ubique et semper existat, omnia efficere possit, et ita qualibet possibili perfectione gaudeat, ut nec minimum ipsi addi queat (1). Scholastici sequenti forma hoc idem argumentum adferre consueverunt: Deus est per se subsistens essentialiter, et a se; est ergo perfectissimus in Esse: sed omnis perfectio est aliquod Esse: ergo Deus omnem in se continet perfectionem. *d*) Ex argumento cosmologico patet, Ens a se esse rationem sufficientem, seu primam causam omnium rerum, quae extra ipsum existunt: sed nihil potest esse in effectu, quod non sit in causa, et nemo potest dare id, quod non habet. Deus itaque ut omnium rerum prima causa omnes etiam continet perfectiones, quia *ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia*. Hoc argumento iam *Plotinus* usus est ad infinitam Dei perfectionem probandam, qui (2), cum docuisset Deum non confundendum esse cum creaturis, concludit: « Quamobrem et nos nihil horum affingamus, quae posteriora minoraque sunt: sed illud observemus, Deum super omnia haec eminentem horum esse causam, neque tamen haec esse, quae infinito modo superat et excellit, ita ut sit omnia in omnibus. » *e*) Philosophi critici infinitam Dei perfectionem probant ex postulato rationis practicae, quia solummodo per ens summe bonum, et infinite perfectum harmonia moralitatis et felicitatis perfici, et finis hominis obtineri potest (3). *f*) Denique omni iure dicitur, homini ens infinitum iam per se notum esse. Quilibet enim sanae mentis quaesitus, an sibi non persuasum sit, quodlibet ens esse vel finitum, vel infinitum, affirmative respondet; cum e contra interrogatus, an non quilibet ignis vel calidus sit, vel frigidus, negativum in promptu habeat responsum. Ratio est, quia ignis frigidi nullam ideam habet, bene vero ideam entis infiniti; nam mente sua conspicit primam Veritatem, a qua omnia derivantur, supremum Legislatorem, cui omnia subiiciuntur, et summum ac infinitum Bonum, quod omnia desideria explet.

Nota 1. Inter Socinianos nonnulli infinitam Dei essentiam negarunt, et ea, quae in Ss. Litteris de infinita Dei magnitudine leguntur, per metaphoram et exaggerationem dicta esse contenderunt, non alio modo intelligenda, quam prout in Ss. Bibliis etiam entia creata infinita dicuntur, ex. g. Num XXXII, 1, *erat illis in iumentis infinita substantia*, Deut. XXVI, 5, Iudic. XI, 20, Eccli. I, 15. — Longe autem, qui talia effutiunt, a veritate aberrant. — Nam metaphoricae quidem sunt loquendi rationes, quae ex rebus creatis petitae ad Deum transferuntur, e. g. dum Iob XI dicitur *excelsior coelo... profundior inferno... longior terra mensura eius, et latior*

(1) Cf. Ludov. Argent. de Deo, Conf. 4, a. 3.
(2) Enn. 5, lib. 5, cap. ult.

(3) Cf Frint. t. 1, § 41.

mari, quae certe metaphorica, seu impropria locutio est, quia vera moles, seu mensura in Deo non datur: sed sub istis externis, ac corporeis symbolis infinita divinae naturae perfectio adumbratur. Ut enim observat *S. Augustinus:* « In iis, quae mole magna non sunt, hoc est maius esse, quod melius esse. » At vero nulla exaggeratio occurrit, quia ultra veritatis fines metaphora biblica non extenditur. Metaphora etiam potest accurate rem, ut in se est, licet sub alienis imaginibus significare. Quod autem nulla sit iis in locis perfectionis Dei immoderata amplificatio ex eo colligitur, quod eiusmodi locutio saepius et vario modo repetatur, et naturae Dei non minus, quam perpetuae Christianorum traditioni, ac demum ipsi rationi consentanea sit. Multa equidem dicuntur in Scripturis *infinita*, quae reipsa eiusmodi non sunt, sicuti ex citatis locis patet: non tamen inde sequitur, hanc vocem, si hincinde in sensu improprio seu hyperbolico sumitur, eam nunquam in sensu proprio et stricto adhiberi: id potius omnino asserendum est, dum illa Deo applicatur: non enim eadem Dei ac rerum aliarum ratio, ac proinde licet unum et idem occurrat utrobique vocabulum, diversa tamen subest ei significatio, quod ex diversa rerum natura et conditione, aliisque adiunctis, iam prius allatis, manifestum est: cum enim omnibus creaturis in sensu tantum improprio applicetur, necesse est, ut alio modo de Deo enuntietur, ne dicatur, quod absurdum esset, eam nunquam in sensu proprio et stricto adhiberi posse.

Nota 2. Magna difficultas ex eo exsurgere videtur, quod variae etiam in creaturis perfectiones conspiciantur: quaeritur ergo, quomodo Deus infinite perfectus sit, ita ut nihil ipsi addi possit, si etiam extra ipsum verae et reales perfectiones dantur?—Ad hanc difficultatem solvendam Scholastici communiter duplicis generis perfectiones distinxerunt, nimirum *simpliciter simplices*, quae nullam sibi habent adiunctam imperfectionem, et non sint incompossibiles cum alia maiori, vel aequali, quales, e. g., sunt Sapientia, Iustitia, Sanctitas etc. et *simplices secundum quid*, quae in conceptu suo aliquam includunt imperfectionem, et perfectioni maiori opponuntur, e. g., extensio, motus, visus, auditus materialis etc. Posita hac distinctione inquiunt: perfectiones simpliciter simplices in Deo *formaliter* continentur: - non quidem perfectiones creatae et finitae, prout in individuis existunt, sed prout sunt secundum se et in communi, et abstrahunt a creatis et increatis - Deo formaliter seu substantialiter insunt ita, ut ipsa Sapientia, ipsa Iustitia, ipsa Sanctitas merito praedicetur. Perfectiones autem simplices secundum quid in Deo formaliter contineri non possunt, quia eius substantiam limitarent, et infinitae eiusdem perfectioni opponerentur: istae autem perfectiones in Deo *eminenter* et *virtualiter* continentur. Et sane quaelibet perfectio, quae in creaturis conspicitur, Deo in summo gradu et infinito modo inest; si enim in creaturis admiramur τὸ Esse, τὸ Vivere, τὸ Sentire, τὸ Intelligere etc., Deus est ipsum Esse absolutum, et habet Vitam efficacissimam, Sentire perfectissimum, Intelligere infinitum etc., et sic omnia in ipso *eminenter* continentur. Denique perfectiones creaturarum, prout sunt, factae et finitae, in Deo *virtualiter*, seu ut in sua causa continentur. Nam omnia entia contingentia per se nihil sunt et nihil habent, sed omnia sunt et habent a Deo, a quo in quo-

libet momento conservantur. Ideo iure dicitur, quod non habeant verum *Esse*, sed sint potius continuum *Fieri*. *Fieri* autem, prout in ipsa creatura sumitur, aliquid *passivum* est, et defectum activitatis, seu τοῦ Esse permanentis indigitat, ideoque perfectio nulla est, sed perfectionis defectus. *Fieri* autem, prout active sumitur, in ipsa causa, a qua procedit, concipitur, et aequivalet τῷ *Facere*, quod competit soli Deo: et sic revera omnis creaturarum perfectio, sicut a Deo, sic etiam in Deo a nobis concipi debet. Nec dubitari potest, hoc iu sensu Apostolum dixisse: *ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*. Etiam Ss. Patres ita senserunt, creaturis verum *esse* denegantes, et sic Deo omnia adscribentes. Sic *S. Augustinus* in verba Exodi: *Ego sum, qui sum*, scribit: « Ecce nomen est incommutabilitatis. Omnia enim, quae mutantur, desinunt esse quod erant, et incipiunt esse quod non erant. Esse verum, esse sincerum, esse germanum non habet, nisi qui non mutatur. » Idem (1) inquit: « Iam illud attendite, quid vocatur: *est*. Nostis, quid vocatur: *est*. Quod vocatur, et non solum vocatur, sed *vere est*, incommutabile est, semper manet, mutari nescit, nulla ex parte corrumpitur. » — *S. Bernardus* (2) ait: « Quidquid veniens ex eo, quod fuit, non cessat tendere in id, quod erit, transitum sane habet per *est*, sed omnino *non est*. Nam quomodo est, quod nunquam in eodem statu permanet? — Solum proinde vere est, quod nec a *fuit* praeciditur, nec ab *erit* expungitur: sed solum, atque inexpugnabile remanet ei (Deo) est, et manet, quod est. Nec *fuit* illi sane tollit esse ab aeterno, nec *erit* esse in aeternum; ac per hoc sibi vindicat verum esse, i. e. increabile, interminabile invariabile » (3). *S. Thomas* (4) dicit: « Cum Deus sit prima causa effectiva rerum, oportet omnium rerum perfectiones praeexistere in Deo, secundum eminentiorem modum. Et hanc rationem tangit *Dionysius* (5) dicens de Deo, quod « non quidem hoc est, hoc autem non est, sed *omnia est, ut omnium causa*. »

Nota 3. Ex proposita doctrina facile est, documenta practica inferre. *a*) Dogma enim de infinita Dei perfectione fundamentum primi et maximi mandati constituit, quo Deum ex toto corde diligere iubemur. Si enim quodlibet ens iuxta dignitatem suae naturae aestimandum et amandum est, quis sanae mentis negabit, Deum infinitum supra omnia aestimandum, totisque viribus amandum esse? — Egregie *S. Bernardus* (6) ait: « Causa diligendi Deum, Deus est: modus, sine modo diligere. » Infinitum bonum non amare, maxima stupiditas et infinito bono finitum, vanum et caducum praeferre tremenda dementia ac impietas dicenda est. *b*) Dei infiniti laudes celebrare officium hominis ratione praediti gravissimum, nobilissimum et iucundissimum est, a quo nunquam cessare oportet. Ideo *S. Augustinus* (7) dicit: « Ideo Psalmista dixit: *valde*, quia magnitudinis eius non est finis: ne forte incipias velle laudare, et putes, te laudando posse finire, cuius magnitudo finem non potest habere. Noli ergo te putare eum, cuius magnitudinis finis non est, sufficienter posse laudare. Nonne ergo melius est, ut quomodo ipse non finitur, nec laus ipsius fi-

(1) Tr. 4 in c. 3 Ep. I. Ioan.
(2) Serm. 31 in Cant.
(3) Cf. Petav. l. 1, l. 1, cap 6.
(4) I, q. 4, art. 2. (5) Cap. 5 de div. Nom.
(6) Tr. de dilig. Deo.
(7) In Ps. 144, v. 3.

niatur? — Illius magnitudo sine fine est, et tua laudatio sine fine sit. » — c) Deus infinite perfectus est excellentissimum perfectionis nostrae exemplar, cui nos, quantum in hac mortali vita fieri potest, conformare debemus. Idcirco Christus ait: *Estote... vos perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est* (1). Perfectiones divinas ergo recte cognoscere, et sedulo meditari debemus; et quoniam prototypon divinum nunquam attingere possumus, a perfectionis studio etiam nunquam desistere licet.

ARTICULUS III.

De Dei cognitione.

§ 8. Non sufficit homini christiano, et multo minus Theologo, scire, Deum existere, et eus a se ac infinite perfectum esse, sed nulli labori parcendum est, ut supremum Numen divinum semper magis magisque cognoscat. Ut autem tale studium cum maiori assiduitate et recto modo suscipiatur, in genere aliqua 1° *de cognitionis Dei praestantia et necessitate*, 2° *de eiusdem limitibus*, ac 3° *fontibus*, et 4° *de praecipua conditione, ad eam obtinendam requisita*, disserenda sunt.

I. *Cognitionis Dei praestantia, et necessitas.*

§ 9. Quaelibet cognitio omni iure iam in se eo praestantior reputatur, quo nobilius est obiectum, ad quod dirigitur. Sed nobilius excellentiusque obiectum nec dari, nec cogitari potest, quam Deus infinite perfectus, et omnium rerum suprema causa: ergo recta de Deo cognitio iam in se excellentissima, et cuilibet alii scientiae longe praeferenda est. Ideo in ipsa S. Scriptura cognitio Dei maxime commendatur. Deus ipse dicit: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, et nosse me, quia ego sum Dominus qui facio misericordiam et iudicium et iustitiam in terra: haec enim placent mihi* (2). Sapiens ad Deum dicit: *Nosse te consummata iustitia est: et scire iustitiam, et veritatem tuam radix est immortalitatis* (3). Christus quoque rectam de Deo cognitionem tanquam medium maxime necessarium proponit ad veram felicitatem, seu ad vitam aeternam obtinendam; ait enim: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum* (4). — Ipsa ratio facile perspicit, in Religionis ac Theologiae negotio nihil sibi magis necessarium esse, quam rectam de Deo cognitionem, sine qua nec relationes Deum inter et homines rite determinari, nec officia inde emanantia debito modo describi, nec sufficientia moralitatis motiva assignari possunt. Et sane — quae in Theologia theoretica de summis Religionis christianae mysteriis, de decretis operibusque divinis disseruntur, rectae et solidae de Deo cognitioni tanquam fundamento incumbunt, et plurimae difficultates, quae nonnullis vix non inextricabiles videntur, facillime solvuntur, vel per se evanescunt, si recti de Deo eiusque divinis attributis conceptus habeantur; uti in decursu Theologiae dogmaticae specialis apparebit. Quanti momenti eadem cognitio etiam pro parte Religionis practica sit, iam exinde patet, quia Deus in Evangelio ceu exemplar proponitur, cui quilibet Christianus se conformem reddere tenetur: probe autem cognoscendus est, quem imitari oportet.

(1) Matth. 5, 48. (2) Ier. 9, 23 etc. (3) Sap. 15, 3. (4) Io. 17, 3.

Digitized by Google

Praeterea nobilissima Christiani officia, e. g. fidei, spei, charitatis etc. rite perspecta, attributa divina supponunt. Denique in attenta horum consideratione efficacissima moralitatis motiva reperiuntur. Nam, ait Cl. *Liebermann* (1): « Nihil ad regendum moderandumque animum aptius cogitari potest, nihil, quod ad virtutis studium vehementius exstimulet, quam frequens de Deo cogitatio, et attenta consideratio divinarum perfectionum; ita enim timere discimus tantam maiestatem et amare tantam bonitatem, et ad beneplacitum sanctissimae perfectissimaeque voluntatis omnem agendi vivendique rationem componere. » — Ex his aperte liquet, quantae praestantiae et necessitatis sit recta Dei cognitio, et quanto studio huic incumbendum sit, qua deficiente nunquam veri Theologi, imo nec digni Christiani fieri possumus: nam *vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei* (2).

II. *Cognitionis Dei limites.*

§ 10. Quamvis totis animi viribus ad perficiendam in nobis Dei cognitionem continuo anhelare debeamus, simul tamen memores simus oportet, nunquam nos ad talem cognitionis gradum pervenire posse, ut Deum perfecte comprehendamus. Per *comprehendere* enim intelligitur plena, adaequata et totalis rei cognitio, metaphora ducta a rebus corporeis. Ut enim corpus aliquod ab alio comprehendi dicitur, quod totum in eo continetur, ita obiectum, quod cognoscitur, dicitur a mente comprehendi, quod totum, quantum est, cognoscitur. Ita comprehensionem obiecti a simplici eiusdem cognitione apprime distinguit S. *Augustinus* (3) scribens: « Aliud est videre, aliud est totum videndo comprehendere. Quandoquidem id videtur, quod praesens utcumque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possunt. » — Extiterunt equidem iam saeculo IV nonnulli, qui praeter alios errores id quoque docuerunt, Deum in hac vita non videri modo, sed etiam comprehendi posse. De *Aëtio* sic loquitur S. *Epiphanius* (4): « Ita audacissimus iste dicebat: tam novi Deum, quam meipsum, immo non tam novi meipsum quam Deum. » Idipsum *Eunomius* et *Anomaei* passim asserebant. Recentioribus temporibus *Schelling* hoc idem sentire videtur, intellectui humano puram et perfectam Absoluti visionem (Lanschauung) adscribens (5). — Graviter autem aberrant, qui ita sentiunt; nam Deus - ut infinitus, ita etiam incomprehensibilis est, et a nullo intellectu humano comprehendi potest: variis hoc argumentis probari potest.

1° *Argumento biblico.* Deum incomprehensibilem esse, S. Scriptura multis in locis affirmat. Iob XI, 7 etc. ait: *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior coelo est, et quid facies? Profundior inferno, et unde cognosces?* — Ibid. XXXVI, 26 dicitur: *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Ierem. XXXII, 19: Deus nuncupatur *magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu.* Prov. XXV, 27: *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria.* Eccli. XLIII, 33 etc.: *Exaltate eum quantum potestis: maior enim est omni laude. Exaltantes eum replemini vir-*

(1) L. 1 de Deo, p. 10. (2) Sap. 13, 1.
(3) Ep. 147 ad Paulinum.
(4) Haer. 76.
(5) V. Frinl. t. 4, § 5

tute: ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis videbit eum, et enarrabit? et quis magnificabit eum sicut est ab initio? multa abscondita sunt maiora his: pauca enim vidimus operum eius. S. Paulus de Deo ait: *Lucem inhabitat inaccessibilem* (1), quam igitur perfecte penetrare mens humana non valet. Huc quoque pertinent ea, quae toties in Scriptura dicuntur de incomprehensibilitate consiliorum, et operum Dei: *Iudicia tua abyssus multa* (2); *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius* (3) etc. Si Deus incomprehensibilis est cogitatione et opere, ergo et substantia; haec enim fons est consiliorum, et operum. Hinc pulcre ait *S. Chrysostomus* (4): Quid ais? iudicia eius inscrutabilia sunt, et viae investigabiles, et pax omnem excedit intellectum, donum inenarrabile; quae praeparavit Deus diligentibus se, non ascenderunt in cor hominis; magnitudo finem non habet, scientia caret numero; omnia eius incomprehensibilia sunt, et ipse solus est comprehensibilis? »

2° *Argumento ecclesiastico.* Ss. Patres, quamvis Deum assidue considerantes in eiusdem cognitione continuo crescere studuerint, unanimi tamen consensu fassi sunt, Deum incomprehensibilem esse. *S. Irenaeus*(5) ait: « Immensurabilis est in corde Deus, et incomprehensibilis in animo. » — *Origenes* (6): « Dicimus secundum veritatem quidem, Deum incomprehensibilem esse et inaestimabilem ;» exinde infert (7): « Si quid illud est, quod sentire, vel intelligere de Deo potuerimus, multis longe modis eum meliorem esse ab eo, quod sensimus, necesse est credi. » *S. Cyprianus* (8): Deus, inquit, « nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec aestimari, sensu maior est, et ideo sic eum digne aestimamus, dum inaestimabilem dicimus. » Eodem fere modo loquitur *S. Hilarius* (9): « Certo hoc est Deus, quod cum dicitur, non potest dici, cum aestimatur non potest aestimari, cum definitur, ipsa definitione crescit. » *S. Gregorius Naz.*(10) Deum cum Platone soli comparans ait: « Sol in sensibilibus est, quod in intelligibilibus est Deus: quippe sic ille oculos illustrat, ut iste mentem; atque ut omnium ille, quae videntur, pulcherrimum est, sic Deus omnium, quae intelligentia capiuntur: ac neutrum tamen perfecte cognosci et comprehendi potest (11). » — *S. Gregorius Nyss.* (12) « Divina, inquit, natura quemadmodum se habeat, attingi, comprehendique non potest; omnique comprehensione, quae rationibus constat, sublimior est. At humana mens curiose et solicite pervestigans et perscrutans, quibus potest argumentationibus inaccessam et excelsam expetit, attingitque naturam; neque tam acute cernens, ut id, quod videri nequit, perspicue videat, neque penitus ab accessu ita semota, ut nullam eius, quod quaerit, coniecturam possit capere. Sed partim quidem de eo, quod quaeritur, per ratiocinationum attactum coniectura consequitur; partim vero ex eo, quod nequeat ipsum perspicere, quodammodo cognovit, tanquam evidentem aliquam cognitionem illud habens, quod cognitione sit omni superius id quod quaeritur. » *S. Chrysost.* (13), « Dei, inquit, exquisitam compre-

(1) 1 Tim. 6, 16. (2) Ps. 35, 7.
(3) Rom. 11, 33.
(4) Hom. 2 de incomprehensibili Dei natura.
(5) Adv. haer. l. 4, c. 19.
(6) De princ l. 1. n. 5. (7) Ibid. c. 1.
(8) De idol. vanit. c. 9.
(9) L. 1 de Trin. c. 2. (10) Orat. 34.
(11) Cf. Orat. 28, n. 3 et 4.
(12) Lib. 12 c. Eunom.
(13) Hom. 4 c. Anom.

Digitized by Google

hensionem habere non potest Angelus, aut ulla creatura. » *S. Augustinus* (1) ait: « Attingere aliquantum mente Deum, magna beatitudo est; comprehendere autem omnino impossibile. » *S. Epiphanius* (2) scribit: « Neque vero dubium est, quin Deus comprehendi nequeat..... Porro cum invisibile illud infinitum aspicit, non quatenus infinitum est, illud intuetur: sed quantum illius, quod imbecillum est, natura capere potest: » quod quidem duplici comparatione illustrat, hominis scilicet, qui e sublimiori specula mare intuetur, aut coelum per angustum foramen perspicit: ille quidem mare videt et coelum, sed non totum, nec quantum ad omnem maris et coeli extensionem. Denique *Concilium Lateranense IV* (3) dicit: *Credimus quod unus solus sit Deus, aeternus, immensus, incomprehensibilis* (4).

3° *Argumento philosophico*. Comprehendere est rem omnibus, quibus cognosci potest, modis cognoscere; atqui Deus ita cognosci a mente creata non potest, quia Deus est obiectum infinitum, mensura autem cognitionis intellectus cuiuscumque creati semper finita est et limitata. Deus ipse e medio tolleretur, si a mente finita comprehendi posset, quia infinitus esse cessaret: nam, ait *S. Augustinus* (5), « quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur: » et ideo alibi (6) concludit: « Si eum comprehendis, non est Deus, » vel aliud absurdum admittendum esset, nimirum mentem creatam, quae plurima ignorat, esse infinitam. — Deum incomprehensibilem esse, ex ipsa divinorum attributorum consideratione apparebit. Dantur enim varia attributa, quae Deo competere ratio certo cognoscit, quin tamen ea perfecte comprehendat, e. g., quomodo Deus simplicissimus et immensus sit, quomodo sine tempore semper existat etc. Eodem modo Deum infinitum probare, nullatenus autem hanc infinitatem comprehendere valet (7).

(1) Serm. 117 de verb. Dom. c. 3, n. 5.
(2) Haer. 70, n. 7.
(3) Cap. *Firmiter*.
(4) Conf. Klee T. 2, lib. 1, cap. 2, art. 2, § 2, Staudenmayr t. 2, § 37.
(5) Lib. 12 de Civ. Dei, cap. 18.

III. *Cognitionis Dei fontes.*

§ 11. Quamvis Deum comprehendere non valeamus, talem tamen de ipso cognitionem nobis comparare possumus, quae rationi in functione theoretica et practica sufficit, ut tum relationes Deum inter et hominem determinare, tum officia exinde deducere queat. Generatim enim persaepe rerum essentias non perspicimus, et tamen res cognoscere dicimur. Interior solis natura nobis impervia est, et tamen non tantum solem existere, sed et ipsum splendidissimum esse scimus, et beneficos eiusdem effectus sentimus. Eodem fere modo *S. Augustinus* de cognitione hominis loquitur; nam (8) inquit: « An corpus oculo comprehendere te putas? — Omnino non potes. Quidquid enim aspicis, non totum aspicis. Cuius hominis faciem vides, dorsum non vides eo tempore, quo faciem vides. Et quando dorsum vides, eo tempore faciem non vides. Non sic ergo vides, ut comprehendas; sed quando aspicis aliam partem, quam non videras, nisi memoria tecum faciat, ut memineris te vidisse unde recedis, nunquam te diceres aliquid vel in superficie comprehendisse (9). Etiam animam alterius hominis, quae simplex est, non perspi-

(6) Serm. 117 de verb. Dom. c. 3.
(7) Cf. S. Thom. 1, q. 12, art. 7.
(8) Serm. 38 de Verb. Dom. cap. 3.
(9) Cf. l. 12 de Civ. Dei, c. 10.

Digitized by Google

cimus, et multas eius cogitiones et volitiones nescimus; sed tamen eatenus eam cognoscere dicimur, quatenus per sermones et actiones eiusdem sensus interni nobis manifestantur. Sic etiam Deum, quem non comprehendimus, eatenus tamen cognoscimus quatenus in nos agit, se nobis repraesentat, et se nobis manifestat. Hoc autem fit tum naturali, tum supernaturali modo, atque ideo *ratio* et *revelatio* sunt duo cognitionis Dei fontes, seu media quibus recta de Deo et infinitis eius perfectionibus cognitio obtineri, ac continuo perfici potest et debet.

1. *Humius*, Anglus, qui omnia in dubium trahere conatus est, rationi rectam de Deo cognitionem sibi comparandi facultatem penitus abnegavit (1). Talis autem sententia falsa est, et absurda. Nam, ut recte ait *Klee* (2), si anima, quae ad cognoscendam veritatem destinata est, Deum, qui est Veritas, nullo modo cognoscere posset, quasi a sua vita et a suo centro removeretur, rationalis esse desineret, de omni Religione actum esset, et Ethnicismus, seu Atheismus, tanquam necessarius statueretur. — Sed impia Humii sententia satis refutatur per argumenta rationalia (Theol. gen. § 28 et seq.), quibus ratio non solum certo Dei existentiam probat, sed et eadem certitudine varia Dei attributa cognoscit. — Etiam *Philosophia critica* rationi theoreticae Dei, utpote Entis transcendentalis, cognitionem abiudicavit, et hanc ex postulato rationis practicae repetendam esse censuit. Ast haec quoque sententia admitti nequit. Una enim est hominis ratio, quae pro diversitate obiectionum functionem aut theoreticam, aut practicam peragere dicitur. Et sane ratio, quam theoreticam dicunt, ab entibus contingentibus assurgit ad cognoscendum ens a se, necessarium, infinitum, et in pulcherrimo totius universi, omniumque eiusdem partium ordine omnipotentiam, sapientiam et bonitatem auctoris admiratur. Accedit, quod Deus ipse rationi ut prima Veritas luceat, et se illi ut supremum Legislatorem et summum Bonum repraesentet. Negari ergo non potest, operationis Dei cognitionem acquiri et perfici posse. Quoniam autem Deus infinitus nunquam perfecte comprehendi potest, ideo Theologi, duce *S. Augustino*, triplicem viam assignant, per quam ratio ad rectam Dei cognitionem pervenire potest, scilicet viam *negationis*, *affirmationis* et *excellentiae*. Via negationis ea est, per quam longe facilius dicitur, quid non sit Deus, quam quid sit: « Intendat charitas vestra, inquiebat *S. Augustinus* (3), Deus ineffabilis est. Facilius dicimus, quid non sit, quam quid sit. Terram cogitas? non est hoc Deus. Mare cogitas? non est hoc Deus etc. Haec solum dicere potui, quid non sit. Quaeris, quid sit? — Quod oculos non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. » Viam affirmationis ingredimur, cum de Deo aliquid affirmamus, detractis etiam imperfectionibus quibuscumque. Ita cum eodem *S. Augustino*(4) dicimus: « Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ praesidentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. » Via excellentiae Deum concipimus, cum creatas omnes perfectiones in ipso longe nobiliori et excellentiori modo inesse

(1) Dial. de relig. natur. (2) L. c. § 1.

(3) In Ps. 85, n. 12. (4) L. 5 de Trin. c. 1.

affirmamus. « Omnem enim creaturam suam excedit, ait idem *S. Augustinus* (1), omnem facturam praeterit, universa praecellit: si enim quaeras magnitudinem, maior est; si pulcritudinem, pulcrior; si dulcedinem, dulcior; si splendorem, fulgidior, si iustitiam, iustior; si fortitudinem, fortior: si pietatem, clementior. Nulla enim ratio patitur, ut vel factura factori suo aequetur, vel opus artifici comparetur: sicut legitur in Propheta (2): qui fecit fortia, fortior est, et qui fecit pulcra, pulcrior illis est » (3).

2. Ad perfectiorem Dei cognitionem per revelationem, quam per rationem pervenimus. Deus enim se suaque divina attributa etiam extraordinario modo hominibus manifestare dignatus est. Ideo iam in Ss. Libris V. T. praecipue in libro Iob, in Psalmis et Prophetis magnificae de Deo notiones traduntur, divinaeque ipsius perfectiones collaudantur. Sicut autem plena Revelationis lux per Iesum Christum nobis affulsit, ita per eundem etiam perfectissima Dei cognitio nobis communicata est. Ipse enim mysterium Trinitatis patefecit, et in opere Incarnationis et Redemptionis immensam Dei charitatem, admirabilem sapientiam, et infinitam tum iustitiam, tum misericordiam in plenissima luce ostendit. Ideo legitur: *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (4). Christus ipse inquit: *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (5); et Christus ad Patrem loquens ait: *Manifestavi nomen tuum hominibus* (6); et: *Notum feci eis nomen tuum, et notum faciam: ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis*(7). Denique S. Ioannes ait: *Scimus, quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum* (8). Ut ergo perfecta, quanta in hac mortali vita haberi potest, Dei cognitio obtineatur, ad S. Scripturam, huiusque optimos interpretes, Ss. Patres, ac ad infallibiles Ecclesiae catholicae declarationes recurrendum est (9).

Nota. Certum est, multa, quae Deum concernunt, per solam rationem cognosci et demonstrari posse. Nihilominus tamen ista, quoniam etiam per Revelationem nobis innotescunt, omni iure ad obiectum fidei supernaturalis referuntur, et sunt dogmata, fide divina credenda. Hac in re dissentit *S. Thomas*, qui (10): « Dicendum, inquit, quod Deum esse, et alia huiusmodi, quae per rationem naturalem nota esse possunt de Deo, ut dicitur Rom. I, non sunt articuli fidei, sed praeambula ad articulos. Sic enim fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, et perfectio perfectibile; nihil tamen prohibet illud quod secundum se demonstrabile est, et scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit: » et (11) ait: « Dicendum, quod omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, et per consequens visa. Non autem est possibile, quod idem ab eodem sit visum, et creditum .... potest tamen contingere, ut id, quod est visum, vel scitum ab uno homine etiam in statu viae, sit ab alio creditum, qui hoc demonstrative non novit. Id tamen, quod communiter omnibus proponitur hominibus ut credendum,

(1) Serm. 384 de Trin. (2) Sap 13.
(3) V. Tournely de Deo, quaest. 2.
(4) Io. 1, 18. (5) Matth. 11, 27.
(6) Io. 17, 6. (7) Ib. v. 26.
(8) 1 Ep. 5, 20. (9) Klee l. c.
(10) 1, q. 2, a. 2, ad 1. (11) 2 2, q. 1, a. 5.

est communiter non scitum. Et ista sunt, quae simpliciter fidei subsunt, et ideo fides et scientia non sunt de eodem. » — Iuxta hoc principium illi, qui S. Thomam sequuntur, inferunt, existentiam Dei ab indoctis tantum credi, a doctis autem sciri. Et hoc idem de aliis veritatibus divinis dicendum foret, quae satis certo per rationem demonstrari possunt. — Ab hac autem S. Thomae sententia multi Theologi, solidis ducti rationibus, recedunt. Nam S. Paulus, nulla facta inter doctos et indoctos distinctione, ab omnibus fidem supernaturalem etiam de existentia Dei exigit, dicens: *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit* (1). *S. Augustinus* (2) inquit: « Fides, cuius primum et maximum officium est, ut in verum credatur Deum. » Ecclesia vult, ut omnes indiscriminatim in Symbolo profiteantur: *Credo in unum Deum-factorem coeli et terrae*. — Ex ipsa ratione patet, id, quod est obiectum scientiae, per Revelationem formalem, quam Deus concedere dignatur, etiam obiectum fidei fieri posse. Nam, ait *Nic. L'Herminier*, qui acriter Thomistarum sententiam perstringit: « Negandum est omnino, assensum fidei debere necessario esse obscurum et inevidentem, quod tamen D. Thomam suosque ita fefellit, ut hoc uno fundamento negent, existentiam Dei sciri simul posse per demonstrationem, cuius assensus est evidens, et credi per fidem divinam, cuius assensum putant essentialiter obscurum. Sane ut falsum istud penitus evellatur praeiudicium, satis sit ad veram et genuinam fidei notionem animum advertere; fides divina est assensus datus veritati a Deo revelatae; sed quod illa veritas sit obscura, vel evidens, captum humanae mentis superet, vel sit ratione naturali cognita, aut etiam sensibus obvia perinde se habet in ordine ad actum fidei: erit nempe fidei actus, si assentiatur quis veritati a Deo revelatae et propter auctoritatem Dei revelantis; adeo ut si revelasset Deus, bis duo esse quatuor, quisquis crederet, bis duo esse quatuor, quia Deus revelasset, hoc ipse verum fidei actum eliceret; unde etiam plurima pertinent ad fidem tametsi hominibus evidentissima, qualia sunt facta historica, tum solis, lunae et stellarum existentia, quae quidem esse, Deus testificatus est in Scripturis. Falsum est ergo, actum fidei divinae non esse nisi de obscuris (3). »

(1) Hebr. 11, 6.
(2) Lib. 4 de Civ Dei, c. 20.

IV. *Conditio ad cognitionem Dei requisita.*

§ 12. Ut perfecta, quantum in hac vita fieri potest, Dei cognitio acquiratur, praecipue requiritur, ut anima, a terrenis affectibus et inordinatis passionibus purgata, et veritatis ac moralitatis amore repleta sit. Sicut enim oculi corporis vel vitio quodam infecti, vel fumo aut vaporibus circumdati obiecta materialia rite intueri haud valent, ita etiam oculi mentis obiecta spiritualia veritatesque divinas recte considerare nequeunt, si immodicis rerum terrenarum sollicitudinibus, inordinatis passionibus, aut pravis praeiudiciis obnubilentur. Ideo pro vera sapientia, quae a recta Dei cognitione procedit, et charitate Dei perficitur, inprimis puritas cordis exigitur. Sic dicitur: *Timor Domini principium sapientiae* (4). Sapiens ait: *Sentite de Domino in bonitate, et*

(3) Summa Theol. T. 1, p. 64 etc. ed. Ven.
(4) Prov. 1, 7. — Cf. Ps. 110, 10. Eccli 1 16

in simplicitate cordis quaerite illum: quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum: perversae enim cogitationes separant a Deo .... quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis (1). Hoc idem affirmat Apostolus scribens: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia* (2). Ex his declarari potest, qua de causa hinc inde ingenio valentes, et in aliis scientiis eminentes, sed aut concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitae contaminati, de Deo rebusque divinis rectos conceptus non proponant, aut etiam in graves errores impingant: — quapropter de antiquis Philosophis, et de Manichaeis dicit *S. Augustinus* (3): « Multa vera de creatura dicunt, et verum creaturae artificem non pie quaerunt, et ideo non inveniunt: aut si inveniunt, cognoscentes Deum non sicut Deum honorant, aut gratias agunt, sed evanescunt in cogitationibus suis, et dicunt se esse sapientes sibi tribuendo, quae tua sunt; ac per hoc student perversissima caecitate etiam tibi tribuere, quae sua sunt, mendacia scilicet in te conferentes, qui veritas es, et immutantes gloriam incorrupti Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis etc. » Ideo idem S. Doctor (4) de cognitione Dei loquens inquit: « Mentis humanae acies in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei emundetur. » Hoc idem sensit *Origenes*, qui (5) scribit: « Donec quis non se converterit ad intelligentiam spiritualem, est positum velamen super cor eius, quo velamine, i. e. intelligentia crassiore, Scriptura ipsa velari dicitur, vel putatur: et hoc est, ait, superpositum esse velamen vultui Moysis cum loqueretur ad populum (6), id est, lex vulgo recitaretur. Si autem convertamus nos ad Dominum, ubi est Verbum Dei, et ubi Spiritus sanctus revelat scientiam spiritualem, tunc auferetur velamen, et tunc revelata facie in Scripturis sanctis gloriam Dei speculabimur. » *S. Gregorius Naz.* (7) disserens de modo Deum recte cognoscendi, haec notatu dignissima profert: « Per integritatem vitae spiritualiter ascende, et per purgationem illum attingere et possidere stude, qui purissimus est. Si vis Theologus et scientia divina dignus fieri, observa mandata, et per haec ad sublimem finem tuum progredere: actio enim viam ad intelligentiam parat. » *Pietas* ergo quae *ad omnia utilis est* (8), praecipue pro recta Dei cognitione requiritur, ita ut pro hac iam in praesenti vita valeat dictum Christi: *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt* (9). — Ratio est, quia cognitio Dei praecipue per gratiam, quae supernaturaliter intellectum illustrat, adiuvatur et promovetur. « In tantum enim, ait S. Thomas (10), intellectus creatus divinam essentiam perfectius, vel minus perfecte cognoscit, in quantum maiori, vel minori lumine gloriae perfunditur. » Ut autem anima iam in statu vitae praesentis supernaturalis huius luminis radiis perfundatur, magna purgatione et praeparatione opus est. Quod egregie ostendit *S. Bonaventura* (11) dicens: « Qui-

(1) Sap. 1, 1 etc. (2) 1 Cor. 2, 14 etc.
(3) Lib. 5 Conf. c. 3.
(4) L. 1 de Trinit. c. 2.
(5) De Princip. c. 1. n. 2.
(6) Ex. 34, 33 etc. (7) Orat. 20, n. 12.
(8) 1 Tim. 4, 8. (9) Matth. 5, 8
(10) 1, q. 12, art. 7.
(11) Centiloq. p. 3, sect. 23.

Digitized by Google

cumque vult in Deum ascendere, necesse est, ut vitata culpa, deformante naturam, naturales potentias exerceat ad gratiam reformantem (et hoc per orationem), ad iustitiam purificantem (et hoc in conversatione), ad scientiam illuminantem (et hoc in meditatione), ad sapientiam perficientem (et hoc in contemplatione). Sicut igitur ad sapientiam nemo venit, nisi per gratiam, iustitiam et scientiam: sic ad contemplationem nemo venit, nisi per meditationem perspicuam, conversationem sanctam et orationem devotam. Sicut igitur gratia fundamentum est rectitudinis voluntatis, et illustrationis perspicuae rationis; sic primo orandum est nobis, deinde sancte vivendum, tertio spectaculis veritatis intendendum, et intendendo gradatim ascendendum, quousque veniatur ad montem excelsum ubi videatur Deus Deorum in Sion. »

CAPUT II.

DE DEI NOMINIBUS, ET ATTRIBUTIS IN GENERE

§ 13. Ad rectam rerum cognitionem acquirendam generatim earundem nomina et attributa considerare oportet. Nomina enim non solum necessaria sunt, ut determinatum de rebus sermonem instituere possimus, sed persaepe etiam harum qualitates iam etymologice nobis indicant. Multo magis autem accurata rerum cognitio promovetur, si easdem propius inspiciamus, et quaenam ipsis qualitates, seu attributa conveniant, sedulo indagemus. Simili modo etiam ad divini Numinis cognitionem procedimus, et ideo 1° *de divinis nominibus*, et 2° *de divinis attributis in genere* disserendum est.

ARTICULUS I.

De divinis nominibus.

§ 14. 1. Nullum dari nomen, quod supremi et infiniti Numinis naturam perfecte et adaequate exprimat, atque ideo Deum *ineffabilem* esse iam nonnulli inter ethnicos Philosophos agnoverunt; nam *Plato* (1), « Deo, ait, nullum inditum est nomen. Deus non potest definiri: quocirca neque nominari, neque dici » (2). *Plotinus* (3): « Deum, ait, reipsa esse ineffabilem, neque nomen ullum habere. Quidquid enim dixeris, aliquid tantum dices: quod enim est supra omnia supraque mentem augustissimam, inter omnia solum est verum, nec ullum aliud ipsius est nomen. » — Etiam *Philo*, Iudaeus, idem asserit (4), scribens: « Rationi consentaneum erat, nullum ei (Deo) proprium nomen imponi posse, quod revera est. Nonne vides, quemadmodum Prophetae rei veritatem studiosius inquirenti, quidnam nomen illius quaerentibus respondere oporteret, ita est locutus: *Ego sum, qui sum*, tanquam diceret: natura mea est esse, non dici. » — Ipsa S. Scriptura hoc idem confirmat dicens: *Quod nomen est eius, et quod nomen filii eius, si nosti* (5)? — Etiam Ss. Patres passim Deum ineffabilem pronuntiant. *Iustinus M.* (6) ait: « Fieri non potest, ut proprium aliquod Deo nomen tribuatur. » *Lactantius* (7), « Deo, inquit, nomen non est. » *Novatianus* (8) scribit: « Nomen Dei proprium edici non potest, quoniam non potest nec concipi. » *Attalus* Martyr, cum per contemptum tyrannus quaereret, quod nomen haberet Deus? respondit: « Qui plures sunt, nominibus decernuntur, qui autem unus est,

(1) In Parmenide. (2) Cf. de Republ. 6.
(3) Enn. 5. l. 3. cap. 3
(4) L. de Nomin. commut.

(5) Prov. 30, 4. (6) Cohort. ad Gent.
(7) L. 1 div. Inst. c. 6.
(8) L. 1 de Trin. c. 4.

Digitized by Google

non indiget nomine. » *S. Gregorius Naz.* (1) aperte dicit: « Deus nullo nomine exprimi potest; idque ostendunt non tantum rationes, sed etiam Hebraeorum doctissimi quique atque antiquissimi. » *S. Augustinus* (2) ait: « Deus ineffabilis est... quid quaeris, ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit? » — Ipsa sana ratio dictat, Deum sicut incomprehensibilem, ita etiam ineffabilem esse: nam nomina sunt signa conceptuum nostrorum: essentiam divinam non possumus comprehendere: ergo neque perfecte eam aliquo nomine exprimere.

2. Sicuti Deum, quem perfecte non comprehendimus, eatenus tamen cognoscimus, quatenus in nos agit, se nobis repraesentat, et se nobis manifestat, ita etiam eum, cuius essentiam adaequato nomine exprimere non valemus, talibus tamen nominibus insignire possumus, quibus ab omnibus reliquis entibus distinguatur. Ideo *Origenes* lib. 6 contra Celsum, qui dixerat, Deum nominari non posse, respondit: « Distinctione opus esse. Si enim eo sensu intelligitur, nihil ut in dictionibus, aut rebus significatis positum Dei proprietates exprimere possit, vere illud est dictum... Sin ita, nominare posse accipis, quatenus possumus nominibus quippiam, quod ad eum pertinet, exhibere, ut auditorem velut manu deducat, et de Deo nonnulla cogitare faciat, qualia potest hominis natura consequi, nihil absurdi est, si nominabilem illum esse dicimus. » Imo quia Deus multiplici modo in nos agit, se nobis repraesentat, et manifestat, variis eum nominibus insignire possumus. Quamobrem *Dionysius* (3) ait: « Deum ἀνώνυμον, et πολυώνυμον esse, » i. e. nomine proprio et adaequato carere, et tamen multis nominibus insigniri posse. Quamvis ergo « nihil digne de Deo humanus sermo dicit, » ut loquitur *S. Isidorus Hisp.* (4), « tamen, cum de illo nihil digne dici possit, inquit *S. Augustinus* (5), admisit humanae vocis obsequium, et verbis nostris in sua laude nos gaudere voluit. »

3. Varia nomina Dei nobis in ipsa S. Scriptura indicantur. Praecipua, quae in Ss. Bibliis V. T. leguntur, sunt sequentia: *Iehova*, quod iuxta communem opinionem designat essentiam Dei, et significat eum, *qui est* per excellentiam; quamquam non desint, qui eo vocabulo denotari velint fidelitatem Dei, eiusque constantiam in servandis promissionibus. Hoc nomen ita sanctum ab Hebraeis habebatur, ut illud pronuntiare non auderent, ac Deo ita singulare censebatur, ut nemini, nisi summo Deo tribui posset. Nomen Iehova abbreviatum est *Iah*, quod, ut ait *S. Hieronymus* (6), « in Deo tantum ponitur; et in Alleluia extrema quoque syllaba sonat: » *El*, quod a 70 per Θεός redditur, iuxta Aquilam fortem, iuxta alios benignissimum significat: *Elohim*, quod nonnulli Iudicem, alii cultu dignissimum reddunt, numerum pluralem praesefert: *Adonai* idem sonat ac Dominus, et a 70 ubilibet fere transfertur Κύριος, per excellentiam Deo tribuitur omnium supremo Domino: *Saddai* omnipotentem, seu sibi sufficientem denotat, eundemque fere sensum exhibet *Sabaoth*, Dominus exercituum, seu virtutum.—Graeca nomina, quae in N. T. occurrunt, tria sunt: Θεός, Deus, Κύριος, Dominus, et Δέσποτα, absolutus Dominus (7): ultimum hoc

(1) Orat. 36. (2) In Ps. 85.
(3) L. 1 de div. Nom. c. 1.
(4) L. 1 de summo bon. c. 1, n 4.
(5) L. 1 de doctr. chr. c. 6. (6) Ep. 136.
(7) Luc. 2, 39, Act. 4, 24.

Digitized by Google

nomen male sonat, si hominibus applicatur, quorum arrogantem et iniquam dominationem indicat; sed optime convenit Deo, qui solus est absolutus et independens Dominus.

4. In variis divinae Revelationis periodis etiam varia divina nomina frequentius usitata inveniuntur. In periodo patriarchali Deus plerumque sub nomine *Saddai*, vel *Elohin* exhibetur, quia se Patriarchis ut Auctorem et Rectorem mundi omnipotentem, et cultu dignissimum manifestavit. — In periodo mosaica Deus frequenter *Iehova* appellatur; dixit enim Deus ad Moysen: *Haec dices filiis Israël: Dominus Deus* (hebr. *Iehova*) *- misit me ad vos; hoc nomen mihi est in aeternum, et hoc memoriale meum in generationem, et generationem* (1); et: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac et Iacob in Deo omnipotente, et nomen meum ADONAI* (hebr. *Iehova*) *non indicavi eis* (2). Deus autem in hac periodo *Iehova* nuncupari voluit, quia Israëlitis essentiam suam iam propius manifestavit, legem scriptam eis concessit, et specialem de ipsis curam suscepit. Denique in periodo christiana persaepe Deus sub dulci nomine *Patris* exhibetur. Christus enim in celeberrimo sermone, in monte habito, omnibus acclamat: *Estote... perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est* (3), et ait: *Sic ergo orabitis: Pater noster, qui es in coelis* (4): in periodo enim christiana, in qua Deus per incarnatum Filium suum viscera misericordiae suae patefecit, non tam ut iudex timeri, quam potius ut pater amari vult: quapropter Paulus ait: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba* (*Pater*) (5). — Ut autem unus, idemque Deus auctor Revelationis in tribus periodis factae ostendatur, etiam in periodo patriarchali Gen. c. XIV, v. 12, c. XV, v. 7, et c. XXVII, v. 13, nomen *Iehova* occurrit, et in periodo mosaica quoque Deut. XXII, 3 etc.; Is. LXIII, 16; Malach. II, 10; Ier. XIII, 9; Deus Pater nominatur (6).

Nota 1. Quomodo nomen Dei *incommunicabile* pronuntiandum sit, non omnes conveniunt: *IAHO* effert *Clemens Alex.* (7). *IAVE Theodoretus* (8). *IEHUE Genebrardus* (9). *IOVA Angelus Caninius* (10). Post *Galatinum* communiter pronuntiatur *IEHOVA*. Nonnulli putant, ipsos Hebraeos hoc nomen vario modo scripsisse, et dum verum Deum significarunt, certum signum apposuisse. Sic *Origenes* (11) ait: « In Hebraeorum litteris nomen Dei diverse scribi dicitur. Aliter enim scribitur Deus quicunque Deus, aliter Deus ipse, de quo dicitur: *Audi Israël! Dominus Deus tuus Deus unus est*. Iste ergo Deus Israël, Deus unus et Creator omnium certo quodam litterarum signo scribitur, quod apud illos *Tetragrammaton* dicitur. » Idem sentiunt *S. Basilius* (12) et *S. Damascenus* (13). Id notatu dignum observant *Gonettus*, *Billuart*, *Berti* etc. apud omnes ferme Gentes Dei nomen esse tetragrammaton, i. e. ex quatuor litteris constans: sic apud Hebraeos *Iehova*, apud Graecos Θεός, apud Latinos *Deus*, apud Gallos *Dieu*, apud Italos *Iddio*, apud Hispanos *Dios*, apud Germanos *Gott*, apud Anglos et Flandros *Gode*, *Goth*, seu *Goët*, apud Aegyptios *Theu*, apud Persas *Syre*,

(1) Ex. 3, 15. (2) Ex. 6, 3.
(3) Matth. 5, 48. (4) Ibid. 6, 9.
(5) Rom. 8, 15. (6) Cf. Dobmayr l. c. § 13 Staudenmayr l. c. § 31-36.

(7) Strom. 5. (8) Quaest. 15 in Exod
(9) In Ps. 82 (10) De loc. Hebraic. c. 1
(11) Hom. 14 in Num.
(12) Ep. ad Amphil.
(13) L. 1 Select. lit. 1.

Digitized by Google

apud Magos *Orsi*, apud Armenos *Vors*, apud Arabes et Turcas *Alla*.

Nota 2. Cum Nomen Dei *admirabile* (1), *sanctum et terribile* (2) dicatur, opus omnino est, ut cum reverentia pronuntietur (3), cum gratitudine laudetur (4), et cum confidentia invocetur(5). Graviter *S. Chrysostomus* (6) Christianos reprehendit, Nomini divino debitam reverentiam non exhibentes: « Nescitis, ait, quid sit Deus, et quo ore sit appellandus. Verum si forte de aliquo probo et honesto viro loquimur, dicere solemus: ablue prius os tuum, quam illum nomines. Ac nomen illud pretiosum, quod nomine omni praestantius est, quod per totam terram admirabile est, quod audientes daemones horrescunt, promiscuo in usu ferimus. O consuetudinem! inde enim contemptum esse coepit... Nonne cum Deus nominatur, horror quidam invadere nos deberet? Atqui apud Iudaeos tam augustum illud nomen fuit, ut in laminis inscriberetur, nec ulli gestare fas esset, nisi summo Pontifici. Nunc autem velut rem aliquam despicabilem, nomen ipsius circumferimus. »

ARTICULUS II.

De divinis attributis in genere.

§ 15. Si homines et caetera entia creata propius consideramus, varia in iisdem attributa, seu varias qualitates detegimus, quae ipsis insunt, ipsorumque naturam et indolem afficiunt et determinant. Simili modo etiam in Deo varia attributa distinguimus. Ipsa S. Scriptura varias Deo perfectiones adscribit, e. g. immensitatem, omnipotentiam, sapientiam, etc. In iisdem declarandis et collaudandis Ss. Patres sat frequenter occupantur, et etiam veri nominis Philosophis persuasum est, supremo Numini, quo nihil maius meliusque cogitari potest, omnes perfectiones, attribuendas esse.— Sicuti autem tum homines, tum caetera entia creata eo perfectius cognoscere dicimur, quo melius eorundem attributa, seu qualitates perspicimus, ita etiam de Deo, quamvis, prout in se est, comprehendi non possit, tamen eo perfectiorem nobis cognitionem comparamus, quo magis exactas de ipsius attributis notiones in mente nostra procreare studemus. Summi idcirco momenti sedula divinorum attributorum consideratio dicenda est. Ut autem haec recte suscipiatur, aliqua de divinis attributis in genere praenotanda sunt. Ostendendum nimirum est: 1° *Attributa divina inter se, et ab essentia realiter non distingui*, et ideo ulterius investigandum venit; 2° *Quomodo nihilominus a nobis distinguantur*: et 3° *Qua ratione dividantur*.

Nota. Dum hic de divinorum attributorum distinctione sermo instituitur, de iis tantum agitur, quae *absoluta* dicuntur, et ad naturam divinam referuntur. De iis, quae relativa nuncupantur, et ad personas referuntur, in sectione secunda sermo erit.

I. *Nulla datur inter Dei attributa et essentiam distinctio realis.*

§ 16. Distinctio est negatio identitatis; ea enim distinguuntur, quae non sunt idem. Aliquid autem potest non esse idem cum alio, vel in se, vel in conceptu nostro. Si in se aliquid unum, seu idem cum alio non sit, tunc distinctio, quae intercedit inter duo, vel plura, dicitur *realis;* si autem aliquid unum cum alio non sit solummodo in conceptu nostro, tunc dicitur distinctio *rationis* seu *mentalis* vel *cogitationis*. — Iam si de attributis divinis sermo est, haec neque

(1) Ps. 8, 1. (2) Ps. 111, 9.
(3) Ex. 20, 7. (4) Ps. 112, 1 etc.
(5) Ps. 33, 21. (6) Hom. 9 in Act.

Digitized by Google

inter se, neque ab essentia divina realiter distinguuntur; sed omnia quae de Deo praedicantur attributa sunt una, eademque simplicissima essentia divina: ergo scientia Dei realiter non distinguitur ab eius voluntate, nec Dei aeternitas ab eius immensitate: immo cum aliquod attributum Dei concipitur, Deus ipse cogitatur, ita ut omni iure dici possit omnipotentia in Deo Deus est; iustitia Dei Deus est; voluntas Dei Deus est, etc. Huius autem doctrinae veritas probatur.

1° *Ex S. Scriptura*, in qua attributa divina etiam in abstracto sumpta ita enuntiantur, ut clare appareat ipsa, unum idemque cum divina essentia, seu ipsum Deum esse. Sic Deus dicit: *Ego sapientia habito in consilio* (1). Christus de se ipso ait: *Ego sum via, et veritas, et vita* (2). In eodem sensu Paulus inquit: *Praedicamus.... Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam*(3); legitur: *Deus charitas est* (4): quibus in locis Deus non tantum dicitur vivens, verus, sapiens, potens, amans in concreto, sed vita, veritas, sapientia, virtus, seu omnipotentia, et charitas in abstracto: ergo haec attributa realiter a Deo non distinguuntur, sed sunt ipsa essentia divina, ipse Deus.

2° *Ex Traditione*. Attributa divina realiter neque inter se, neque ab essentia divina distingui, Ss. Patres docent. *S. Athanasius* (5) scribit: « Cum has voces audimus, Pater, Deus, Omnipotens, nihil aliud quam eius, qui est, substantiam indicari concipimus. » *S. Gregorius Nyss.* (6) aperte tradit: « Deus, cuius natura bonitas est: dico ipse, quodcunque naturae esse intelligitur, idipsum et est et nuncupatur. » *S. Basilius, Gregorius Naz., Cyrillus Alex.* et alii, dum Eunomium impugnant, longe absunt ab asserenda reali inter divina attributa et divinam essentiam distinctione, sed id tantum strenue defendunt, varia Dei attributa mente nostra, seu, ut ipsi loquuntur, κατ' ἐπίνοιαν, i. e. cogitatione distingui (7). *S. Augustinus* (8) ait: « Deus magnus est, sed se ipso magnus est: quia ipse sua est magnitudo. Hoc et de bonitate, et de aeternitate, et de omnipotentia dictum sit, omnibusque omnino praedicamentis, quae de Deo possunt pronuntiari. » Et (9) dicit: « Deo hoc est esse, quod fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse, et si quid de illa simplici multiplicitate et multiplici simplicitate dixeris, quo substantia eius significetur. » Et (10) scribit: « Nefas est dicere, ut subsistat, et subsit Deus bonitati suae, atque illa bonitas non substantia sit, vel potius essentia, neque ipse Deus sit bonitas, sed in illo sit tanquam in subiecto. » Et (11) ait: « Voluntas enim et potentia Dei Deus ipse est. » *S. Gregorius M.* (12) inquit: « Deus hoc est: quod aeternitatem habet, et ipse est aeternitas... non est ergo in illo aliud esse, et aliud habere. » *S. Fulgentius* (13) ait: « Claret, hoc esse catholicae veritatis, ut cum in Deo divinitatem, magnitudinem, bonitatem, virtutem nominamus.... non in istis diversis nominibus quaedam diversa... sed unum illud, quod est essentia vel natura, certissime noverimus. » *S. Anselmus* egregie ostendit discrimen inter attributa, quae Deo, et quae homini insunt, dum (14) scribit: « Quoniam homo

(1) Prov. 8, 12. (2) Io. 14, 6
(3) 1 Cor. 1, 24. (4) 1 Io. 4, 8.
(5) L. de syn. n. 35. (6) L. de vita Moys.
(7) V. Petav. de Deo l. 1, c. 7 et seq. et l. 2, c. 7. (8) L. 5 de Trin. c. 10.
(9) L. 6 de Trin. c. 4
(10) L. 7 de Trin. c. 5.
(11) L. 7 Confess. c. 4.
(12) L. 10. Mor. c. 20.
(13) In Resp. ad Ferrand. Int. 2.
(14) L. 1 ad Trasim. c. 4.

non potest esse iustitia, iustitiam autem habere potest. Non enim intelligitur homo existens iustitia, sed babens iustitiam. At summa natura non proprie dicitur iusta, quia habet institiam, sed existit iustitia (ut idem sit iustam eam dicere, ac esse iustitiam). Quare illa est summa essentia et summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulcritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa aeternitas, summa potestas, summa unitas, quod non est aliud, quam summe ens, summe vivens, et alia simpliciter. » S. *Bernardus*, qui eandem doctrinam contra Gilbertum Porretanum acerrime propugnavit (1), scribit: « Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris in hoc verbo instauratur, quod est, *Est*. Nempe hoc est ei esse, quod haec omnia esse. » Denique *Concilium Rhemense*, praesidente et adprobante *Eugenio III*, damnavit tanquam erroneam sententiam Gilberti qui essentiam ab attributis, vel saltem divinitatem ab ipso Deo realiter distinxit, et sequentem fidei formulam proposuit: *Credimus et confitemur, simplicem naturam Deitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin Divinitas sit Deus, et Deus Divinitas.*

3° *Ex ratione*. Si attributa divina realiter inter se, vel ab essentia divina distinguerentur; per se et seorsum spectari possent, et ideo quaerendum esset, an sint infinita, an non? — Si dicerentur infinita, tot statuerentur entia infinita, realiter distincta, quot numerantur attributa; si autem negarentur infinita, Deo adscriberentur attributa finita et limitata, et sic notio entis infinite perfecti everteretur. Admissa ergo reali inter attributa divina distinctione, vel plures Dii statuerentur, vel etiam unus Deus e medio tolleretur. — Simili argumentatione iam S. *Bernardus* Gilberti errorem profligavit: ait enim (2): « Recedant a nobis novelli non dialectici, sed haeretici, quia magnitudinem, qua magnus est Deus, et item bonitatem, qua bonus est, sed et sapientiam, qua sapiens est, et iustitiam, qua iustus; postremo Divinitatem, qua Deus est, Deum non esse impiissime disputant. Divinitate, inquiunt, Deus est, sed Divinitas non est Deus. Sed si Deus non est, quid est? — Aut enim Deus est, aut aliquid, quod non est Deus, aut nihil. Equidem non das Deum esse, sed ne nihilum quidem, ut opinor, dabis. Quod si aliquid est, quod non est Deus, aut minor erit Deo, aut maior, aut par. At quomodo minor, qua Deus est? restat ut maiorem fatearis, aut parem. Sed si maior: ipsa est summum bonum, non Deus; si par, duo sunt summa bona, non unum: quod utrumque catholicus refugit sensus. Iam de magnitudine, bonitate, iustitia sapientiaque idem per omnia, quae de Divinitate sentimus, unum in Deo sunt, et cum Deo.

Nota. Circa propositam doctrinam varii aberrantes recenseri possunt. *a*) *Athenagoras* (3) primus errasse circa distinctionem attributorum videtur Petavio (4); siquidem bonitatem tanquam accidens, realiter distinctam a natura divina asseruerat: excusari autem ille potest, si, quae scripsit, non aliter intellexit, quam quod bonitas *externa*, quae se diffundit in

(1) L. 5 de Consid. c. 6.
(2) Serm. 8 in Cant. n. 6.

(3) In Legat. pro Christ.
(4) L. 1 de Deo, c. 7.

creaturas, a nobis ut necessaria non concipiatur, prouti ipsae creaturae non ut necessariae a nobis concipiuntur. Meliori iure praefati erroris ab eodem Petavio reus agitur *Theodorus Mopsuestenus*. *b*) Saeculo XII *Gilbertus Porretanus*, Episcopus Pictaviensis dicebat, Divinitatem non esse Deum, sed formam qua Deus est, sicut humanitas non est homo, sed forma, qua homo est: ideo multi, auctoritati S. Bernardi innixi, dicunt, eum docuisse, attributa divina tum inter se, tum ab essentia divina realiter distingui: sed tamen non desunt, qui Gilbertum excusandum vindicandumque putent cum Laurentio Berti (1). Ipse autem Gilbertus definitioni Concilii Rhemensis subscripsit, et errorem suum revocavit, teste Ottone Frising (2). *c*) Saeculo decimoquarto nonnulli *Graeci*, qui dicti sunt *Palamitae*, a principali suo defensore *Gregorio Palamo*, primum monacho, postea Episcopo Thessalonicensi, praeter alias, quas asserebant, absurditates, distinguebant etiam secundum rem inter essentiam divinam et eius operationes. Operationum autem nomine intelligebant non solum eas, quas dicimus transeuntes, ut sunt creatio, gubernatio etc., sed etiam eius attributa ut bonitatem, sapientiam, iustitiam etc. quae asserebant reipsa ab essentia divina distingui et esse minora, licet coaeterna, sicut, inquiebant, splendor solis non est substantia solis, licet ipsi coaevus. Absurdus hic error ab Ecclesia catholica iam proscriptus, a Graecis schismaticis in quatuor Conciliis Constantinopoli habitis confirmatus est, et *Barlaamus* Monachus, postea Ieracensis in Calabria Episcopus, et alii veri dogmatis strenui defensores damnati sunt (3). *d*) *Socinianos* quoque et *Arminianos*, realem inter divina attributa distinctionem admittere, ostendit Cl. *Wiest* (4).

(1) L. 2 Disc. theol. c. 2.
(2) L. 1 de gestis Frider. 1, c. 50 etc.
(3) Cf. Petavium l. 1, c. 12 et 13.
(4) Tom. 4, § 52.

II. *Quomodo attributa divina a nobis distinguantur.*

§ 17. Quamvis attributa divina inter se realiter non distinguantur, nihil tamen obstat, quominus ea nostro cogitandi modo distinguamus, et ut distincta concipiamus. Talis distinctio rationis, vel mentalis, seu cogitationis necessario pro nobis admittitur. Cum enim limitata nostra mente Deum infinitum uno et simplici intuitu conspicere nequeamus: eundem sub vario respectu, et quasi per partes consideramus, et varia in ipso attributa distinguimus. Fundamentum huius distinctionis mens nostra invenit in ipsa essentia divina, quae licet una et simplicissima sit, tamen etiam infinita est, ideo, ut loquuntur Theologi, multis distinctis entitatibus ob naturae suae praestantiam et excellentiam aequivalet, varias habet operationes et relationes, ac sub vario respectu se nobis repraesentat et manifestat. Quapropter eandem simplicissimam essentiam divinam, quatenus initio, fine et tempore caret, *aeternam*; quatenus loco non circumscribitur et spatium non occupat, *immensam* dicimus. Sic pariter eidem simplicissimae essentiae divinae, quia omnia creat et conservat, *omnipotentiam;* quia omnia intuetur, *omniscientiam;* quia creaturis beneficia praestat, *bonitatem;* quia omnia suaviter disponit, *sapientiam;* quia peccata punit, *iustitiam* etc. adiudicamus. — Ipsa S. Scriptura, se captui humano accommodans, varia divina attributa distinguit, et de uno sim-

Digitized by Google

plicissimo Deo modo Omnipotentiam in creando, modo Sapientiam in gubernando, modo Veracitatem in dicendo, modo Iustitiam in puniendo, modo Misericordiam in condonando etc. praedicat, uti ex dicendis in capite sequenti apparebit. Ideo Ss. Patres attributorum divinorum distinctionem, quae fit κατ' ἐπίνοιαν, i. e. cogitatione, seu in conceptu nostro, non solum adprobarunt, sed et necessario a nobis admittendam esse docuerunt. Sic *S. Basilius* (1) inquit: « Qui enim ridiculum non est, si quis procreandi vim ipsam dicat esse essentiam, itidem praescientiam, ac denique efficientiam omnia essentiam esse statuat? Quod si omnia haec ad unum significatum pertineant, necesse est, ut idem inter se valeant nomina, sicut fit in iis, qui multis nominibus appellantur, uti cum Simeonem, et Petrum, et Cepham eundem hominem esse dicimus. Quare si quis audit, inalterabilem esse Deum, ad ingenitum cogitationem subducet; et qui audit invisibilem ad creandi virtutem deferetur: qua confusione quid unquam absurdius fiet, quam si cum propriam cuiuscunque nominis potestatem abstuleris, contra communem consuetudinem et doctrinam Spiritus leges ponas? — Nonne cum de Deo audiamus, quod in Sapientia omnia fecit, conditricem tunc eius artem docemur? - cum autem, quod aperit manum eius, et implet omne animal benedictione, providentiam eius, quae per omnia transit? - cum vero quod posuit tenebras latibulum suum, invisibilis naturae eius admonemur? cum rursus e persona ipsius Dei dicitur: Ego sum, et alteratus non sum, identitatem aeternam, incommutabilitatem divinae substantiae discimus? - Quomodo igitur non fuerit manifestae insaniae, si dicas, proprium unicuique nomini significatum non subesse? » *S. Gregorius Nyss.* (2) ait: « Quis ignoret, divinam quidem naturam - esse unam, atque compositionis expertem, nec ullo modo in vana quadam compositione spectari, - humanam vero animam, humi iacentem, quoniam non potest, quod quaeritur, liquido perspicere, per multas notiones ad inexplicabilem naturam diverse et multipliciter contendere, non una aliqua cogitatione, quod latet, indagantem (3). » *S. Augustinus* quoque idem docet, dum (4) scribit: « Deo hoc est esse, quod fortem esse, aut iustum esse, aut sapientem esse, et si quid de illa simplici multiplicitate et multiplici simplicitate dixeris, quo substantia eius significetur. » Optime hic S. Doctor substantiam divinam simplicem multiplicitatem, et multiplicem simplicitatem nominat, quod sit reipsa simplex, ratione vero, et nostro intelligendi modo multiplex. *S. Thomas* hac de re ita disserit (5): « Quod est causa alicuius, habet illud excellentius et nobilius: unde oportet, quod omnes nobilitates omnium creaturarum inveniantur in Deo nobilissimo modo, et sine ulla imperfectione; et ideo, quae in creaturis sunt diversa, in Deo propter summam simplicitatem sunt unum. Sic ergo dicendum est, quod in Deo est Sapientia, Bonitas, et huiusmodi, quorum quodlibet est ipsa divina essentia, et ita omnia sunt unum re. Et quia unumquodque eorum est in Deo secundum sui verissimam rationem, et ratio Sapientiae non est ratio bonitatis, in quantum huiusmodi, relinquitur,

(1) L. 1, c. Eunom.
(2) Adv. Eunom. l. 12.
(3) Cf. Gregor. Naz. Or. 35, Cyrill. Alex. l. 11, Thesauri c. 11.
(4) L. c.
(5) In 1 Sent., Dist. 2, q. 1, a. 2.

quod sint diversa ratione, non tantum ex parte ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei. » Quae S. Thomae doctrina, ait *Gazzaniga* (1), ita potest etiam exponi: Sapientia secundum suam rationem, seu conceptum non est bonitas; ergo inter se differunt; non differunt autem reipsa, cum in Deo omnia sint unum et idem, ergo cogitatione saltem distinguuntur. Ex hac ratione nomina, quibus attributa divina significantur, ut docet *S. Thomas* (2), inter se synonima dici non possunt; quamvis enim omnia essentiam divinam indigitent, tamen secundum rationes diversas, seu sub vario respectu eandem nobis proponunt. Id exemplo declarari potest: nomina Simon, Petrus, Cephas synonima sunt: sed si dicatur: Filius Ionae, frater Andreae, piscator, discipulus Christi, princeps Apostolorum, claviger regni coelorum etc., haec nomina synonima non sunt, quia eundem quidem hominem, sed sub vario respectu nobis repraesentant. Ex eadem ratione varia, quae de Deo praedicantur attributa, synonima non sunt, quod alio argumento confirmat *D. Billuart* (3), dicens: « Plura synonima sibi invicem adiuncta nugationem faciunt, sicut si dicatur: vestis, indumentum, vel ensis, gladius etc., atqui admitti non potest, quod Scriptura nugetur, cum dicit: *Fortissime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi* (4): similiter alibi: ergo » etc.

Nota 1. *Anomaei* omnem etiam cogitationis, inter naturam Dei eiusque attributa, distinctionem sustulerunt: illorum duces erant saeculo quarto *Aëtius* et *Eunomius*, qui cum iactitarent, se tam perfectam habere de Deo notitiam, quantam ipse de se habet, finxerunt, ad hunc errorem tuendum, nullatenus distingui attributa a se invicem, et ab essentia, quam in *ingenito* reponebant: unde cum Deum ingenitum se cognoscere profiterentur, consequenter se plene Deum cognoscere iactitabant. Hunc autem errorem ideo propugnarunt, ut divinitatem Filii negarent; si enim essentia Dei in eo reposita est, quod ingenita sit, ergo Filius, qui est genitus, Deus esse non potest (5).

Nota 2. *Theologi Scholastici* in eo consenserunt, quod inter divina attributa et Dei essentiam realis distinctio non detur. Distinctionem vero, quae fit cogitatione et conceptu nostro, duplicem admiserunt; unam vocarunt *rationis ratiocinantis*, quae fit per mentem sine ullo in re fundamento, alteram *rationis ratiocinatae*, quae fit per mentem cum fundamento in re. Circa priorem non inepte Cl. *Liebermann* (6) dicit: « Videtur mihi, eiusmodi distinctionem, quae fundamentum non haberet, potius distinctionem fore *rationis non ratiocinantis*. » Sed tamen non defuerunt, qui hanc adoptarent, aliis posteriorem distinctionem, sed etiam non eodem prorsus modo, assumentibus. Ideo *Scholastici* in varias sententias abierunt. *a*) *Nominales* solam distinctionem rationis ratiocinantis admittunt inter Dei essentiam eiusque attributa absoluta, quae ideo dicunt varia dumtaxat nomina, eandem omnino rem sub eadem intrinseca formalitate significantia. Quamvis autem nullum admittant *intrinsecum* (in ipsa essentia divina subsistens) distinctionis fundamentum, tamen, duce potissimum *Gregorio Ariminensi*, Augusti-

(1) Prael. theol. t. 1, diss. 2, n. 104.
(2) 1 Summ. q. 13, art. 4.
(3) T. 1, diss. 4, art. 11. quaest. 3.
(4) Ier. 33.
(5) Cf. Greg. Nyss. Or. 12 c. Eunomium, et S. Epiphan. Haer. 76. (6) C. 2, a. 3, obs. 1.

niano, qui saeculo 14 floruit in Academia Parisiensi, admittunt extrinsecum distinctionis fundamentum, quia, aiunt, attributa, quamvis in se ipsis non distinguantur per mentem, distinguuntur tamen aliquo modo *ratione connotati*, i. e. ratione effectus, quem respiciunt; cum enim alius sit, e. g., iustitiae et misericordiae effectus, ratione istorum effectuum, quos connotant, iustitia et misericordia distinguuntur. Hanc sententiam cum aliis Augustinianis sequitur et defendit etiam Cl. *Berti* (1). — Nonnulli autem cum *Petavio* (2) Nominalium sententiam Aëtii et Eunomii erroribus implicari pronunciant; sed perperam, tum quia Nominales sibi non adscribunt tam perfectam Dei cognitionem, quam iactitabant Eunomiani; tum quia admittunt, ratione connotatorum, seu effectuum mentaliter distingui attributa, et horum nomina ideo synonima non esse; tum denique, quia asserunt, attributa relativa, quae concernunt divinas personas, inter se esse realiter distincta, quod penitus negavit Eunomius (3). *b*) *Thomistae* inter Dei attributa eiusque essentiam adstruunt distinctionem *virtualem*, quam sic explicat et comprobat D. Billuart (4): « Ea dicuntur distingui virtualiter, quae, quamvis sint in se res simplicissima, aequivalent tamen pluribus realiter distinctis, et diversos producunt effectus, unde praebent intellectui nostro fundamentum formandi distinctos conceptus inadaequatos quasi rerum reipsa distinctarum, ex quo resultat in mente distinctio quaedam, quae dicitur rationis ratiocinatae, seu cum fundamento in re: atqui in Deo attributa, relationes et essentia sunt una res simplicissima, ut constat ex dictis, aequivalens tamen pluribus realiter distinctis in creaturis diversos producens effectus, indeque praebens intellectui nostro fundamentum, diversos de ea conceptus inadaequatos formandi, ex quo resultat in intellectu distinctio rationis cum fundamento in re: ergo etc. — Haec itaque distinctio, prout spectatur in re, dicitur virtualis, quia virtute est realis, et illi aequivalet, prout spectatur in mente, dicitur rationis ratiocinatae, seu cum fundamento in re. » Pro eadem distinctione virtuali decertant *Hon. Tournely*, *Charmes*, et alii. *c*) Iuxta *Scotistas* triplex datur distinctio realis, nimirum maior, minor et minima, seu formalis. Distinctio realis maior inter ea intercedit, quae vel a se invicem separantur, ut Petrus et Paulus, vel separari possunt, ut corpus et anima, vel relative opponuntur, ut pater et filius. Realis minor est inter rem, et eius modum, ut inter Petrum et eius sessionem, vel inter duos modos, ut inter sessionem et stationem: dicuntur modi, quia sunt minutae entitates, quae quamvis sine subiecto esse non possunt, subiectum tamen potest esse sine illis, unde ab eo dicuntur *modaliter* distingui. Realis minima, seu formalis est inter ea, quae, quamvis unam et eandem habeant existentiam, distinctas nihilominus habent ex natura sua rationes, seu formalitates, qualia sunt e. g. in homine animalitas et rationalitas, in Deo iustitia et misericordia etc. Iam Scotistae concedunt, inter attributa divina non dari distinctionem maiorem, vel minorem, sed tamen dicunt, admittendam esse distinctionem minimam formalem, quae etiam *Scotistica* dici solet. Nam, ait *L'Herminier*, acerrimus huius distin-

(1) T. 1, l. 2, c. 3, prop. 2.
(2) L. 1, c. 8, n. 8
(3) Cf. Berti l. c. op. ult.
(4) T. 1, diss. 2, art. 3.

Digitized by Google

ctionis defensor: « Ea distinguuntur formaliter ex natura rei, quae cum sint unius eiusdemque entitatis perfectiones plane inseparabiles, tamen diversimode concipiuntur: sed attributa Dei, licet sint unius eiusdemque Dei perfectiones plane inseparabiles, tamen diversimode concipiuntur, ita ut sine maxima absurditate confundi non possint; nemo quippe confundere potest, et promiscue accipere iustitiam Dei et eius misericordiam, quasi sint unum idemque attributum; sicuti nec sine maxima absurditate confundere potest intellectum cum voluntate, quasi sint una eademque facultas; quis enim dixerit, Deum parcere per suam iustitiam, et plectere per suam misericordiam, cognoscere per suam voluntatem, et amare per suum intellectum? - ergo attributa Dei distinguuntur formaliter ex natura rei (1). » — Haec scotistica distinctio a multis impugnata, et teste *Gersone* ab Academia Parisiensi damnata fuit (2). *Petavius* (3) Scotistarum opinionem aut nihil, aut parum a damnato Gilberti errore discrepare contendit. « Verum, optime ait Cl. *Wiest* (4), bona pace tanti viri dixerim in ore Theologi catholici turpissimam esse accusationem eiusmodi, quae celebri et optime meritae inter Catholicos scholae, ubi Ecclesia tacet, per consequentiam doctrinam haereticam imputare, aut eam saltem de fide suspectam reddere conatur. Mallem potius sententiam Scotistarum dicere opinionem obscuram, et speculationem scholasticam, qua, uti infinitis aliis Antiquorum speculationibus, sine detrimento carere possumus. Sufficiat nobis cogitatione a se invicem distinguere attributa divina ad maiorem eorum intelligentiam, quacumque demum ratione distinguantur. » Merito etiam cum *Klüpfel* (5) dici potest, totam hanc Scholasticorum disceptationem ad meram logomachiam attinuisse. Omnes enim, negata distinctione reali, admiserunt, attributa divina distingui, quia eadem divina essentia pro infinita sua excellentia varia operatur, varios effectus producit, et sub vario respectu se menti nostrae repraesentat et manifestat: hanc vero distinctionem, quae fit cogitatione, variis terminis expresserunt (6).

III. *Quomodo attributa divina dividantur.*

§ 18. Sicut distinctio, ita et divisio attributorum divinorum κατ' ἐπίνοιαν, seu cogitatione fit, et a mente nostra repetitur, quae Deum varie modo se manifestantem sub vario respectu considerat. Omnia enim attributa divina sunt una eademque simplicissima essentia, quae in se indivisibilis est. Inconcussum hoc principium semper ante oculos habendum est, ut divinorum attributorum divisiones recte intelligi et apte applicari possint. Praecipuae autem divisiones, quibus Theologi, vel antiquiores vel recentiores, usi sunt, sequentes recenseri possunt.

1. Attributa divina dividuntur in *absoluta* et *relativa*. Absoluta dicuntur, quae divinae naturae in se spectatae conveniunt, ita ut sine illis Ens perfectissimum a nobis cogitari non possit. Sub hoc conceptu etiam omnipotentia, omniscientia, iustitia, misericordia etc. inter attributa absoluta numerantur, quamvis praefata attributa a nonnullis (7) *relativa* dicantur, ab aliis vero (8), ne confusio

(1) T. 1, pag. 83 ed. Venet.
(2) V. Tournely t. 1, p. 159, ed. Venet.
(3) L. 1 de Deo, c. 8.
(4) T. 1, § 53 in not. (5) L. 1, § 7 in not.
(6) Cf. Perrone Tr. de Deo, p. 2, c. 1, Kuhn Cath. dogm. 1, l. 2, cap. § 24.
(7) Klüpfel § 8, Klee c. 2, art. 3.
(8) Perrone n. 193.

Digitized by Google

fiat, *respectiva*, utpote quae ad operationes referantur. Sed quia in ente rationali potentiam, sapientiam, iustitiam, misericordiam etc. concipere possumus, quin tales perfectiones, e. g. deficiente occasione, actu exerceantur; has vero Enti perfectissimo absque conditione et limitatione necessario adscribimus, merito talia attributa a nobis *absoluta* dicuntur. Attributa *relativa* appellantur, quae ad alia referuntur, et quidem vel ad divinas personas, ut Paternitas, Filiatio et Spiratio, vel ad res creatas, ut Creator, Conservator, Gubernator etc., quapropter attributa relativa in *interna* et *externa* subdividi solent (1).

2. Alia attributorum divinorum divisio est in *non operativa*, etiam *quiescentia*, seu *immanentia* dicta, quae a nobis sine ulla operatione concipiuntur, et in *operativa*, quae a nobis cum operatione concipiuntur.

3. Satis frequenter in Theologis invenitur divisio attributorum Dei in *negativa* et *positiva*, seu *affirmativa*, quamvis non desint, quibus attributa negativa, quae non quid rei insit, sed quid rei desit, enuntiant, contradictoria videantur. Sed notandum est, quod haec divisio solum ex modo repetitur, quo ad comparandam nobis Dei cognitionem tendimus (Cf. § 11, n. 1). Ad hoc vero *viam negationis* plurimi commendant. « Non enim, ait *S. Augustinus* (2), parva est inchoato cognitionis Dei, si antequam possimus nosse, quid sit, incipiamus iam nosse, quid non sit. » Et *S. Cyrillus Alex.* (3) inquit: « Dupliciter ea, quae substantive naturae divinae conveniunt, ornamenta significare consuevimus. Vel enim ex iis, quae est ipse, vel ex iis, quae non est, semper a nobis cognoscitur. » Neque putandum est, attributa negativa, quae de Deo praedicantur, in mera privatione consistere, et solum, quid Deus non sit, enuntiare, cum potius summas Dei perfectiones excellentissimo modo proponant. Deo enim, utpote Enti infinito, denegari non possunt nisi limites et defectus, quos denegare idem est, ac summam perfectionem affirmare: sic, e. g. dum Deus dicitur *sine initio* et *sine fine*, optime de ipso τὸ *semper Esse* affirmatur; quia e contrario, quod initium habet, non semper fuit, et quod finem habebit, non semper erit. Ideo *Dionysius Areop.* (4) ait: « Oportet in ipsa (divina essentia) omnes omnium rerum affirmationes asseverare et ponere, tanquam omnium causa, et easdem magis proprie negare, tanquam quae supra omnia sit: nec existimandum est, contrarias esse negationes affirmationibus: quin potius multo prius esse ipsam primam causam, supra privationem, cum sit supra omnem et ablationem et positionem. » Eadem alibi docet (5), quod exponens *S. Maximus* observat: « Privationes in Deo efficaces esse positiones affirmantium. Quae etsi eius quod non est, notionem habere videntur, in Deo tamen, qui substantiam omnem et essentiam superat, ac nihil est eorum, quae sunt, excellentiam significant. » Idem argumentum expositum est a *S. Io. Damasceno*, qui (6) « convenientius esse dicit, ita de Deo praedicare aliquid, ut ei omnia detrahantur. Quippe nihil est eorum quae sunt, non ut nihil sit, sed ut sit supra omnia, quae sunt: imo vero supra ipsum esse. » Optime igitur indigita-

(1) V. Gezamga t. 1, dissert. 3 in princ. Dobmayr § 25.
(2) Ep. 19 ad Consent. c. 3.
(3) Dial. 1.
(4) De Myst. Theol. c. 1.
(5) L. de div. Nom. c. 4.
(6) L. 1 orth. fid. c. 3.

tam hic divisionem proponit *Hon. Tournely* dicens (1): « Attributa *negativa* vocantur ea, quae removent a Deo imperfectiones, summamque in eo perfectionem, positivis terminis vix explicandam, designant, ut esse infinitum, esse immensum etc. — Attributa *affirmativa* ea dicuntur, quae per viam affirmationis et terminis affirmativis de Deo praedicantur, ut bonitas, iustitia, intellectus, voluntas etc. » Graviter ergo hallucinantur illi, qui putant per attributa divina, quae a Theologis negativa appellantur, meram negationem indigitari, et nonnisi *vacuum* in anima relinqui, cum per terminos negativos, qui recte adhibentur, potius contrarium contingat, quia negatio limitum et defectuum summae perfectionis affirmatio est (2). Observandum tamen hic venit ad recte cognoscenda attributa divina non ea tantum, quae negativa dici solent, sed etiam illa, quae sub nomine affirmativorum veniunt, per viam tum negationis, tum affirmationis procedendum esse, uti in capite sequenti apparebit: qua de causa allata divisio pro systematica attributorum divinorum tractatione non satis apte applicari posse videtur.

4. Inter recentiores Cl. *Dobmayr* attributa divina dividit in *metaphysica*, in quibus ratio possibilitatis totius universi invenitur, in *physica*, quae causam existentiae huius universi exhibent, et in *moralia*, quibus ratio finis ultimi, quae in Deo esse debet, clarius explicatur. — Attributa metaphysica repetit ex idea Absoluti-perfectissimi et infiniti, ac subdividit in *positiva*, vi quorum Deus est ens verum et vivum, ens a se, et necessarium, ens entium, seu pater totius universi; atque in *negativa*, ad quae refert aeternitatem, independentiam et immutabilitatem. Nomine attributorum physicorum veniunt intellectus infinite perfectus, voluntas infinita et omnipotentia, quibus adiunguntur omnipraesentia et immensitas. Inter perfectiones morales praecipuas recenset sapientiam, sanctitatem, bonitatem et iustitiam. Divisionem istam paulo immutatam proponit etiam Cl. *Liebermann*, qui Deum considerat ut ens existens, ut ens vivum, seu operans more spirituum, et ut ens morale, et sub hoc triplici respectu attributa divina *quiescentia*, seu *metaphysica*, *physica* et *moralia* distinguit. — *D. Klee* omnia attributa divina evolvit, dum Deum *in sua simplicitate* et *in sua vita* considerat: quae divisio cum illa convenit, quae secundo loco explicata fuit. — *D. Staudenmayr* (3) dicit, in tractatu de attributis divinis, Deum proponendum esse, ut ens summe vivum, seu ut ipsa vita. Cuiuslibet autem vitae consideranda est in sua origine, in sua evolutione et in sua manifestatione. Deus autem ab origine alienus est *ens a se:* Deus non evolvitur, sed est suprema *causa* omnium rerum: et Deus ut Spiritus perfectissimus *personalia sua attributa* spiritui finito manifestat: omnia ergo attributa divina consideranda sunt sub ratione *aseitatis*, sub ratione *causalitatis*, et sub ratione *personalitatis*. Hanc divisionem, praecipuo ad refellendos Pantheistarum errores, sagacissime excogitatam esse, negari non potest; quamvis non satis congruum videatur, quod sub ratione causalitatis de intellectu et voluntate Dei non agatur, cum tamen Deus solummodo per intellectum et voluntatem operans a nobis concipiatur. — Denique *D. Dieringer* attributa divina dividit consi-

(1) T. 1 de Deo, quaest. 4.
(2) Cf. Kuhn p. 1, c. 3, § 29, p. 494 etc.

(3) § 41, n. 4, p. 226.

derans Deum ut *absolutum Esse*, ut *absolutam potentiam*, ut *absolutam intelligentiam*, ut *absolutam vitam*, et ex his *Dei personalitatem* deducit (1).

CAPUT III.

DE ATTRIBUTIS DIVINIS IN SPECIE

§ 19. Ex attenta creaturarum consideratione non solum Dei existentiam, sed etiam eius attributa et perfectiones cognosci, testatur S. Scriptura, de Deo dicens: *Invisibilia ipsius, a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus et divinitas* (2). — Praecipue autem a consideratione hominis, qui anima spirituali, rationali et libera donatus, et ad imaginem Dei conditus est, ad cognoscendum supremum Numen progredimur, et perfectiones, quas in illo observamus, eminentiori modo huic adscribendas esse pleno iure censemus. In tali autem rationis functione maxime cavendum est, ne ullo modo Deum cum homine confundamus, et illi quid limitati, aut imperfecti attribuamus, sed sollicite semper discrimina attendenda sunt, quae inter perfectiones Dei et perfectiones hominum aliarumve creaturarum intercedunt. Summi idcirco momenti est, ut in praesenti tractatu probatum iamiam principium ante oculos habeatur, quo asseritur, quodlibet attributum esse ipsam essentiam divinam. Essentia autem Dei est a se, necessaria, independens et infinita (cap. 1, art. 2); ergo quodlibet attributum divinum ut a se, necessarium, independens et infinitum concipiendum est. Tali modo, quantum fieri potest, genuinas de attributis divinis in specie notiones nobis comparabimus, seu ipsam innatam nobis Dei cognitionem, quam aeternae Veritatis lux in mente nostra producit, a defectibus et erroneis conceptibus purgabimus, qui persaepe ex natura corrupta, ex affectibus inordinatis et praeconceptis opinionibus oriuntur. — Quod ordinem dicendorum attinet, a multiplici divisione, quae, cum de re in se indivisibili agitur, difficultatibus non caret, abstinendum esse videtur: ea autem praemittenda sunt, quae lucem sequentibus afferunt, et ideo prius attributa *Dei quiescentia*, seu *non operativa*, et dein *operativa* pertractabuntur.

Nota. Contra indigitatum hic divina attributa cognoscendi modum variae difficultates moveri solent. *a*) Cum iuxta Theologos, ait *Hegel* (3), in Deo simplicissimo attributa realiter non distinguantur, et ideo in idea simplicitatis evanescant, eadem attributa ex relationibus Dei ad mundum determinanda sunt; cum autem hae finitae sint, falsa et absurda est conclusio ad attributa infinita. — Sed haec Hegelii obiectio ex falso Pantheismi principio prodit, quo Deus idem cum Universo esse adstruitur; hoc enim posito, sicut totus mundus finitus est, sic etiam in Deo nihil infiniti inveniri potest. Aliter autem res se habet iuxta veram doctrinam, quae Deum a mundo distinctum per se, et personaliter existentem adseverat: praecipua enim relatio Dei ad mundum est relatio causae ad effectum: quamvis autem effectus infiniti nec sint, nec esse possint, ab his tamen optime procedit conclusio ad causam primam, quae non est nisi ens a se, et infinitum. Et si ab egregia pictura, vita et ratione carente, rite concludo ad pictorem, vita et ratione praeditum: cur non licebit ex consideratione mundi

(1) Lehrbuch der Kath. Dogm. 1 Th. 2, § 16.

(2) Rom. 1, 20.

(3) Encyc. § 36.

Digitized by Google

concludere ad Opificem summa potentia, sapientia bonitate etc. praeditum, quamquam haec attributa in ipsis effectibus limitatis non contineantur? — *b*) *Strauss* (1) ex eo putat in doctrina catholica contradictionem invenire, quia ex una parte similitudo Dei cum homine (Menschenähnlichkeit): adseritur, et ex altera parte omne humanum, finitum et limitatum Deo denegatur. — Sed si doctrina catholica recte intelligitur, omnis contradictio evanescit. Non enim Deus imago hominis, sed homo imago Dei, et ad huius similitudinem conditus dicitur. Haec autem imago Dei praecipue in gratia sanctificante (2) consistit, quamvis imago naturalis etiam in dominio in res creatas, in intellectu et libera voluntate reponi debeat. Ast aliud est dicere, hominem Deo similem, aliud Deo aequalem esse; si illud adseritur, hoc ubique negatur, et ideo necessario omne id negandum est, per quod homo Deo aequalis redderetur. Nemo sanae mentis contradictionem invenit, si quis picturam ob conformia delineamenta imaginem cuiusdam hominis esse dicit, et tamen illi carnem et sanguinem, loquelam, cogitationem etc., denegandam esse asserit. — *c*) Nonnulli putant, nunquam veram Dei notionem haberi, sive attributa negativa, sive positiva considerentur; per illa enim solum ea removentur, quae mundo in oppositione ad Deum communia sunt, et ex tali negatione nulla positiva notio prodit; haec vero enuntiant quidem ea, quae Deo et mundo communia sunt, non possunt autem de Deo sicut de mundo praedicari, et ideo, ut Deo conveniant, iterum ad negationem recurrendum est, per quam positiva notio, quae habebatur, rursus destruitur. — Sed hac et similes difficultates tantum oriuntur ex non recte percepta vi terminorum negativorum, quae, dum de Deo adhibentur, affirmationi aequivalent, et mentem nostram vacuam seu notionis expertem non relinquunt, sed optime valent ad excitandam in nobis ideam innatam de Ente supremo, quod cum vario modo operetur, et se nobis manifestet, sub variorum attributorum respectu a nobis consideratur. *d*) *Schleiermacher* (3) ita argumentatur: si attributa divina, quae a Theologis enumerantur, ut notae Dei characteristicae a nobis cognoscerentur, Deus ipse a nobis comprehendi posset, quod tamen S. Scriptura plurimis in locis negat: dicendum ergo est, attributa Dei a nobis non cognosci, sed haec non esse nisi varias modificationes nostri sensus dependentiae a Deo, quae in varietate momentorum vitae nostrae suum fundamentum habent, atque se in mente nostra manifestant. — Ast etiam nos fatemur, Deum incomprehensibilem esse (§ 10), atque nullum eius attributum a nobis perfecte et adaequate comprehendi posse, sed tamen non omnem Dei et attributorum eius cognitionem nobis denegamus (§ 11), quia ipsa S. Scriptura illam nobis non denegat, dicens: *Videmus nunc per speculum in aenigmate* (4), variaque divina attributa nobis consideranda proponit, et quidem ita proponit, ut ex recta eorundem cognitione sensus dependentiae in nobis excitentur, e. g. fides ex cognita veracitate Dei, spes ex cognita misericordia eius, timor ex cognita iustitia etc. Nullibi autem S. Scriptura dicit, attributa Dei non esse, nisi relationes Dei

(1) Dogm. t. 1. p. 542.
(2) Eph. 4, 21 Col. 3, 10.
(3) Dogm. 1. p. 284.
(4) 1 Cor. 13, 12.

ad mundum, et multo minus, ea non esse nisi modificationes nostri sensus dependentiae a Deo. E contra S. Scriptura attributa divina praedicat, quamvis requisiti dependentiae sensus in homine desiderentur, sic, e. g. omniscientiam et iustitiam Dei collaudat, quamvis de hominibus dicat: *Non est timor Dei ante oculos eorum* (1). Systema ergo citati auctoris S. Scripturae penitus contrarium est, et etiam ipsi rationi, iuxta quam sensus dependentiae excitari et modificari nequeunt sine cognitione intellectus, quia iuxta tritum adagium: « Nihil volitum est nisi cognitum. » Sed Schleiermacher non solum hanc cognitionem Dei obiectivam et theoreticam negat, sed (2) expresse docet, nos Deum extra nos et extra mundum concipere non posse, et sic se Pantheismi erroribus infectum satis clare ostendit (3).

ARTICULUS I.
De simplicitate Dei.

§ 20. 1. In creatarum rerum universitate triplicis generis entia distinguimus, scilicet *mere materialia*, e. g. lapides, arbores, etc., *partim materialia* et *partim spiritualia*, ut sunt homines, qui ex corpore et anima constant, et *mere spiritualia*, qualia iuxta communiorem opinionem Angeli esse censentur. Entia materialia ex partibus composita esse et sensibus corporalibus subiici, e. g. videri et palpari posse scimus: omnem autem materiam omnesque partes ab entibus spiritualibus removemus, quae ideo *simplicia* dicimus, sensibusque externis minime subiecta esse cognoscimus. Neque id solum in horum conceptu occurrit, ut per negationem omnis materia partiumque compositio removeatur, sed iisdem etiam positive veram substantiam, et quidem intellectu et voluntate praeditam, adscribimus, et hanc multo nobiliorem et praestantiorem substantia materiali esse non dubitamus. — Cum autem Deus sit ens, quo melius cogitari non potest, sana ratio nos impellit, ut ipsi naturam spiritualem adscribamus, et ideo negative omnem materiam et partium compositionem ab eo removeamus, seu *simplicitatem* de eo praedicemus, positive autem eidem perfectissimum intellectum et perfectissimam voluntatem attribuamus, et sic eum ut *spiritum infinite perfectum* concipiamus. Hanc autem veram esse Dei notionem ex dicendis apparebit. Equidem de divino intellectu et de divina voluntate inferius sermo instituetur: hic vero de prima conditione, iuxta nostrum concipiendi modum ad naturam spiritualem requisita, i. e. de simplicitate Dei disserendum venit.

2. Ad explicandam *simplicitatem* Theologi communiter ad negationem recurrunt. « Simplicitas, ait *Tournely*, est negatio, seu exclusio compositionis. Compositio autem est distinctorum unio: triplex generatim assignatur, physica, metaphysica et logica. Compositio physica constat vel ex materia et forma, e. g. corpore et anima, vel ex partibus quantitativis, aut integrantibus, vel ex subiecto et accidente. — Compositio metaphysica fit ex actu et potentia, ex essentia et existentia, ex natura et personalitate, qui omnes termini sunt metaphysici. Compositio denique logica fit ex genere et differentia, qui termini ad logicam pertinent (4). » Negando, seu removendo indigitatas hic compositiones

(1) Ps. 13, 3. (2) In Dialectica, p. 154.
(3) Cf. Kuhn Cath. Dogm. I Th. 1, § 492-511.

(4) De Deo quaest. 5.

Digitized by Google

in rectam entis simplicis cognitionem devenimus, et diversos gradus simplicitatis hac via concipimus, donec perveniamus ad simplicitatem summam, quae nonnisi in Deo est. Et quia ideam satis claram habemus compositi, nihil prohibet, quominus abstrahendo efformemus nobis ideam saltem inadaequatam eius substantiae, quae simplex est omnino. Neque haec idea mere negativa dicenda est. Omnes enim, sana ratione utentes, distinguimus entia realiter existentia in corporalia et spiritualia, seu in composita et simplicia. Ergo etiam entium simplicium positivam ideam habemus, quamvis eam per solam negationem exprimere soleamus. Imo « iuxta recentiores Philosophos, ait *Perrone* (1), idea entis simplicis, qualis est idea *nostri Ego* est prima idea, et est velut fundamentum recentioris Philosophiae. » Denique inest nobis idea veritatis in qua nec materiam, nec partes distinguimus, sed quam tum simplicissimam, tum ubique praesentem concipimus (Th. gen. § 26). Sed, ait *S. Agustinus* (2), « Veritas est Deus. Veritas nec quadra est, nec rotunda, nec longa, ubique praesens est: » igitur in simplicitate veritatis ipsam simplicitatem Dei quodammodo positive percipimus.

3. Dum a spiritibus creatis ad Dei simplicitatem considerandam ascendimus, cavendum est ne ipsam simplicitatem, seu spiritualitatem quasi *genus* concipiamus, sub quo animae humanae, Angeli, et Deus tanquam species contineantur. Deus enim utpote ens a se, necessarium, absolutum et infinitum cum entibus contingentibus, undequaque dependentibus et limitatis sub uno genere contineri nequit. — Immo etiam si solius simplicitatis ratio habeatur, maxima discrimina inter Deum et spiritus creatos reperiuntur. Quamvis enim hi a materia et a partium extra se positarum concretione immunes, et ideo vere simplices sint, in ipsis tamen distinguitur substantia a qualitatibus, subiectum ab accidentiis, quae adesse, vel abesse possunt; potentia ab actu, qui per illam ponitur, et ipsa demum essentia ab existentia, quae in contingentibus essentialis non est. — In Deo autem, uti iam probatum fuit (§ 16), inter essentiam et attributa realis distinctio non datur. Nulla quoque in Deo esse potest compositio ex subiecto et accidente; nam accidentia, quae adesse vel abesse possunt, in Ente absoluto, necessario et infinito locum non habent: ideo *S. Agustinus* (3) ait: « Accidens non solet dici, nisi quod aliqua mutatione eius rei, cui accidit, amitti potest..... Nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile, aut amissibile: » et praeclare *S. Maximus M.* (4) inquit: « Sola simplex, et uniformis, et nullius egens, et immutabilis est creatrix universorum substantia. At omnis creatura composita est e substantia et accidentibus, ac semper egens providentiae divinae, ut quae a mutatione non est libera. Quare neque accidens ullum, neque qualitatem inesse Deo oportet dicere. Sunt enim ista compositorum et mutabilium propria. Omnia vero, quae habet Deus, habet natura et non adventitia. » Similiter nulla est in Deo compositio metaphysica ex potentia et actu; si enim haec admitteretur, actus, e. g., cognitio, aut volitio a potentia sciendi et volendi (prout fit in nobis)

(1) De Deo n. 224
(2) En. 2 in Ps. 20, n. 7.
(3) L. 5 de Trin. c. 4, n. 5.
(4) Apud Euthym. in Panopl. tit. 2.

produceretur; sed in Deo nihil produci esse potest: ideo *S. Thomas* (1) ait: « Deus est purus actus non habens aliquid de potentialitate: » et *S. Maximus* (2) inquit: « Cave, ne habitus et habilitates requiras in simplici infinitaque substantia Ss. Trinitatis, ne eam creaturarum instar compositam facias: quod absurdum sit ac nefarium in Deo cogitare. » — Nulla demum in Deo fingi debet compositio ex essentia et existentia, quia Deus est essentialiter ipsummet esse, seu Dei existentia est ipsamet Dei essentia; ergo componi Deus non potest ex essentia et existentia: omnis enim compositio fit ex rebus distinctis. — Sic itaque soli Deo summa et infinita simplicitas adiudicanda est.

4. Deum incorporeum, ab omni materiae concretione et partium compositione immunem, ac omnino simplicem esse, varia argumenta evincunt.

Prob. 1° *ex S. Scriptura*, quae a Deo removet quidquid corporeum, et naturae puri spiritus repugnans est. Sic sensus corporei Deo denegantur, dum dicitur: *Nunquid oculi carnei tibi sunt: aut sicut videt homo, et tu videbis* (3)? Moyses (4) prohibet Israëlitis, ne imaginem Dei more Gentilium efforment, ex quo recte colligitur, Deum talia in se non habere quae per imaginem repraesententur. Ideo dicitur: *Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei* (5)? — Paulus gentiles increpat, quod *mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis* etc. (6). Et aperte pronuntiat, Deum ab omni materiae etiam praestantissimae concretione longe remotum esse; ait enim: *Non debemus aestimare, auro, aut argento aut lapidi; sculpturae artis et cogitationis hominis divinum esse simile* (7). — Et sicut in Ss. Bibliis natura materialis Deo denegatur, ita spiritualis de ipso praedicatur. Constat equidem nomen spiritus in vario significatu sumi, et hincinde ventum (8), aut halitum (9), aut vitam hominis (10) denotare. At si vox spiritus sumitur in oppositione ad materiam (11), dubitari nequit, eam in sensu stricto pro ente incorporeo et simplici accipiendam esse. Hanc regulam hermeneuticam iam *Origenes* proposuit (12), scribens: « Consuetudo S. Scripturae est cum aliquid contrarium corpori huic crassiori et solidiori designare vult spiritum nominare, sicut dicit: *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (13); in quo sine dubio per litteram corporalia significat, per spiritum intellectualia, quae et spiritualia dicimus. » — Deus autem vere in oppositione ad materiam spiritus nominatur. Christus enim crassae ideae mulieris Samaritanae, quae Deum vel in templo hierosolymitano, vel in monte Garizin habitare, ciusque cultum certo loco, et externis ritibus adstrictum putavit, celebre dictum opposuit: *Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (14); quo in loco spiritum in sensu maxime proprio intelligendum esse, ex contextu et scopo Christi apertum est: ideo *Theodoretus* (15) inquit: « Samaritanae Dominus dixit, *Deus spiritus est* etc. Si autem Deus spiritus est, simplex igitur, incompositus, et figuram non

(1) 1, q. 3, a. 2 in corp. primo.
(2) In Centur. 4, de charit. c. 8.
(3) Iob. 10, 4.
(4) Ex. 20, 4.
(5) Isa. 40, 18.
(6) Rom. 1, 23.
(7) Act. 17, 29.
(8) Act. 2, 2.
(9) Iob 12, 10.
(10) Eccl. 8, 8 etc.
(11) Rom. 8, 10.
(12) L. 1 de Princip. c. 1.
(13) 2 Cor. 3, 6.
(14) Io. 4, 24.
(15) Quaest. 20 in Gen.

recipiens. » — Idem est etiam Apostoli sensus, cum ait: *Dominus autem spiritus est* (1). Denique S. Scriptura ea Deo adscribit, quae non in corpus, sed in purum dumtaxat spiritum cadere possunt: dicit enim Deum invisibilem, immensum, immutabilem, etc., uti inferius probabitur.

PROB. 2° *ex Ss. Patribus*, qui simplicitatem Dei clare profitentur. *S. Irenaeus* (2) ait: « Deus simplex, et non compositus est, totus eum sit spiritus, et tota ratio. » Ipse *Tertullianus*, quem nonnulli hac in re aberrasse autumarunt, haud obscure in nonnullis locis fidem suam de Deo incorporeo, simplici et mere spirituali manifestat. Nam (3) ait: « Incorporalitas nihil patitur, non habens per quod pati possit, aut si habet, hoc erit corpus: in quantum enim omne corporale, passibile est: » et (4) de Deo disserens ait: « Tam incompassibilis Pater est, quam impassibilis filius ex ea conditione, qua Deus est. » Et (5) reprehendens eos, qui Deo materiam affingunt, exclamat: « Proh misera credulitas, quae Deo denegas proprietates suas, simplicitatem et potestatem! » (6). *Origenes* (7) ait: « Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adiunctionis admittens... ut sit ex omni parte *monas*, et ut ita dicam, mens, ac fons, ex quo initium totius intellectualis naturae, vel mentis est. » *S. Basilius* (8) ait: « Corporis expertem intellige Deum ex anima ipsa, quae tibi inest corporis expers... Invisibilem crede esse Deum, cum tuam animam considerabis; nam et ipsa corporis oculis capi non potest. » *S. Gregorius Naz.* (9) ita de Deo disserit: « An corpus eum dices? - quonam ergo modo immensus, infinitus, figurae expers est, ac denique eiusmodi, ut nec tangi, nec oculis cerni queat? - an haec quoque in corpora cadunt? - An vero corpus quidem esse statues, immensum vero atque infinitum, caeteraque huius generis negabis?... Quid enim afferri potest, cur colatur atque adoretur, si circumscriptus est? Aut quid causae esse dicemus, quin ex elementis conflatus sit, atque in eadem denuo redigatur, ac prorsus intereat? - Compositio quippe pugnae initium est, pugna autem dissidii, dissidium solutionis: solutio porro nullo modo in Deum ac primam illam naturam cadit. Quocirca nullum dissidium admittendum est, ne solutio consequatur: nec pugna, ne dissidium oriatur, nec compositio, ne pugna existat: ac proinde ne corpus quidem est, ne alioquin compositum quidem eum esse necesse sit. » *S. Ambrosius* (10) inquit: « Deus naturae simplicis est, non coniunctae, et compositae, cui nihil accedat, sed solum quod divinum est in natura habeat sua. » *S. Cyrillus Alex.* (11), « Simplex, ait, est natura divina, et compositione carens omni. » *S. Hilarius* (12) scribit: « Intelligendum est, Deum incorporalem esse, neque ex partibus quibusdam, atque officiis membrorum, ex quibus unum corpus efficitur, consistere. » *S. Augustinus* (13) ait: « Si noster animus corpus non est, quomodo Deus creator animi corpus est? » Idem refert

(1) 2 Cor. 3, 17.
(2) L. 2 adv. haer. c. 13, n. 2.
(3) L. de anima c. 7.
(4) L. adv. Prax. c. 29.
(5) L. de Bapt. c. 2.
(6) Cf. Tournely de Deo, q. 5, p. 172 etc.
(7) L. 1 de princ. c. 1, n. 6.
(8) Hom. in illud: *Attende tibi.*
(9) Orat. 34.
(10) L. 1 de fide, c. 7.
(11) L. 5 in Ioan. (12) In Ps. 29.
(13) L. 8 de Civ. Dei, c. 5.

S. *Io. Damascenus* (1) dicens: « Quo etenim modo corpus esse queat, quod infinitum, et interminatum est, quod figura caret... quod denique simplex est, nec compositum? »

Prob. 3° *ex damnatione haereticorum*, praecipue Anthropomorphitarum, qui Deum ad instar hominum corpus habere putarunt. Hanc opinionem *S. Hieronymus* (2) « stultissimam haeresin, » *Theodoretus* (3) « stultam sententiam, » *Cassianus* (4) « ineptam haeresin, gravem errorem, qui in perpetuae mortis discrimen iniiciat, et gentilem blasphemiam ab omnibus detestandam, » et *S. Augustinus* (5) « quamdam idololatriam » appellat: idemque (6) verba illa Symboli: *Sedet ad dexteram Patris* explanans, scribit: « Nec ideo quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est... ne in illud incidamus sacrilegium, in quo execratur Apostolus eos; qui *commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis.* » Anthropomorphitae idcirco a *S. Augustino* (7), a *Philastrio*, (8) a *S. Epiphanio*, (9) a *S. Io. Damasceno*, (10) ab *Isidoro*, *Rabano*, et aliis inter heterodoxos numerantur. Eorundem error a *Theophilo Alex.* acerrime impugnatus, et in conciliis *Laodiceno*, *Gangrensi*, et *Antiocheno* damnatus fuit. Denique Concilium Lateranense IV hanc definitionem promulgavit (11): *Una est Dei essentia, substantia, seu natura simplex omnino.* Sine dubio ergo dogma fidei est, Deum incorporeum, et omnino simplicem esse, et gravissime aberrant Beausobrius, Sociniani, et Arminiani, qui quaestionem de Dei spiritualitate adiaphoram esse, et ad fidem haud pertinere arbitrantur.

Prob. 4° *ex ratione*, quam Dei simplicitatem cognoscere et probare posse, testes sunt veterum Philosophorum non pauci. Deum namque expertem quocumque corpore ac simplicissimum docuerunt *Pythagoras* apud Lact. (12), *Xenophanes* ap. Clem. Alex. (13), *Plato* ap. Augustin. (14), *Aristoteles*, *Simplicius*, *Proclus*, *Alcinous*, *Plotinus* et alii apud Dan. Huet. (15), ac demum *Tullius*, qui (16) ait: « Nec vero Deus ipse alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam, et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, et movens, ipsaque praedita motu sempiterno. » Et sane - *a*) quia Deus infinitus est, etiam incorporeus et simplex sit, necesse est. Corpus enim infinitum repugnat; nam cum compositum sit, in partes dividi, et dein quaeri potest, an quaelibet pars infinita sit, an non? — Si infinita dicatur, omne spatium occupat, ita ut reliquae excludantur: si autem infinita non sit, ex partium finitarum coniunctione infinitum prodire nequit, quia totum sequitur suas partes. Materia ergo nullatenus in Deo cogitari potest. Eadem argumentatione etiam quaevis alia compositio a Deo excluditur: cuiuscunque enim generis partes forent vel - seorsim spectatae - infinitae, vel finitae essent: si primum admitteretur, tot Dii haberentur, quot partes: si secundum propugnaretur, nullum ens infinitum haberetur, etDeus ipse negaretur(17).

(1) L. 1 de fid. orth. c. 4.
(2) Ep. 61 ad Pamach.
(3) L. 4 haer. fab. c. 10.
(4) Coll. 10, c. 2 etc.
(5) Ep. 120 (al. 122) c. 2, n. 7.
(6) L. de Fid. et Symb. c. 7.
(7) Haer. 76 et 86. (8) L. de haer.
(9) Haer. 70, n. 2. (10) Haer. 70.
(11) Cap. *Firmiter*. (12) De ira Dei.
(13) L. 5 Strom. (14) L. 8 de Civ. Dei, c. 9.
(15) L. 2 quaest. Alnetan. n. 11.
(16) Tusc. q. l. 1, c. 27.
(17) V. Klee, c. 2, a. 3, § 1.

Digitized by Google

b) Deus est ens omnium nobilissimum; at non foret nobilissimum, sed valde imperfectum, si corpus esset: siquidem vel corpus illud est vivens, vel non vivens: si non est vivens, ergo non est res omnium nobilissima, cum ex se longe nobilius sit vivere quam non vivere: si est vivens, ergo vel vivit per formam superadditam ipsi advenientem, sicut anima advenit corpori, vel vivit per ipsam proprii corporis substantiam. Si primum dicitur, ergo non est ens omnium nobilissimum; quandoquidem datur aliquid eo nobilius, videlicet anima, per quam vivit: si posterius, non potest vivere, nisi vita ad summum sensitiva, cum vita corporea nobilissima sit sensitiva: ex quo sequitur, eum non esse ens omnium nobilissimum: quo dari potest nobilius, nimirum vita intellectualis. Quam certum igitur est, Deum vere esse ens nobilissimum, quo melius cogitari non potest, tam certum quoque est, eum incorporeum et simplicem esse (1). *c*) Deus est ens a se: ergo est simplex, et omnis compositionis expers: nam si partes haberet, hae vel sunt a se, vel ab alio: si posterius, ergo Deus, qui ex omnibus partibus componitur, est ens ab alio, et consequenter Deus non est; - si autem quaelibet pars est a se, ergo quaelibet illarum seorsim ab alia est Deus, cum Deus sit ens a se, et quidquid est a se, summum sit et infinitum: atque ita non iam unicus erit Deus, sed multiplex: utrumque autem aperte repugnat, et ideo, quia Deus vere est ens a se, certissime e partibus non constat, sed simplicissimus est. Hoc argumento tum Patres, tum Philosophi ad probandam Dei simplicitatem usi sunt: sic e. g. *S. Cyrillus Alex.* (2) ostendit, Deum compositum non esse, eo quod « Principium sit omnium, nihil autem principio sit anterius: unde neque compositionem capere alicunde poterit. Siquidem concursus quidam simplicium ea, quae composita sunt, efficit: » et *Plotinus* (3) ait: « Nisi enim (Deus) simplex erit, ab omni prorsus coagmentatione et compositione liberum, ac revera unum, non erit principium. Sed et sufficientissimum eo ipso debet esse, quod sit simplex, et primum omnium. Nam quod non est primum, indiget eo, quod ante se est. Et quod non est simplex, indiget iis simplicibus, quae in ipso sunt, ut ex illis constet» (4).

Nota 1. Si nonnulli ex Scholasticis, e. g. *L'Herminier*, in Deo compositionem metaphysicam admiserunt, non ideo Deum simplicissimum esse negarunt, nec partes ipsi adscripserunt, sed solum putarunt, quod, sicut per mentem nostram attributa divina distinguuntur, ita etiam per mentem nostram compositio in Deo admitti possit. Sed plerique Theologi cum *S. Thoma* (5) hanc sententiam penitus reiiciunt, quia eo ipso, quod solummodo mentalis seu virtualis attributorum divinorum distinctio admittitur, compositio in Deo negari debet. — Non defuerunt etiam, qui in Deo *genus* esse contenderent, quia nomina *Ens*, *Substantia*, *Spiritus* etc. tum Deo, tum creaturis conveniunt. Ast etiam hanc sententiam plerique Theologi non admittunt, et his etiam Patres consentiunt: nam *Clemens Alex.* (6) inquit: In Deo « neque est genus, neque differentia, neque species, neque individuum, neque numerus: » et *S. Cyrillus Alex.* (7) ait:

(1) Tournely q. 5, sec. concl, n. 2.
(2) L. 13 Thes. c. 131.
(3) Enn. 5, l. 4, c. 1.
(4) Cf. Petav. l. 2 de Deo, c. 2.
(5) 1, q. 3, a. 2 et seq.
(6) L. 5 Strom.
(7) Dial. 2 de Trin.

Digitized by Google

« A recta ratione longe alienissimum est, genus de Deo nominare, cum nulla res sit cum ipso, aut ante ipsum. » — *Thomas ex Charmes* non inepte distinctionem affert, et dicit, Deum non esse in aliquo genere *proprie dicto*, i. e. quod Deo *univoce* conveniat cum creaturis; nam si quod haberet, esset *ens*, seu *esse*, sed id non convenit univoce Deo et creaturis, quia soli Deo competit Esse absolutum, necessarium et infinitum, creaturis autem non *hoc Esse*, sed potius continuum *Fieri* convenit: dici tamen potest, Deum esse in aliquo genere *improprie dicto*, i. e. quod analogice tantum conveniat Deo et creaturae: illud autem genus est *ens* simpliciter, per quod Deus convenit analogice cum omnibus creaturis. Idem fere sentit Cl. *Berti* (1).

Nota 2. Circa dogma de Simplicitate Dei praecipue aberrarunt inter Ethnicos *Idololatrae*, et inter Christianos *Antropomorphitae*, de quibus in specie aliqua disserenda sunt. Hisce vero aberrantibus etiam alii adnumerari solent. Nam *Sadducaei*, una ex Hebraeorum sectis, satis probabiliter Deum sibi corporeum effingebant; dicebant enim, *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum* (2). — Ex *Mahometanis* plures Deo corpus adscribere, testatur *Petrus de la Valla*, et idem affirmat de *Tibetanis Ant. Aug. Georgi* (3). — In eodem gravissimo errore cubant *Materialistae*, qui praeter materiam nihil admittunt, et *Pantheistae*, qui cum *Spinoza* unam substantiam - cogitatione et extensione praeditam - adstruunt, eamque Deum dicunt. Hisce adnumerandus est *Salvador* Iudaeus, qui, licet neget, se admittere pantheismum, et contendat, non esse admittendum nisi infinitheismum, sive existentiam universalem; attamen ipse fatetur, ad rei summam, quod spectat, in unum convenire pantheismum et infinitheismum, imo et Spinozaeismum (4).

(1) L. 2. c. 3. prop. 3. (2) Act. 13, 8.
(3) In Alph. Tibet. (4) V. Perrone n. 196.

I. *De Idololatria.*

§ 21. Idololatria, in sensu latiori, est cultus divinus alteri quam Deo exhibitus, vel, quod idem est, est cultus exhibitus creaturae ut Deo. In sensu autem strictiori, idololatria est error eorum, qui ens quoddam materiale divinitatem esse putant, et idcirco adorant. Huue errorem ante Christum per universum fere mundum disseminatum fuisse, lugenda historia testatur. Probabilius autem solummodo post diluvium idololatria inter posteros Chami invaluit, et ab istis ad reliquas gentes propagata fuit. Tam crassi autem erroris causa ipsa generis humani corruptio dicenda est. Homines, ait *S. Augustinus* (5): « nimis in haec corporalia progressi, atque lapsi, nihil aliud putant esse Deum, quam quod istis quinque corporis nuntiis sentiunt. » Et *S. Athanasius* (6) dicit: « Percepta voluptatum multiplici specie, et retenta divinarum rerum oblivione, dum in corporeis affectibus voluptatem sentiunt... persuadent sibi, ultra visibilia nihil esse, sed sola ista temporalia et corporea boni naturam habere; hinc ex rebus corporeis sensibilibusque non unum iam Deum sibi confinxere, sed plures... et primo quidem coelo, soli, lunae reliquisque stellis divinos honores consecraverunt... Mox adhuc magis humi cum tenebricosis suis cogitationibus subsidentes, aethera, aërem, elementa, homines, lapides et ligna, — pro numinibus ce-

(5) Lib. de util. cred.
(6) Or. adv Gentes.

lebraverunt. » Ita in immensum crevit simulacrorum, seu idolorum numerus, quae in templis, lucis et domibus ut divina numina colebantur. Non defuerunt quidem, qui dicerent, Gentiles in idolis nonnisi Deorum Dearumque imagines considerasse, et cultum illis exhibitum ad haec prototypa relatum fuisse. Tali modo iam Celsus contra Origenem, et praecipue Iulianus Apostata contra Christianos conati sunt, Ethnicos ab idololatria maxime crassa vindicare (1). Eandem sententiam etiam nonnulli recentiores scriptores sequuntur. — Et certe negari non potest, inter Gentiles nonnullos doctos et sapientes fuisse, qui probe cognoverunt, nullam in aereis, vel aureis, vel lapideis, vel ligneis statuis divinitatem inesse: sed etiam isti, paucis Philosophis exceptis, qui simplicitatem Dei agnoverunt, ab idololatriae labe excusari non possunt, quia si in idolis meras imagines considerabant, tamen etiam ipsis prototypis — Diis Deabusque corpora affingebant, uti ex Mythologia abunde constat. Multos enim Philosophos negasse, Deum incorporeum esse posse, testis est *Tullius* (2). — Quod autem maxima Gentilium pars vere putaverit, ipsis idolis divinitatem inesse, scriptores tum sacri, tum profani testantur. Isaias XLIV, 13 etc. idololatrarum insaniam describens ait: *Artifex lignarius... sumpsit ex eis* (lignis), *et calefactus est; et succendit, et coxit panes: de reliquo autem operatus est Deum, et adoravit: fecit sculptile, et curvatus est ante illud. Medium eius combussit igni... Reliquum autem eius Deum fecit, et sculptile sibi: curvatur ante illud; et adorat illud, et obsecrat dicens: Libera me, quia Deus meus es tu.* Ieremias II, 27 idololatras graviter reprehendit *dicentes ligno: Pater meus es tu, et lapidi: Tu me genuisti.* Ps. CXIII, 4 etc. legitur: *Simulacra gentium argentum, et aurum, opera manuum hominum. Os habent, et non loquentur: oculos habent, et non videbunt* etc. Ps. XCVI, 7: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: et qui gloriantur in simulacris suis.* — Ipsi materiae divinitatem adiudicatam fuisse aperte traditur Sap. XIII, 1 etc.: *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt.* Ideo etiam Paulus de idololatris ait: *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium... qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: et coluerunt, et servierunt creaturae potius, quam Creatori* (3). — Hanc idololatrarum insaniam vel ipsi ethnici Poëtae irrident: sic *Horatius* (4) Deum loquentem inducit: « Olim truncus eram, ficulnus inutile lignum; — cum faber incertus, scamnum faceretne Priapum — maluit esse Deum: Deus inde ego! » — Et *Iuvenalis* (5) Aegyptiorum superstitionem cavillatur dicens: « Quis nescit... qualia demum Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat pars haec, illa pavet saturam serpentibus Ibin: effigies sacri hic n... aurea Cercopitheci: porro, et cepe nefas violare, ac frangere morsu: o sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis Numina! » (6).

(1) V. Petav. l. 2, c. 4, n. 2.
(2) L. 1 de nat. Deor. c. 12.
(3) Rom. 1, 23 etc.
(4) L. 1, Sat. 8.
(5) Satyr. 15.
(6) Cf. Perr. de Dec, p. 1 c. 2, prop. 2, n. 111-137.

II. *De Anthropomorphismo.*

§ 22. Antropomorphismus est error eorum, qui Deum ita essentialiter constitutum esse putant, ut ad instar hominum spiritui corpus unitum habeat. De hoc errore a nonnullis auctoritati Origenis innixis, accusatur *Melito* Sardensis in Lydia Episcopus, qui saeculo II magna doctrinae et sanctitatis laude floruit: sed a multis, uti a *Tournely*, *Boncot*, *Vasquez*, solide defenditur. — An *Audius*, vel *Audaeus* saeculo IV, Deo corpus humanum affinxerit, an non, controvertitur: *Theodoretus* (1) illud affirmat; *Epiphanius* (2) negat. Certum vero est, Audium docuisse imaginem Dei, ad quam homo factus dicitur, in corpore repositam esse. Per falsam hanc doctrinam turpissimo errori ansam ita praebere potuit, ut ipse non immerito Antropomorphitarum pater existimaretur, et hi eius nomine *Audiani*, seu *Vadiani* appellarentur. Antropomorphismum tenuerunt Monachi non pauci, praecipue in Aegypto, qui autem, non tam ex malitia et perversitate, quam potius ex imperitia et rusticitate aberrarunt, et ideo cum *S. Augustino* (3) ab haeresi formali excusari possunt. Antropomorphitae autem sententiam suam variis apparentibus argumentis defendere studuerunt, quae iam refellere, caeterasque difficultates a simplicitatis divinae adversariis motas solvere oportet.

Obi. I. Gen. I, 27, Homo creatus dicitur ad imaginem et similitudinem Dei: sed homo constat ex anima et corpore: ergo et Deus animam et corpus habeat necesse est.

Resp. Homo vere ad imaginem Dei creatus est, sed hanc imaginem non in corpore, verum in anima consistere, Ss. Patres docent. Ita *S. Ambrosius* (4): « Invisibilis Dei imago non in eo est, quod videtur, sed in eo utique quod non videtur. » *S. Augustinus* (5) scribit: « Quis dementissimus dixerit, corpore nos vel esse, vel futuros esse similes Deo? — In interiore igitur homine ista similitudo est, qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem eius, qui creavit illum. » Citat hic S. Doctor textum Col. III, 10, iuxta quem imago Dei praecipue in gratia sanctificante consistit, ait enim ibi Paulus: *Induentes novum hominem, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit illum:* Colossenses ergo imaginem divinam, quam induere, seu renovare iubentur, amiserunt: non autem corpus, sed gratiam sanctificantem per peccatum perdiderant, neque per Baptismum et Poenitentiam corpus, sed gratia sanctificans recuperatur.—Ex veteribus nonnulli etiam opinati sunt, Deum in creatione, seu formatione hominis humanam formam adsumpsisse tanquam typum et exemplar, ad quod opus suum exigeret (6). Alii denique putarunt, etiam quoad corpus hominem Deo similem formatum esse, habito respectu ad futuram divini Verbi incarnationem: ita *Tertullianus* (7) inquit: « Recogita, totum Deum illi (homini creando) occupatum, ac deditum manu, sensu, opere... et ipsa imprimis adfectione, quae lineamenta ducebat. Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus.... ita limus ille iam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed et pignus. » Et *S. Prudentius* (8) scribit: « Christus forma Pa-

(1) L. 4 haer. fab. c. 10. (2) Haer. 70.
(3) De haer. c. 50. (4) In Ps. 118
(5) Ep. 92 ad Italic (6) V. Petav. l. 2, c. 4.
(7) L. de Resur. carnis, c. 6.
(8) In Apotheosi.

tris; nos Christi forma et imago, condimur in faciem Domini bonitate paterna venturo in nostram faciem post saecula Christo. »

Obi. II. Ipsa Scriptura sacra Deo humani corporis membra adscribit, nimirum oculos et aures: *Oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum* (1); odoratum: *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis* (2); os: *Os Domini locutum est* (3); brachium: *Redimam in brachio excelso* (4); manus: *Manus tuae fecerunt me* (5); pedes: *Coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum* (6); faciem: *Ostende faciem tuam, et salvi erimus* (7). Praeterea Deus dicitur more hominum stare: *Stat ad iudicandum Dominus* (8); sedere: *Vidi Dominum sedentem super solium* (9); exurgere: *Exurge, Domine, in ira tua* (10): quis ergo negabit, Deum ad instar hominum corpus habere?

Resp. Citatis hic locis biblicis opponimus ea, quae ex eadem S. Scriptura ad evincendam simplicitatem Dei adducta fuerunt: apertissime sane oculi humani Deo denegantur, cum Iob X, 4 dicit: *Numquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, et tu videbis?* — Ne ergo dicatur, S. Scripturam sibi contradicere, asserendum est eam solum in sensu improprio membra, situmque varium humani corporis Deo adscribere. Quia enim homines, sensibus assueti, intelligere non possunt, quomodo quis sine oculis videat, sine auribus audiat, sine manibus operetur etc., S. Scriptura se ad captum humanum demittit, et figurato modo loquendi membra corporea Deo adscribit, ut ipsius operationes ab hominibus facilius concipiantur. Gravissime ergo errant, qui haec in sensu proprio intelligenda esse opinantur, quos refellens *Theodoretus* ait (11): « Stolidi non animadverterunt, Dominum Deum per homines hominibus loquentem audientium infirmitati sermones accommodare. Et quoniam oculis nos videmus, virtutem eius, per quam videt, Scriptura vocat oculos, et rursum audiendi facultatem vocat aures, quoniam hisce partibus audimus, et mandatum Dei os. » — Et sane, non omnia, quae in scripturis de Deo affirmantur, praecise ad litteram assumenda esse, demonstrant evidenter ea loca, in quibus Deus hincinde dicitur lux, ignis consumens etc., et Christus vocatur agnus, vitis, petra, lapis angularis etc., quae certe figurate intelligenda esse nemo sanus diffitebitur. Ex eadem autem ratione etiam membra corporea, quae Deo tribuuntur, in sensu improprio intelligenda sunt. Id Ss. Patres unanimi consensu testantur. Aptissime contra Antropomorphitas loquitur *S. Augustinus* (12): « De membris Dei, quae assidue Scriptura commemorat, ne quisquam secundum carnis huius formam et figuram nos esse crederet similes Deo, propterea eadem Scriptura et alas habere Deum dixit, quas nos utique non habemus. Sicut ergo alas cum audimus, protectionem intelligimus: sic et cum audimus manus, operationem intelligere debemus, et cum audimus pedes praesentationem, et cum audimus oculos visionem, qua cognoscit, et cum audimus faciem, notitiam, qua innotescit, et si quid aliud eadem Scriptura tale commemorat, puto spiritualiter intelligendum. » Idem sentit *S. Gregorius M.*, qui (13) inquit: « In Deo qui

(1) Ps. 33, 16 (2) Gen. 8, 21.
(3) Isa. 1, 20. (4) Ex. 6, 6.
(5) Iob 10, 8. (6) Isa. 66, 1.
(7) Ps. 79, 4. (8) Isa. 3, 13
(9) Isa. 6, 1. (10) Ps. 7, 7
(11) Quaest. 20 in Gen.
(12) Ep. 118 (al. 111) ad Fortunat. c. 4.
(13) L. 11 Mor. c. 15, n. 53.

corporis forma non circumscribitur, membra corporis, id est, manus, oculus, etc., nominantur, ut ex membrorum vocabulis effectus eius potentiae designentur. Oculos quippe habere dicitur, quia cuncta videt, manus habere describitur, quia cuncta operatur. » Et S. *Bernardus* (1) addit: « Sed et os habet Deus, quo docet hominem scientiam, et manum habet, qua dat escam omni carni, et pedes habet, quorum terra scabellum est, ad quos nimirum peccatores conversi, atque humiliati satisfaciunt. Haec inquam, habet Deus omnia per effectum, non per naturam. » Idem dicendum est de vario situ corporeo, qui Deo tribuitur; nam per *stationem* eius fortitudo ad debellandum omne, quod adversatur, — per *sessionem* eius immobilitas et auctoritas intelligenda est, et Deus *exurgere* dicitur, cum aeterni consilii effectus hominibus conspicuus redditur.

Obi. III. Nonnulli ex Patribus Deum corpus esse dicunt, uti *Tertullianus* (2) ait: « Quis negabit, Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? » — *Origenes* ipse (3) « Spiritum, dicit, si proprie loqui velimus, esse corpus. » Similia in Lactantio et Hilario inveniuntur.

Resp. Propter errorem unius alteriusve Patris argumentum traditionis non infringeretur. Sed absit, ut citatos Patres in doctrina tanti momenti aberrasse dicamus, quia in aliis locis satis clare Dei simplicitatem fatentur. Ut autem loca citata, quae duriuscule sonant, recte intelligantur, observandum est, nomen *corporis* triplici significatione apud veteres usurpari, *latissima*, *impropria* et *stricta*. *Latissime* corpus sumitur pro eo omni quod reale est et subsistit, et opponitur inani ac vacuo. Hoc sensu *Phoebadius* Agenensis Episcopus saeculo quarto (4) ait: « Dei sermo non sonus vocis, sed res substantiva, ac per substantiam corpulativa. Non enim sine substantia consistit, quod de tanta substantia fecit. Nihil ergo vacuum de pleno, nihil inane de solido; quia Dei sermo spiritus Dei Christus, instructus est, et (ut evidentius dicam) sermonis corpus est: corpus enim spiritus, sed corpus sui generis; nam et invisibilis et incomprehensibilis Spiritus: » manifestum est hic corpus opponi non spirituali et immateriali substantiae, sed nihilo, vacuo et inani. — *Improprie* nomen corporis usurpatur ad significandum id omne, quod certis temporum et locorum terminis est definitum et circumscriptum. Quo sensu dici potest, quidquid creatum est, habere corpus, quia finitum est, ac certis limitibus circumscriptum, et Deum solum esse incorporeum, quia solus est infinitus, solus immensus, nullo loco, aut tempore definitus: hoc sensu *S. Hilarius* (5) dicebat: « Nihil est quod non in substantia sua et creatione corporeum sit... quia omne, quod creatum est, in aliquo sit necesse est. » *Stricte* tandem, et proprie corpus sumitur pro eo omni, quod materia constat, ac certa mole, figura et magnitudine terminatum est ac circumscriptum. — Hac praesupposita observatione facile diluuntur, quae ex Patribus proferri solent, qui nomine corporis in sensu latissimo utuntur, dum illud Deo attribuunt, et per hoc nonnisi veram et realem Dei essentiam intelligunt (6).

Obi. IV. Ipsa S. Scriptura simplicitatem Dei negat, dum Deo maximam extensionem tribuit, dicens: *Excel-*

(1) Serm. 4 in Cant. (2) L. 7 adv. Prax. (3) In Ioann. (4) L. c. Arian.

(5) C. 5 in Matth.
(6) V. Tournely quaest 5 de Tertulliano.

sior coelo est... profundior inferno... longior terra mensura eius, et latior mari (1). Eadem quoque docet, omnia-ergo etiam materialia entia-in Deo esse, seu omnia esse Deum; nam dicit: Deus *est in omnibus* (2), seu, ut fert textus graecus, *ipse est omne:* idem innuit Paulus, scribens de Deo: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (3); et: *In ipso vivimus, movemur et sumus: sicut et quidam vestrorum poëtarum dixerunt: ipsius enim et genus sumus* (4).

Resp. Extensio, quae a *Sophar Naamathite* Deo adscribi videtur, non in sensu proprio et litterali, sed improprio et metaphorico est intelligenda. Solet enim S. Scriptura tradere nobis spiritualia et divina sub similitudine corporalium, ut sese modo nostro cogitandi et loquendi aptet. In citato ergo loco pro captu nostro infinita magnitudo et omnipraesentia Dei proponitur, seu ut ait *S. Thomas:* « S. Scriptura, cum trinam dimensionem Deo attribuit, sub similitudine quantitatis corporeae, quantitatem virtualem ipsius designat: utpote per profunditatem virtutem ad cognoscendum occulta, per altitudinem excellentiam virtutis super omnia, per longitudinem durationem sui esse, per latitudinem affectum dilectionis ad omnia: vel, ut dicit *Dionysius* (5), per profunditatem Dei intelligitur incomprehensibilitas ipsius essentiae, per longitudinem processus eius omnia penetrantis, per latitudinem vero superextensio eius ad omnia, in quantum scilicet sub eius protectione omnia continentur (6). » — Et si omnia in Deo esse dicuntur, id non materialiter intelligendum est, quasi omnia Dei partes constituant, sed S. Scriptura in citatis locis docet, omnia in Deo esse tanquam in causa sua efficiente, quia Deus rerum omnium est causa effectrix et conservatrix. Ideo etiam affirmatur, in Deo nos esse, vivere et moveri, quoniam Deus ad actiones nostras omnes concurrit, largiendo vitam, vires, facultatemque agendi. Verba Ecclesiastici, iuxta expositionem *Calmet*, non aliud continent nisi sermonis hactenus instituti conclusionem, qua adstruitur, Deum esse principium et finem omnium rerum: vel, ut clarius exponit *Cornelius a Lap.*, « *Deus est omne*, quia ipse est τὸ ὄν, i. e. ens primum essentiale, immensum, a quo omnia alia entia necessario, et essentialiter pendent, adeo ut, si per impossibile non esset Deus, impossibilis foret alterius cuiuscumque entis existentia. »

Obj. V. *Schleiermacher* (7) putat, Dei simplicitatem tolli per ipsam attributorum divinorum distinctionem, quam Theologi admittunt: id vero sequenti modo probare tentat. Attributa divina, ait, iuxta Theologos saltem mentaliter ita distinguuntur, ut unum non exprimat idem, quod aliud, sed quodlibet distinctam nobis notionem praebeat. Ex horum attributorum aggregato oritur cognitio nostra de Deo, quae idcirco ex distinctis notionibus composita est, et si cognitio vera, seu obiecto suo conveniens est, etiam hoc compositum sit, necesse est: admissa ergo attributorum divinorum distinctione, etiam compositio in Deo admittenda est. Idem sequitur etiam ex sententia eorum, qui in variis divinis attributis solummodo varias Dei operationes seu relationes ad mundum agnoscunt. In mundo enim plurimae relationes, non solum distinctae, sed etiam sibi oppositae, et saltem ex parte se invicem excludentes inve-

(1) Iob 11, 8-9. (2) Eccli. 43, 29. (3) Rom. 11, 36 (4) Act. 17, 28

(5) L. de div. Nom. c. 9. (6) 1, q. 3, art. 1 ad 1. (7) Der. Chr. Glaube § 283 etc.

Digitized by Google

niuntur, atque ideo etiam in Deo operationes, seu functiones non solum distinctae, sed etiam sibi oppositae, et repugnantes admitti debent, et sic simplicitas Dei sublata est.

Resp. Citati auctoris argumentatio iusta esset, si Theologi realem inter divina attributa distinctionem admitterent; tunc enim unum attributum non idem obiectum exprimeret, quod aliud. Sed iuxta Theologos attributa divina realiter inter se non distinguuntur, atque ideo omnia attributa idem obiectum, *i. e.* unam, eandemque simplicissimam essentiam designant, quae se nobis vario modo manifestat, et sub vario respectu a nobis concipitur. Ex infirmitate autem mentis nostrae fit, ut simplicissimam et infinitam essentiam, quam perfecte non comprehendimus, sub vario respectu consideremus, et varia attributa distinguamus. Omnes porro fatentur, cognitionem nostram Dei adaequatam, seu obiecto suo perfecte conformem non esse, ac ideo omnino absurdum est, a forma cognitionis nostrae. ad formam obiecti cogniti concludere, seu ex eo, quod cognitio nostra *subiective* composita sit, inferre, quod etiam Deus compositus esse debeat, cum contrarium in ipso recto attributorum divinorum conceptu contineatur. — Etiam secunda pars obiectionis soliditate caret. Difficultas enim mota solum oritur ex notione pantheistica, quae Deum cum mundo confundit et identificat: hoc enim posito, ea, quae sibi in mundo repugnant, ipsi Deo adscribenda essent. Haec autem non sequuntur in sententia vera, quae Deum a mundo distinguit, et omnes effectus et operationes liberrimae et omnipotenti Dei voluntati adscribit. Nulla sane tunc repugnantia, seu contradictio in Deum cadere potest. Quamvis enim effectus varii sint, et sibi repugnantes videantur, uti cum Deus producit et destruit, vitam praebet et adimit, peccata condonat et poenas infligit etc. certe nulla contradictio in Deum cadit, cum nunquam dicatur, Deus idem eodem tempore, et sub eodem respectu producere et destruere, uni eidemque simul vitam praebere et simul adimere etc: sicut ergo exinde nulla repugnantia oritur, sic etiam per divinorum attributorum distinctionem simplicitas Dei nullo modo obfuscatur (1).

(1) Cf. Kuhn l. c. p. 502 etc

COROLLARIUM
De Invisibilitate Dei.

§ 23. Si Deus simplex, ab omni materiae concretione remotus est, sequitur, eum oculis corporeis videri non posse, et in hoc sensu invisibilem esse. Argumenta ergo, quae Dei simplicitatem probant, hanc quoque invisibilitatem evincunt, sicut etiam ea, quae pro invisibilitate Dei afferuntur, dogma de simplicitate et spiritualitate Dei confirmant. Operae igitur pretium est S. Scripturae et Ss. Patrum testimonia audire, quibus invisibilitas Dei affirmatur.

1° *S. Scriptura* variis in locis Deum ut invisibilem exhibet. Moyses ad Israëlitas ait: ***Locutus est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audistis, et formam penitus non vidistis. Custodite igitur sollicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: Ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem aut imaginem*** (2). Deus Moysi dixit: ***Non poteris videre faciem meum; non enim videbit me homo, et vivet*** (3). I Tim. I, 17 legitur: ***Regi saeculorum, immortali, invisibili, soli Deo honor et***

(2) Deut. 4, 12 etc. (3) Ex. 33, 20 etc.

gloria; et ibid VI, 16, Deus *lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Rom. I, 20: *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Io. I, 18: *Deum nemo vidit unquam.*

2º *Ss. Patres* in eadem doctrina consentiunt. *Origenes* in verba Christi *Qui videt me, videt et Patrem* (1) contra Gnosticos (2) ita loquitur: « Quod vos vehementer angustat, a nobis vero rectius non pro *videndo*, sed pro *intelligendo* sentitur. Qui enim intellexerit Filium, intelliget et Patrem. Hoc ergo modo Moyses etiam Deum vidisse putandus est, non carnalibus oculis eum intuens, sed visu cordis et sensu mentis intelligens, et hoc ex parte aliqua. » *S. Cyrillus Hier.* (3) inquit: « Carneis quidem oculis cerni Deus non potest; nam incorporeum sub corporeos oculos cadere nequit: » *S. Hieronymus* (4) scribit: « Deus nequaquam sermonibus explicatur, nec oculo contemplabilis est, sed ab his videtur de quibus scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* » *S. Augustinus* (5) ait: « Nec corporalibus Deus oculis quaeritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu. - Invisibilis natura Deus, — nam si interior homo noster, quantulacumque imago eius iam tamen in tali luce habitat, quo nullus corporalium oculorum sensus accedit, — quanto magis Deus, qui lucem inhabitat inaccessibilem, corporis sensibus videri non potest? » — Egregie hanc in rem loquitur *S. Fulgentius* (6) dicens: « Quisquis vult agnoscere, quibus oculis Deus videatur, ipsum Deum cogitet, quia sapientia est, veritas est, charitas est: quocirca quibus oculis videtur sapientia, veritas, charitas, ipsis oculis videtur illa sapiens, veraque divinitas. Non itaque corporis, sed oculis animae Deus suam visionem promittit, quam capacem sapientiae, veritatis charitatisque constituit. » Denique *S. Thomas* (7) propositam doctrinam probat dicens: « Impossibile est, Deum videri sensu visus, vel quocunque alio sensu, aut potentia sensitivae partis. Omnis enim potentia huiusmodi est actus corporalis organi. Actus autem proportionatur ei, cuius est actus. Unde nulla huiusmodi potentia potest se extendere ultra corporalia. Deus autem incorporeus est, ut supra (8) ostensum est; unde nec sensu, nec imaginatione videri potest, sed solo intellectu. »

Nota 1. Si Iob dicit: *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum* (9): « Non intelligitur, ait *S. Thomas*(10), quod oculo carnis sit Deum visurus, sed quod in carne existens post resurrectionem visurus sit Deum. Similiter quod dicitur: *Nunc oculus meus videt te*(11), intelligitur de oculo mentis, sicut dicit Apostolus: *Det vobis spiritum sapientiae in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri* (12). » — Frequentes in V. T. Theophaniae duplici modo explicantur. Vel enim Deus visus est in persona ministri sui, nempe Angeli, qui assumpto corpore Patriarchis apparuit. Hoc modo, interprete ipso *Osea* Propheta XII, 3, Iacob vidit Deum, i. e. Angelum, cum quo luctatus est. Et Moyses, qui cum Deo locutus dicitur *facie ad faciem*(13), teste S. Stephano(14), cum Angelo sermonem habuit. Et Iudic. XIII, 9 cum uxor Manue Angelum vidisset, v. 22 vir eius ait: *Morte*

(1) Io. 14, 9. (2) L. 2 de princip. c. 4, n. 3.
(3) Cath. 9. (4) In c. 64 Isai.
(5) Ep 147 (al. 112) ad Paulinam n. 18.
(6) Resp. ad 3.m obi. Ferrandi.

(7) 1, q. 12, art. 3. (8) Q. 3, art. 1.
(9) Iob 19. (10) L. c. ad 1.
(11) Iob 42. (12) Ephes. 1.
(13) Ex 33, 11. (14) Act. 7, 38.

Digitized by Google

moriemur, quia vidimus Deum: adeo res pervulgata erat, ut Angelus, qui nomine Dei loquebatur, Deus diceretur. Vel si Deus sine ministro Patriarchis apparuit, id fecit, ait *S. Augustinus* (citans et laudans *S. Ambrosium* (1) « in ea specie, quam voluntas elegit, non natura formavit: illi autem ait (2) ideo viderunt, quicunque Deum viderunt, quia cui voluerit, sicut voluerit, apparet ea specie, quam voluntas elegerit, etiam latente natura. » — Nobis quidem visio Dei in coelis promittitur; dicitur enim: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem* (3); et: *Videbimus eum sicuti est* (4); et: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (5). Sed haec omnia non de visione, quae fit per oculos corporis, sed de illa quae fit per oculos mentis intelligenda sunt. Ideo iam *Origenes* (6) inquit: « Falso nobis imponit Celsus dicens, nos sperare corporeis oculis Deum esse visuros. » Et *S. Augustinus* (7) ait: « In verbis Apostoli I Cor. XIII, si corporalem faciem voluerimus accipere, consequens erit, ut etiam Deus talem habeat faciem, cum legis: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem*, intellige inde nos tunc visuros facie ad faciem, unde videmus nunc per speculum in aenigmate. Hoc autem utrumque interioris hominis munus est, sive cum in ista peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, — sive in illa patria cum per speciem contemplabitur: pro qua visione positum est *facie ad faciem*.

Nota 2. Usum doctrinae propositae de simplicitate et invisibilitate Dei Christus ipse indicat, dicens: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Colendus ergo est Deus praecipue per mentis cordisque devotionem, sine qua externorum actuum splendida et magnifica pompa ipsi placere nequit: ideo mere externum Israëlitarum cultum reiecit, dicens: *Populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me* (8). — Praeterea, quia Deus, utpote infinite perfectus, ab omni materiae concretione remotus est, *non debemus aestimare auro, aut argento*, aut aliis terrenis rebus *divinum esse simile*, quod nostri cordis affectum mereatur.

(1) Ep. 147, n. 18. (2) N. 19. (3) I Cor. 13, 12. (4) Io. 3, 2. (5) Matth. 5, 8. (6) L. 7 c. Cels. (7) Ep. 92. (8) Is. 29, 13.

ARTICULUS II.

De immensitate et omnipraesentia Dei.

§ 24. 1. Deum, sicut simplicissimum, ita etiam immensum, et omnipraesentem credimus et profitemur. Difficillime autem hoc attributum divinum a nobis concipitur, quia ratione nostra vix assequimur, quomodo unum idemque ens et simplicissimum, et simul immensum, ac ubique praesens esse possit. Dum enim ens simplex concipimus, omnem prorsus extensionem removemus, et dum idem ens immensum, et ubique praesens consideramus, id sine extensione nobis exhibere non valemus. Multi ideo hac in re mysterium non solum theologicum, sed et philosophicum agnoverunt, et candide fassi sunt, modum quo Deus ubique praesens et immensus sit a nobis non comprehendi. Sic *S. Chrysostomus* (9) ait: « Multa, quae de Deo mente versamur, non possumus loqui, quia non intelliguntur. Loquimur, Deum esse immensum, et ubique praesentem, sed quomodo sit ubique nescimus: dixi, est ubique, sed non intelligo » (10).

(9) Hom. 22 in Hebr. (10) Cf. Wiest § 43

—Difficultas autem ex eo praecipue exurgit, quia mens nostra sensibus alligata omnibus in spatio et loco cogitandis adsuescit. Probe autem notandum est, quod notionem spatii, et loci solum ex rebus contingentibus, quae nos circumdant, et sensus nostros afficiunt, desumamus. Haec enim extensa cernimus, et extensionem ipsam, quam habent, spatium quod occupant vocamus. Cum autem extensio eorundem circumscripta sit, aperte novimus, ipsa non ubique esse, sed alicubi adesse, et alicubi abesse; et sic a mente nostra relatio loci concipitur. Itaque notio spatii et loci ab entibus contingentibus petitur, et horum creator etiam spatii et loci auctor est, quibus proinde ipsius esse absolutum, et ab entibus contigentibus plane distinctum subesse nequit. Deus ergo spatium non occupat, quia simplicissimus, et loco non circumscribitur, quia infinitus est: atque ideo divina immensitas negative importat negationem spatii et loci; positive autem est ipsa infinitas Dei, seu esse Dei absolutum, quod mensurari nequit, et cuius magnitudo non habet finem (1).

2. Theologi immensitatem Dei ab eius omnipraesentia, quam etiam ubiquitatem vocant, distinguere solent. Nam, ait *Perrone* (2), « immensitas est attributum absolutum, Deoque necessarium; at esse ubique non convenit illi absolute, sed solum, ut dicitur, hypothetice, seu ex suppositione creaturarum existentium, quarum productio Deo libera fuit. » Ex eoipso autem quia Deus immensus est et loco non circumscribitur, sequitur, eum omnibus rebus existentibus praesentem esse. Hoc autem iuxta nostrum concipiendi modum triplici modo fieri, docet S. Thomas (3) dicens: « Deus est in omnibus per potentiam, in quantum omnia eius potestati subduntur; est per praesentiam (scientiam), in quantum omnia nuda sunt, et aperta oculis eius; est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi. » Et rursus idem S. Doctor (4) observat: « Deum utpote incorporeum non esse ubique per contactum quantitatis dimensivae sicuti corpora, sed per contactum virtutis, » quatenus omnibus rebus primo esse dedit, et quatenus iugi sua operatione easdem conservat, quae rerum conservatio est quaedam veluti continuata creatio. Iure ideo dicitur Deus esse in omnibus rebus sicut continens eas, non quasi ab eis contentus. Eandem divinae omnipraesentiae notionem etiam Ss. Patres tradunt. *Dionysius* (5) Deum vocat « comprehendentem omnia infinitatem. » *S. Hilarius* (6) ait: « Ipse extra omnia, in omnibusque capiens universa, et capiendus a nemine. » *S. Athanasius* (7) inquit « Deus est circumdans omnia, et non circumdatus. » *S. Augustinus* (8) de Deo dicit, quod « in ipso potius sunt omnia, quam ipse alicubi. » *S. Fulgentius* (9) scribit: « Deus sic nullo continetur loco, ut ipse contineat omnem locum in quo moles est nulla, et cuius est virtus immensa. »

3. Quia immensitatem et omnipraesentiam Dei perfecte non comprehendimus, solicite tamen ab erroribus, recto huius attributi divini conceptui contrariis, cavere debemus. *a*) Primo vitandus est error eorum, qui putant, Deum non sua essentia, sed tantum sua virtute ubique praesentem esse

(1) Cf. Frint, § 92. Kleo l. c. A. B
(2) N. 322. (3) 1. q. 8, art. 3
(4) Ibid. art. 2 ad 1. (5) De div. nom. c. 3.
(6) De Trinit. l. 3. (7) L. de incarn.
(8) Ap. S. Thom. l. c. art. 1.
(9) C. Fastid. c. 4.

ad instar Regis, qui in sua metropoli residens, et omnia gubernans in toto suo regno praesens esse dicitur. Haec sententia, cum Deum loco includat, ipsam immensitatem Dei non explicat, sed negat: absonum quoque est dicere, Deum virtute, seu potentia, non autem essentia sua ubique praesentem esse; cum enim omnia attributa divina sint ipsa essentia Dei, ergo ubi potentia Dei adest, etiam essentiam adesse necesse est. Ideo Patres essentiae divinae omnipraesentiam ex eo ipso ostendunt, quod Dei virtus ubique operatur. *S. Basilius*(1), ex quo divina virtus sit in immensum diffusa, etiam substantiam Dei immensam esse colligit, « cum in simplici et corporis experte natura eadem sit ratio substantiae et actionis. » *S. Augustinus* (2) inquit: « Deus ubique praesens est, non locorum spatiis, sed maiestatis potentia. » *S. Damascenus* (3) scribit: « Deus in loco esse dicitur, Deique appellatur locus ubi eius virtus et operatio manifesta sunt. » *S. Anselmus* (4) dicit: « Idem est esse Dei et potestas eius: sicut itaque potestas Dei est semper et ubique, ita quidquid est Deus, ubique et semper est. » *b*) Vitandus quoque est error eorum, qui dicunt, Deum in toto mundo praesentem esse prout anima hominis in toto corpore praesens est. Haec sententia pantheismum redolet, et Deum immensum loco includere videtur, sicut anima corpori inclusa est. Equidem etiam Patres hincinde ad declarandam aliquo modo omnipraesentiam divinam, paritate, a praesentia animae in corpore desumpta usi sunt, uti *S. Ambrosius* (5). Sed tamen paritas haec non ex omni parte urgeri potest; nam quamvis anima totum corpus moveat et vivificet, nullatenus tamen corpus producit, neque omnes eius partes perspicit, et pro libitu dirigit; ac praeterea etiam corpus animam afficit ita, ut haec ab illo in variis functionibus dependens sit. Deus autem non in mundo continetur, sed mundum continet, et omnia non solum movet et vivificat, sed et producit, et ab omnibus prorsus independens manet. *c*) Denique vitandus est crassus conceptus illorum, qui Deum ubique praesentem autumant per modum extensionis et quantitatis, ex quo sequeretur, unam Dei partem in hoc, et alteram in illo loco sitam esse; Deus enim simplicissimus et indivisibilis partes non habet; quapropter ubicumque Deus adest, totus Deus praesens est. Ideo *S. Augustinus* (6) scribit: « Quamquam in eo ipso, quod dicitur Deus ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, et mens a corporis sensibus avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur, Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aër, aut lux ista diffunditur (omnis enim huiuscemodi magnitudo minor est in sui parte, quam in toto); sed ita potius. sicut est magna sapientia etiam in homine, cuius corpus est parvum. » Et (7) ait: « Substantialiter est Deus ubique diffusus, non tamen per spatia locorum quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, et in altero dimidio dimidius, atque ita per totum totus: sed est in solo coelo totus, et in sola terra totus, et nullo contentus loco, sed in se ipso ubique totus. » Egregie hoc idem declarat *S. Athanasius* (8) dicens: « Non eum omnibus extensus complet omnia Deus;

(1) L. 5 adv. Eunom
(2) L. 2 de serm. Dei in monte, c. 5.
(3) L. 1 de fid. orth. c. 13.
(4) De Incarn. c. 4
(5) L. de dign. hom. c. 2. (6) Ep. 57.
(7) Ep. 187 ad Dardan. c. 4.
(8) L. adv. Sabell.

hoc enim corporeum est: ut si quis aërem dixerit implevisse, quidquid inter coelum et terram interiacet: Verum tamquam vis omnia continet; est enim vis corporis expers, sub aspectum non cadens, non ambiens, nec ambita. »

4. Deum immensum, et non solum virtute, sed et essentia sua ubique praesentem esse

PROB. 1° *ex S. Scriptura*. Deut. IV, 39 Moyses ait: *Scito ergo hodie, et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in coelo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius*, quibus verbis Deus in toto Universo, a se creato Gen. I, 1 adesse dicitur: Baruch III, 25 dicit de Deo: *Magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus*. Deum ubique esse, et loco non circumscribi pro captu humano ostendens Iob XI, 8-9, dicit: *Excelsior coelo est... profundior inferno... longior terra mensura eius, et latior mari*. Graphice omnipraesentiam Dei Psalmista confitetur Ps. CXXXVIII. 7 etc., exclamans: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? si ascendero in coelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua*. III Reg. VIII, 27 Salomon, ne Iudaei Deum loco templi iam constructi coarctari putarent, publice oravit: *Si coelum, et coeli coelorum capere te non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificavi?* — Isa. LXVI, 1 inquit: *Haec dicit Dominus: coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quae est ista domus, quam aedificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meae?* Quae, teste *S. Hieronymo* (1) et *S. Cyrillo* (2) a Propheta prolata sunt, ut iudaicum convincat errorem, Deum certo loco defigentem. Ieremias XXIII, 24 etc. Deum ita loquentem inducit: *Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? dicit Dominus. Numquid non coelum et terram ego impleo? dicit Dominus*. Christus omnipraesentiam Dei satis clare indigitat, dum (3) Dei cultum nulli loco alligatum esse docet, et (4) Patrem videre in abscondito testatur. Denique Paulus immensitatem divinam praedicat, dum negat *Deum coeli terraeque Dominum in manufactis habitare templis*, et affirmat, eum *non longe esse ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, movemur et sumus* (5). Quem in locum *S. Chrysostomus* ait: « Apostolus Deum propinquum esse dicit his, qui sunt ubique terrarum. Quid hoc esse maius potest? Vide, ut illos, qui in parte aliqua collocant Deum, refellit. Quid dico longe? Adeo prope est, ut sine ipso vivi nequeat. *In ipso enim vivimus, movemur et sumus*. Ac sub corporum exemplo tale aliquid indicat. Quemadmodum ignorari non potest aër ubique diffusus qui non longe ab unoquoque nostrum est, vel potius in nobis inest, ita neque opifex omnium. » — Nullatenus autem dici potest, in citatis Scripturae locis non essentiae, sed tantum virtutis et efficaciae praesentiam indigitari. Nam Deut. IV, Baruch III, Iob XI nulla fit cognitionis, aut potentiae Dei mentio, sed de una praesentia essentiae et metaphorica dicta: *Coelum et terram impleo*: et *coeli te capere non possunt* etc., non cognitioni, non efficaciae virtutis, sed uni substantiae diffusioni adaptari merito possunt. Accedit, quod eodem modo dicatur Deus esse in inferno, quo in

(1) I. h. l. (2) L. 11 c. Iulian.
(3) Io. 4, 23. (4) Matth. 6, 8
(5) Act. 17, 24 etc.

coelo: at non diffitentibus adversariis, Deus est in coelo per essentiam, ergo et in inferno, seu sepulcro (1).

Prob. 2° *ex Traditione*. *Hermas*, (2) de Deo ait: « Ipse capax universorum solus immensus est. » *Clemens Alex*. (3) cum dicit esse bonum virum, « cui persuasum est, Deum ubique adesse, non autem certis et definitis locis esse inclusum. » *S. Cyprianus* (4) ait: « Quod templum habere possit Deus, cuius templum totus est mundus? Unus est, et ubique totus diffusus est. » *Origenes* (5) ait: « Deus omni loco melior omnia comprehendit, nec ulla re comprehenditur. » Idem vel alius (6) de his verbis agens: *Venerunt Angeli Dei, ut starent ante Deum*, humana usum ait consuetudine, ut diceret « *Venerunt ante Deum*, qui omnia replet, qui ubique praesens est, et non est locus neque in coelo, neque in terra, neque in excelsis, neque apud inferos, ubi non sit praesens Deus. » *S. Hilarius Pict*. (7) scribit: Deus ubique est, et totus ubique est. » Idem repetit *S. Hieronymus* (8) dicens: « Deus ubique est, et totus ubique est, a quo quis potest separari, cum in eo sint omnia? » — *S. Athanasius* (9) dicit: « Deus qui per se vere est, omnia continet, et a nulla re continetur: in omnibus est sua bonitate et potentia; at extra omnia est propria natura » qua scilicet a rebus creatis distinguitur. *S. Ambrosius* (10). Deus est, inquit, « complectens omnia, nusquam ipse confusus: penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus: ubique totus, eodemque tempore vel in coelo, vel in terra, vel in novissimo mari praesens. » — *S. Augustinus* (11) ait: « Idem Deus ubique totus, nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus, in nulla parte sectilis, ex nulla parte mutabilis, implens coelum et terram praesente potentia, non absente natura. » *S. Fulgentius* (12) scribit: « A Deo nostro nihil potest localiter separari, quia idem Deus summus, verus et bonus, sicut omnia fecit, sic omnia continet, et replet immensus. Non est autem corporalis, neque localis, et ideo neque ipsa corporalia possunt a Deo localiter separari, quia in loco est omne corpus, et sine Deo nullus est locus. » *S. Gregorius M.* (13), « licet, inquit, Deus communi modo omnibus rebus insit praesentia, potentia, substantia; tamen familiariori modo per gratiam dicitur esse in illis, qui mirificentiam operum Dei acutius et fidelius considerant. » *S. Io. Damascenus* (14) scribit: « Deus, ut qui materiae expers sit, et incircumscriptus in loco non est. Ipse enim sui ipsius locus est, omnia implens, ac supra omnia existens, omniaque ipse complectens. Attamen in loco esse dicitur - ubi eius virtus et operatio sunt. » In Symbolo Athanasiano Ecclesia profitetur: *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus, et tamen non tres immensi, sed unus immensus.* Et in Concilio Lateranensi IV sub Innocentio III definitum est: *Credimus, et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus aeternus et immensus.*

Prob. 3° *ex ratione*, quae varia argumenta pro immensitate et omnipraesentia Dei suppeditat. Nam *a*) Deus est ens summe necessarium,

(1) Cf. Tournely q. 7, a. 1.
(2) Pastor. l. 2, mand. 1.
(3) L. 7 Strom. (4) De vanit. Idol.
(5) C. Celsum l. 7, n. 34. (6) L. 1 in Iob.
(7) L. 1 ad Constant.
(8) In Ep. ad Ephes c. 2.
(9) De decr. Syn. Nic. n. 11.
(10) L. de fide, c. 16.
(11) L. 7 de civ. Dei, c. 30.
(12) C. ser. Faust. c 4.
(13) In Cantic. (a Magistro laudatus l. 1, dist. 37.) (14) L. 1 de fide orth. c. 13.

Digitized by Google

quod a seipso absoluta et omnimoda necessitate existit, ita ut nullam prorsus suae existentiae causam extra se et praeter se habeat, vel habere possit: ergo nullo loco definiri potest, sed ubique debet esse sua essentia diffusus; si enim alicubi eius essentia conclusa esset, aliquam esse oporteret causam, cur potius in uno, quam in alio loco consisteret: nulla autem fingi potest huiusmodi causa, ut hic potius sit, quam alibi, sicuti nulla fingi potest causa, cur potius Deus sit, quam non sit: Deus igitur est nedum virtute, sed etiam essentia immensus. *b*) Accedit, quod Deus est omnium consensu in omni genere perfectissimus, quo nihil maius, meliusve excogitari potest: huiusmodi autem non esset si immensitate et omnipraesentia careret: cogitari tunc posset ens maius meliusque, nempe immensitate et omnipraesentia praeditum. Imo si in quodam loco Deus non esset, iam limitem haberet, existentia in praedicto loco ei superaddi posset, ideoque infinitus non esset, Deus non esset. *c*) Omnia entia contingentia ex se nihil sunt, et totam existentiam suam tum quoad originem, tum quoad durationem ab ente a se, i. e. a Deo habent (Th. gen. § 28); qui ergo per potentiam suam, quae ab eius essentia realiter non distinguitur, continuo adest eis. Hoc argumentum proponit *S. Thomas* (1) dicens: « Deus est in omnibus rebus, non quidem sicut pars essentiae, vel sicut accidens, sed sicut agens adest ei, in quod agit. Oportet enim omne agens coniungi ei, in quod immediate agit, et sua virtute illud contingere. — Cum autem Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet, quod esse creatum sit proprius effectus eius, sicut ignire est proprius effectus ignis ipsius. Hunc autem effectum causatur Deus in rebus, non solum quando esse incipiunt, sed quamdiu in esse conservantur, sicut lumen causatur in aëre a sole, quamdiu aër illuminatus manet. Quamdiu ergo res habet esse tamdiu oportet, quod Deus adsit secundum modum, quo esse habet. Esse autem est illud, quod est magis intimum cuilibet, et quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omnium quae in re sunt: — unde oportet, quod Deus sit in omnibus rebus, et intime. » *d*) Deus est veritas; veritas autem, quae etiam iuxta nostrum conceptum simplicissima est, nec spatium occupans, nec loco circumscripta, ubique lucet nobis: supremus Legislator ubique nobis legem moralem dictat, et ubique summum Bonum ardens felicitatis desiderium in nobis excitat: sic per sensum intimum ad agnoscendam immensitatem, et omnipraesentiam Dei impellimur. Hanc nonnulli gentiles Philosophi agnoverunt. *Plotinus* (2) ait: « Id omni humanae insitum esse naturae, ut sicut esse Deum existimet, etiam ubique esse totum arbitretur. » Et *Seneca* (3) scribit: « Quocumque te flexeris, ibi Deum videbis tibi occurrentem: nihil illo vacat, opus suum implet. »

Nota 1. Scholastici quaesierunt, an Deus sit extra mundum in spatiis imaginariis? — ad quam quaestionem nonnulli cum *Herminier*, *Suarez* etc. affirmative respondendum esse censuerunt, ne Deus mundi habitu coarctaretur: alii cum *Tournely*, *Charmes* etc., dixerunt, in illis spatiis Deum existere non positive, sed negative, i. e. non extra se, nec cum ulla ad locum coëxistentia et connotatione: alii denique, et quidem solidius, totam quaestionem ut absonam reiece-

(1) 1, q. 8, art. 1. (2) Ennead. 6, l. 5, c. 4. (3) L. 4 de benef. c. 8.

Digitized by Google

runt. Nam, ait *S. Augustinus* (1): « inanes sunt hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cum nullus locus sit praeter mundum. » Spatia ergo imaginaria nihil sunt: sed Deus non est in nihilo, nam, ait *S. Thomas* (2): « in nihilo nihil omnino est. » Imo *S. Bonaventura* (3) addit: « Stultum est dicere, Deum esse in eo, quod est nihil. » Falso etiam putant aliter sentientes, Dei immensitatem coarctari, si extra mundum in spatiis imaginariis non existere dicatur; nam quaecunque spatia sibi imaginentur, haec utpote extensa, et divisibilia nunquam infinita esse possunt: ergo ratione spatii Deus nunquam immensus foret. Omnino ergo notiones spatii et loci a Deo removendae sunt. Ideo Patres Deum ante mundum conditum non in spatio et loco, sed in semetipso extitisse dicunt. *Tertullianus* (4) ait: « Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi et mundus, et locus et omnia. » *S. Augustinus* (5) inquit: « Antequam faceret Deus coelum et terram, ubi habitabat?... In se habitabat, apud se habitabat, et apud se est Deus. » Hoc idem ait *S. Bernardus* (6). Et *S. Thomas* in illa verba *Verbum erat apud Deum*, respondens obiectioni quorundam haereticorum, qui dicebant, quod si ante omnia nihil erat, nihil fuisse, in quo esset Verbum, dicit: « Haec obiectio procedit secundum imaginationem eorum, qui ponunt omne quod est esse alicubi, et in loco, quae quidem excluditur a Ioanne cum dicitur: *Apud Deum*» (7).

Nota 2. Circa hoc attributum divinum aberrarunt 1° *Stoici* et *Platonici*, quia, teste Tertulliano, docuerunt Deum « positum extra mundum Stoici, qui figuli modo extrinsecus torqueat hanc molem: intra mundum Platonici, qui gubernatoris exemplo intra illud maneat, quod regat: » hos vero nonnulli ab errore vindicant: 2° *Manichaei*, qui principium bonum in regione lucis, et malum in regione tenebrarum collocarunt. 3° *Antropomorphitae*, Deum corpore humano circumscribentes: 4° *Samaritani*, et *rudiores Iudaei*; nam, ait *S. Hilarius* (8): « Utrorumque praesumptio aut collis edito, aut extructae domus concavo Deum, intra quem omnia, et extra quem nihil eius capax est, continebat: 5° Ex Socinianis *Faustus Socinus*, ex Calvinianis *Vorstius*, ex Arminianis *Episcopius*, ex Lutheranis *C. G. Sticher*, ex Catholicis *Steuchus Eugubinus* admittunt quidem praesentiam Dei in rebus quoad virtutem et operationem, sed negant quoad essentiam, quam in solo coelo residere dicunt. Difficultates, contra omnipraesentiam Dei motae, facile solvuntur.

Obi. I. Ipsa S. Scriptura testatur, Deum non ubique, sed in coelo residere, tanquam in propria Sede. Isa. LXVI, 1: *Haec dicit Dominus: coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum;* et Ps. X, 5: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in coelo sedes eius:* ideo orare iubemur: *Pater noster, qui es in coelis*, et iam naturali instinctu homines orantes in coelum oculos attollunt.

Resp. Si S. Scriptura Deum in coelo esse docet, nuspiam tamen dicit, Deum *tantum* in coelis habitare, sed potius testatur, eum immensum, et ubique — in terra, in ipsoque inferno - praesentem esse, quod loca superius citata commonstrant. Praesen-

(1) L. 11 de civ. Dei, c. 5
(2) Ap. Billuart, Diss. 3, a. 6. § 4.
(3) L. D. 37.
(4) C. Prax. c. 5.
(5) In Ps. 122, n. 4.
(6) L. 5 de Consid. c. 6.
(7) Cf. Billuart. l. c.
(8) L. 2 de Trin.

tia ergo Dei in coelo non excludit eius praesentiam in aliis locis, atque tantum diversa ratione Deus diversis in locis existit. In coelo nimirum sedem suam habere dicitur, quia ibi maiestatem suam, et gloriam speciali modo in visione beatifica Angelis et Sanctis manifestat, quod non fit in hominibus in terra existentibus, quamvis etiam his intime praesens sit. Ideo *S. Ambrosius* (1) dicit: « Deus in coelo esse dicitur, quia illic semper videtur. » *S. Damascenus* (2) inquit: « Dei locus is dicitur, qui uberioris ipsius operationis et gratiae particeps est: idcirco coelum sedes eius est (illic enim sunt Angeli, qui faciunt ipsius voluntatem, eumque semper laudibus celebrant). » Et *S. Bernardus* (3) ait: « Licet ubique esse non dubitetur, sic tamen in coelo est, ut ad eius comparationem nec esse videatur in terris. Propter quod et orantes dicimus: *Pater noster, qui es in coelis.* Sicut enim anima, cum in toto quoque corpore sit, excellentius tamen, et singularius est in capite, in quo sunt omnes sensus. » Quod autem homines orantes ad coelum oculos manusque attollunt, id non faciunt, quasi Deum coelesti regioni inclusum crederent, sed quia Deum ab omnibus rebus creatis distinctum, sole astrisque excelsiorem agnoscunt, quia credunt, Deum in coelo peculiariter Maiestatem suam manifestare, et quia ad beatam in coelo mansionem omnes toto mentis desiderio adspirant.

Obi. II. Deus in Ss. Bibliis *descendere* (4), *appropinquare* (5), *recedere* (6) dicitur. Imo iustorum tantum proprium esse videtur, ut Deus in ipsis sit, dicente Christo: *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (7). Deus ergo non est ubique: alias ipsa Scriptura mentiretur.

Resp. In citatis locis S. Scriptura sensu figurato et metaphorico loquitur, ut se captui nostro accommodet. Scilicet descendere, et ad nos accedere Deus dicitur, dum propitius beneficia largitur; recedere vero quando impios impietati suae permittit, et uberiores gratias ab illis retrahit; « Sicut enim, ait *S. Thomas*(8), dicitur sol intrare domum, vel exire, in quantum radius eius pertingit ad domum: sic dicitur Deus appropinquare ad nos, vel recedere a nobis, in quantum percipimus influentiam bonitatis ipsius, vel ab eo deficimus. » Et *S. Augustinus* (9) ait: « Vide ne ascensionem vel descensionem localem sentias. Indignum est hoc de incorporea, et ubique tota sentire substantia: sed descendere dicitur Deus, quando curam humanae fragilitatis habere dignatur. » Speciali autem modo Deus ad iustos venire, et in ipsis habitare dicitur ob gratiam sanctificantem, vi cuius charitatis vinculo ei uniuntur: quapropter *S. Augustinus* (10) ait: « Fatendum est ubique esse Deum per divinitatis praesentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam. »

Obi. III. Si Deus ubique praesens esset, sequeretur, eum etiam in sordibus, et in locis obscoenissimis adesse, quod maiestate divina indignum et indecens est: imo tunc deberet etiam esse in peccatis, et in ipsis daemonibus, quod sanctitati Dei repugnat, unde dicit Apostolus: *Aut quae societas luci ad tenebras* (11)?

Resp. Ad difficultatem istam solvendam monendum est cum *S. Augustino*, mentem hic a sensibus revocandam esse, nec de praesentia Dei,

(1) In 2 Cor. c. 5.
(2) L. 1 de fide orth. c. 13
(3) Ser. in Ps. 90.
(4) Gen. 11, 5.
(5) Iac. 4, 8.
(6) 1 Reg. 18, 16
(7) Io. 14, 23.
(8) 1. q. 9, a. 1 ad 3.
(9) Ser. 70 de temp.
(10) Ep. 187.
(11) 2 Cor 6, 14.

entis spiritualis, iudicandum ad modum et legem corporum praesentiae. Certe spiritus incapax est qui sordibus locorum inquinetur: sol ipse non foedatur, nec inhonoratur obscoenitate locorum, quos radiis suis illustrat: anima lepram non contrahit ex lepra corporis. Si Deo indignum non fuit, res in oculis nostris minimas et sordidas creare, Deo etiam indignum non erit rebus iisdem adesse easque conservare. Neque quae nobis taedium ingerunt, coram Deo sordida sunt, sed quia ex principiis ab ipso productis consistunt, bona sunt; nam *Viditque Deus cuncta quae fecerat: et erant valde bona* (1). — Peccatum iuxta principia *S. Augustini* et *S. Thomae* non est nisi defectus boni, privatio iustitiae, seu inordinatio mentis a lege morali deficientis: inepte autem Deus praesens diceretur in eo, quod non in positivo, sed in mere negativo consistit. Quoad daemones *S. Thomas* (2) ait: « Dicendum quod in daemonibus intelligitur, et natura, quae est a Deo, et deformitas culpae, quae non est ab ipso. Et ideo non est absolute concedendum, quod Deus sit in daemonibus, sed cum hac additione, in quantum sunt res quaedam. In rebus autem, quae nominant naturam non deformatam, absolute dicendum est, esse Deum. ».

Obi. IV. Si etiam admittitur, Deum ubique, i. e. in toto mundo esse, ex hoc tamen non eius immensitas, sed potius huius contrarium colligi potest: quia enim totus mundus finitus est, etiam eius omnipraesentia finita sit, necesse est.

Resp. Maximi momenti esset haec obiectio, si Deus immensus et omnipraesens diceretur per modum extensionis; tunc enim revera immensus non esset, quia spatium infinitum non datur, nec dari potest. Sed cum Deus immensus dicitur, non iam ipsi extensio tribuitur, sed sine spatio et loco in seipso infinitus praedicatur, qui omnibus entibus, quae creat et conservat, intime adest, ex quo sequitur, non dari locum, in quo Deus praesens non sit. Absonum ergo est, immensum per locorum spatia mensurare velle. « Ne quaeratis, ait *S. Athanasius* (3), loci magnitudinem tantam, ut quae possit Dei magnitudinem capere: non enim immensus in menso est. » — Deus immensus fuisset, licet mundum non creasset, neque creando domicilium sibi condidit, quo includeretur. Mundus in Deo constat, Deus in seipso. ideo quaerit *S. Augustinus:* « Quomodo ubique, si in seipso? — ubique scilicet, quia nusquam absens, in seipso autem, quia nusquam continetur ab eis, quibus est praesens, tanquam sine eis esse non possit (4). »

Obi. V. Si dicitur, Deum esse ubique et in omnibus per essentiam; ergo etiam dici potest, essentiam Dei esse in omnibus rebus, et sic Pantheismus statuitur.

Resp. Ad hanc obiectionem respondet *S. Thomas* (5): « Deus dicitur esse in omnibus per essentiam, non quidem rerum, quasi sit de essentia earum, sed per essentiam suam, quia substantia sua adest omnibus, ut causa essendi. » Nimirum potentia Dei, quae omnia efficit et conservat, est ipsa essentia Dei: sicut ergo causa ab effectu, sic essentia Dei a rebus productis necessario distincta est, et ideo per assertionem nostram pantheismus non statuitur, sed destruitur.

(1) Gen. 1, 31. (2) 1, q. 8, a. 1 ad 4.
(3) L. c. Sabell. greg. n. 10.
(4) Ep. 187, al. 57, ad Dardan.
(5) 1, q. 8, a. 3 ad 1.

Nota 3. Continua immensitatis et omnipraesentiae Dei memoria maximam ad promovendam moralitatem efficaciam habet. *a*) Per illam enim tanquam per fraenum a vitiis retrahimur. Si enim serio cogitemus, nobis ubicumque fuerimus, Deum inspectorem, testem, iudicem et ultorem adesse, ad peccatum non facile prosiliemus, sed tempore tentationis cum Iosepho Aegyptiaco dicemus: *Quomodo ergo possum hoc malum facere et peccare in Deum* (1)? aut cum Susanna: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini* (2). Ideo *S. Basilius* (3) ait: « Haec una recordatio, si assidua esset, contra omnia vitia sufficiens remedium esse posset, » et *S. Chrysostomus* (4) inquit: « Si cogitaverimus Deum ubique praesentem esse... et omnia videre, etiam quae in profundo sunt animi... nihil mali faciemus, nihil mali dicemus, nihil mali cogitabimus: » et *S. Augustinus* (5) exclamat: « Si peccare vis, quaere ubi te Deus non videat, et fac, quod vis. » — *b*) Memoria praesentiae divinae etiam ad virtutes exercendas nos impellit. Nam si servi praesente Domino diligentissime laborant, et milites coram rege suo fortissime dimicant; quanto magis nos in conspectu Regis Regum et Domini Dominantium operibus bonis ac virtutibus solerter insudabimus? Ideo Deus ipse Abrahamo dixit: *Ambula coram me, et esto perfectus* (6): Tobias, ut filium suum ad perfectam mandatorum divinorum observantiam excitaret, inquit: *Omnibus autem diebus vitae tuae in mente habeto Deum* (7): et dicitur: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique... sollicite ambulare cum Deo tuo* (8). *c*) Efficiet denique praesentiae divinae intuitus, ut iustus inter adversa, et pericula constantem et tranquillam in Deo fiduciam experiatur: si enim Deum sibi intime, et circumquaque praesentem recogitaverit, cum Propheta confidenter dicet: *Etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es* (9).

(1) Gen. 39, 9. (2) Dan. 13, 23.
(3) In quaest. fuse expl. q. 30.
(4) Hom. 8 ad Phil. 2.
(5) Ser. 132 de Verb. Dom. (6) Gen. 17, 1.
(7) Tob. 4, 6. (8) Mich. 6, 8.
(9) Ps. 22, 4. Cf. Ps. 15, 8.
(10) L. 5 de cons. Phil. pr. 6.

ARTICULUS III.
De aeternitate Dei.

§ 25. 1. Difficillimum est, aeternitatem Dei recte concipere et explicare. Equidem, ut ait *Boëtius* (10), « cunctorum ratione degentium commune iudicium est, Deum aeternum esse, » ipsumque ideo tum initio, tum fine carere, et hic conceptus absque dubio rationi consonus est. Nam quod initium habuit, seu quod ortum est, non semper fuit, ac idcirco ut aeternum concipi nequit: et quod finem habebit, seu cuius existentia aliquando desinet, non semper erit, et proinde sempiternum dici non potest. Necessario ergo ab ente aeterno *initium* et *finis* penitus removentur. — Haec tamen non sufficiunt ad aeternitatem Dei recte concipiendam, sed ulterius procedendum, et etiam omnis *successio temporis* a Deo removenda est, ne Ens absolutum cum entibus contingentibus turpiter confundatur. Creaturae enim, quarum existentia in continuo *Fieri* consistit, eoipso tempori subiectae sunt, et ipsum tempus non est nisi successio rerum contingentium, quae oriuntur, evolvuntur, mutantur et transeunt. Qui entia contingentia produxit, etiam auctor temporis existit, cui proinde subesse

nequit: quidquid ergo rationem temporis habet, a conceptu Dei, qui omne tempus excedit, removeri debet, atque ideo neque praeteritum, neque futurum in Deo concipi possunt, sed sola praesentia ipsi adscribenda est, quae autem non in volubili momento, quale nobis obvenit, sed in statu immutabili et permanente consistit. Aeternitas divina est itaque (ad instar reliquorum attributorum divinorum) ipsa essentia Dei, initio, fine, et omni successione temporis carens, seu, ut ait *Perrone*: « est Dei ipsius vita unica, et in eodem statu manens (1) ». —Eandem doctrinam proponit *S. Thomas* (2), dicens: « Sicut in cognitionem simplicium oportet nos venire per composita: ita in cognitionem aeternitatis oportet nos venire per tempus, quod nihil aliud est, quam numerus motus secundum prius et posterius. Cum enim in quolibet motu sit successio, et una pars post alteram ex hoc, quod numeramus prius et posterius in motu, apprehendimus tempus, quod nihil aliud est, quam numerus prioris et posterioris in motu; in eo autem, quod caret motu, et semper eodem modo se habet, non est accipere prius et posterius. Sicut igitur ratio temporis consistit in numeratione prioris et posterioris in motu, ita in apprehensione uniformitatis eius, quod est omnino extra motum, consistit ratio aeternitatis. » — Difficile quidem essentiam et vitam divinam extra omne tempus concipimus, quia nosipsi tempori subiecti sumus, universum mundum in tempore volvi videmus, et simultaneam illam aeternitatem, in qua nulla successio locum habet, utpote divinum attributum, comprehendere non valemus. Unusquisque nostrum ideo fateri debebit, quod Cl. *Mosheim* (3) non diffitetur scribens: « Mihi diligenter aeternitatem commentanti idem usu venire sentio, quod iis, qui acriter solem intuentur. Ut aspectum hi amittunt omnino, et oculos valde conturbatos inde referunt, ita mihi mentis acies hebescit, et eam ob causam contemplandi diligentiam amitto. » Facile etiam contingit, ut ideas temporis, quibus assueti sumus, erroneo prorsus iudicio abrepti, etiam cum Ente absoluto et immobili coniungendas esse putemus. Nam ait *Cardinal. Gotti* (4): « Accidit nobis circa aeternitatem, quod navigantibus accidit. His enim videtur terra moveri, cum illa quidem maneat immota, ipsi autem moventur. Similiter nobis, qui modo quodam vehimur tempore, videtur aeternitas de minori fieri maior, et successionem habere, cum ipsa invariabilis ac sine successione permaneat: nos vero sumus, qui fluxui ac mutationi obnoxii uti aliae res huius mundi successionem recipimus. » — Nonnulli per similitudines declarare solent, quomodo Deo omnia praesentia sint, quae a nobis vel ut praeterita, vel ut praesentia, vel ut futura cognoscuntur, et quomodo Deus immobilis stet, cum caetera cuncta moveantur: si ponatur circulus, cuius peripheria circa centrum volvitur, omnia peripheriae puncta semper aeque a centro distant; existentibus vero extra centrum unum punctum proximum fuit, alterum est, tertium erit. « Accipe aliam similitudinem, ait *D. Billuart* (5), finge arborem extensam super fluvium ab origine ad ostium fluvii; contineret omnes partes aquae sub se fluentes, et ipsis coëxisteret, ipsa non fluens sed im-

(1) N. 337 in nota.
(2) 1. q. 10, a. 1 in corp.
(3) Ap. Wiest § 112.
(4) Theol. Schol. tr. 2 de Deo, p. 141.
(5) D. 3, a. 8.

mota manens. Ita aeternitas omnia tempora praeterita, praesentia, futura continens ipsis fluentibus coëxistit non fluens, sed immota manens » (1).

2 Iuxta praemissam theoriam aeternitatem Dei optime definivit *Boëtius* (2) dicens: « Aeternitas est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio: » Dicitur *a*) *possessio*, ut designetur eius immutabilitas, stabilitas et indeficientia; illud enim possideri dicitur, quod firmiter, constanter et quiete habetur: dicitur *b*) *vitae* possessio; nimirum vita potius, quam essentia in hac definitione exprimitur, vel quia vita actionem expressius designat, quam essentia; vel quia in Deo vita et essentia omnino idem est, cum ens perfectissimum nonnisi ut summe vivum concipi possit: dicitur *c*) *interminabilis* vitae possessio, ut designetur aeternitatem neque habere, neque posse habere initium et finem: dicitur *d*) possessio *tota simul* ad significandum, quod aeternitas careat divisione et successione secundum prius et posterius, qualis reperitur in tempore, de cuius ratione est, quod sit successivum; aeternitas autem consistit in unico *Nunc*, quod nunquam est praeteritum, neque futurum, sed semper praesens: denique dicitur *e*) possessio *perfecta* ad escludendum *Nunc* temporis, quod licet sit totum simul, nec habeat partes, non est tamen quid perfectum in ratione durationis cum statim evanescat, neque in illo aliquid perfecte possidetur. Sensus ergo definitionis Boëtii est, quod aeternitas sit duratio tota simul, perfecta et indeficiens rei viventis, carens successione, principio et fine (3).

3. Deum in sensu exposito vere aeternum esse

Prob. 1° *Ex S. Scriptura*, in qua frequentissime Dei aeternitas praedicatur. Sic *Abraham... invocavit nomen Domini Dei aeterni* (4). Deus ipse dicit: *Viro ego in aeternum*(5). Adscribitur quoque Deo aeterna iustitia (6), aeterna misericordia (7), sempiterna virtus, et divinitas (8) consilium aeternum (9) nomen aeternum (10), etc. Equidem vox: *aeternum* in Ss. Bibliis non semper in eodem sensu occurrit; sumitur enim in sensu latiori etiam pro tempore longissimo (11), vel pro aevo, quod initium, non autem finem habet (12): sed si de Deo enuntiatur, sine dubio in sensu stricto intelligenda est, quia ipsa S. Scriptura tum initium, tum finem, tum et temporis successionem Deo denegat.—Etsane *initium* Deo denegatur in omnibus illis locis, in quibus Deus dicitur Ens a se, ens primum et independens (§ 6, Prob. 1). *Finis* a Deo removetur, dum dicitur: *Deus sempiternus Dominus... non deficiet*(13). *Dominus regnabit in aeternum, et ultra* (14), i. e. ultra quamcunque durationem, quam cogitare valeat homo(15). *Ipse est enim Deus vivens, et aeternus in saecula, et regnum eius non dissipabitur, et potestas eius usque in aeternum*(16). *Dominus in aeternum permanet*(17). *Deus solus habet immortalitatem* (18), in quae verba *S. Augustinus* (19) interrogat: « Quid est quod ait Apostolus de Deo, *Qui solus habet immortalitatem*, nisi quia hoc

(1) Cf. Staudenmayr § 50, n. 1.
(2) L. c. (3) Cf. S. Thom. 1, q. 10, a. 1.
(4) Gen. 21, 33. (5) Deut. 32, 40.
(6) Ps. 118, 142. (7) Ps. 135, 1 etc.
(8) Rom. 1. 20. (9) Ps. 32, 11.
(10) Ps. 134, 13. (11) Gen. 13, 15.
(12) Io. 10, 28, Matth. 25, 46.
(13) Isa. 40, 28. (14) Exod. 15, 18.
(15) Cf. S. Thom. 1, q. 10, a. 2 ad 2.
(16) Dan. 6, 26. (17) Ps. 9, 8.
(18) Tim. 6, 16.
(19) Tract. 23 in Ioan. n. 9.

aperte dixit, solus habet incommutabilitatem, quia solus habet veram aeternitatem? » — Denique etiam *successio temporis* a Deo aliena declaratur; nam Iob, X, 5, ad Deum sermonem dirigens quaerit: *Numquid sicut dies hominis dies tui, et anni tui sicut humana sunt tempora:* quibus verbis aperte Deo illa temporis successio denegatur, cui vita hominum subest. Ps. LXXXIX, 4 legitur: *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quae praeteriit*, et II. Petri III, 8: *Unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut unus dies*, quod neutiquam verum esset, si aeternitas Dei conciperetur successiva, in qua mille anni valde differrent ab uno die. — Notio aeternitatis divinae egregie exhibetur Eccli. XLII, 21. Deus *est ante saeculum, et usque in saeculum*, quo in loco non dicitur: *fuit*, sed *est* ante initium temporis, nec dicitur: *erit*, sed est usque in saeculum, seu quamdiu saeculum durabit, ita ut nullum tempus, quo Deus finem habeat, assignari possit. Similis locus legitur, Ps. LXXXIX, 2: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, et orbis; a saeculo, et usque in saeculum tu es Deus.* Et Ps. CI, 26 etc.: *Initio*, dum tempus coepit, *tu Domine* non exortus es, sed *terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli: ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent, ... tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Haud obscure ergo in Ss. Bibliis sicut initium, et finis, ita etiam successio temporis Deo denegatur. — Cum igitur Deus dicitur *Antiquus dierum* (1), et *qui est, qui erat, et qui venturus est* (2), cum denique nonnullae actiones Dei vel praeteritae, vel futurae designantur, cave putes, his modis loquendi designari quamdam esse in aeternitate Dei successionem, et differentiam temporis, absit: sed magis nostra tenuitas et infirmitas arguitur, qui de aeternitate nonnisi per ordinem ad tempus cogitare et loqui possumus: ideo, ut docet *S. Augustinus* (3). Scriptura divina se ad captum nostrum demittit, et humano modo loquitur; nam, ait *S. Thomas* (4): « sicut Deus cum sit incorporeus, nominibus rerum corporalium metaphorice in Scripturis nominatur, sic aeternitas tota simul existens nominibus temporalibus successivis. »

PROB. 2° *Ex Traditione.* Dei aeternitatem, sicut ab initio et fine, ita et a temporis successione alienam, Patres docent. *Tertullianus* (5) ait: « Non habet tempus aeternitas; omne enim tempus ipsa est. Quod facit, pati non potest. Caret aetate, quod non licet nasci. Deus, si est vetus, non erit: si est novus, non fuit. Novitas initium testificatur, vetustas finem comminatur. Deus autem tam alienus est ab initio et fine, quam a tempore, arbitro et metatore initii et finis. » *Gregorius Naz.* (6) dicit: « Deus et erat semper, et est, et erit, vel ut rectius loquar, semper est. » *Gregorius Nyss.* (7) inquit: « Nullius egens illa, et aeterna, et omnia, quae sunt, complexa natura neque in loco est neque in tempore. » *S. Hieronymus* (8) ait: « Unum tempus Dei est omnis aeternitas: imo innumerabilia tempora sunt, cum infinitus sit ipse, qui ante tempus omne tempus excedit. » — *S. Augustinus* (9) scribit: « In aeternitate nulla spatia temporis cer-

(1) Dan. 7, 9. (2) Apoc. 1, 4.
(3) Tr. 99 in Ioan. (4) 1, q. 10, a. 1 ad 4.
(5) L. 1 c. Marcion. c. 8. (6) Or. 38.
(7) L. 1 ad Eunom.
(8) In Ep. ad Tit. c. 1.
(9) L. de ver. Relig. c. 49.

no, quia spatia temporis praeteritis et futuris motibus constant. Nihil autem praeterit in aeterno, et nihil futurum est; » et (1): « Fuisse, et futurum esse non est in Deo, sed tantum esse; » et (2): « Aeternitas ipsa Dei substantia est, quae nihil habet mutabile: ibi nihil est praeteritum, quasi iam non sit, nihil est futurum, quasi nondum sit: non est ibi nisi est. » *S. Gregorius M.* (3) inquit: « Scimus, quia Deo futurum nihil est, ante cuius oculos praeterita nulla sunt, praesentia non transeunt, futura non veniunt. » *S. Anselmus* (4) ita ad Deum loquitur: « De aeternitate tua nihil praeterit, ut iam non sit; nec aliquid futurum est, quasi nondum sit. Non ergo fuisti heri, aut eris cras; sed heri, et hodie, et cras es: imo nec heri, nec hodie, nec cras es, sed simpliciter es extra omne tempus. » — Ecclesia fidem suam de aeternitate Dei profitetur in symbolo, dicto Athanasiano, his verbis: *Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus, et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus.* Concilium *Nicaenum I* Filii aeternitatem speciali decreto contra Arianos asserendam putavit, ne a divinitate alienus crederetur, si esset ab aeternitate exclusus. Hinc in fine symboli additum est.... *Eos autem, qui dicunt, erat aliquando* (tempus) *quando non erat... aut mobilem, aut mutabilem Filium Dei, anathematizat sancta Dei catholica, et apostolica Ecclesia.* Demum in *Lateranensi IV*, cap. *Firmiter*, expresse definitur, *Deum aeternum esse.*

Prob. 3° *Ex ratione*, quae Deum aeternum - ab initio, fine, et successione temporis alienum - esse cognoscit. *a*) Deus certe *initium* habere nequit, quia est ens a se, ens primum: non potest ergo initium sumere ab alio, quia nihil est ipso prius: neque sibimetipsi initium dare potuit, quia debuisset esse, ut se produceret, et non esse, ut produceretur. *b*) Deus etiam *finem* habere nequit, quia est ens necessarium, quod a nulla conditione dependet, et cuius non existentia nullo modo cogitari potest; nam si Deus esse cessaret, vel ab alio, vel a semetipso destrui deberet: sed ab alio destrui non potest ens independens, et caeterorum entium causa suprema: neque se ipsum destruere potest ens infinite perfectum, quod non alio modo concipi potest, nisi se, suamque existentiam amans et conservans. Ideo intellectus noster Veritatem intuetur, quae deficere, seu seipsam negare non potest (5), et voluntas nostra in bonum incessabili nisu fertur, quod terminos, et finem non habeat (Th. gen. § 36). *c*) Denique etiam *successio temporis* in Deo cogitari nequit; nam aeternitas successiva contradictionem involvit, et metaphysice impossibilis est. Haec enim in serie momentorum sibi continuo succedentium, ergo in numero consisteret; numerus autem infinitus repugnat, quia divisibilis est: et si in partes dividitur, hae vel infinitae sunt, vel non; si quaelibet pars infinita dicitur, una alteram excludit; si vero partes, seorsim acceptae, infinitae non sunt, etiam totum, quod suas partes sequitur, infinitum non erit, sed initium quoddam habet. Praeterea - si Deus, initio carens, temporis successioni subesset, in praesenti momento aeternitas, seu tempus infinitum iam praecessisset, et quomodo nunc nova momenta accedere possent, cum infinito nihil addi queat? — Sic inextricabiles difficultates sequuntur, si in

(1) L. 9 Confess. c. 10.
(2) Enarr. 2 in Psalm. 101. (3) L. 22. Mor.
(4) In Prosol. c. 19.
(5) 2 Tim. 2, 13.

Deo temporis successio admittitur, quapropter sana ratio necessario statuit, Deum, sicut ab initio et fine, ita etiam a tempore omnino alienum esse. Hanc veritatem etiam nonnulli ex ethnicis Philosophis agnoverunt. Sic *Plato* (1) ait, « errore quodam duci homines in loquendo, qui partes illas temporis *erat* et *erit* - in aeternam substantiam imprudentes transferunt. Dicimus enim de illa: erat, est, et erit: sed illi revera solum *est* competit: at erat, et erit ad generationem, quae in tempore procedit, referri convenit. » *Plotinus* (2) ita Deum concipiendum esse docet, ut « vita sit infinita, eoipso quod tota simul consistit, nihilque amittit, cum nihil praeterierit, vel sit futurum; alioquin iam tota non esset. » Apud Ammonium (3) *Parmenides* ita loquitur: « In diis, qui ad entia rationem habent principii, praeteritum, futurumve contemplari non possumus, sed omnia, quae apud illos sunt, in uno nunc, velut aeone stabilita sunt. Quippe temporis mensura una cum universitatis existentia sese produnt, ac sola metiuntur illa, quae vel subsistunt, vel operantur in tempore » (4).

Nota. 1. Aeternitas, in qua nec initium, nec finis, nec successio datur, est attributum soli Deo proprium, ita ut praeter ipsum nihil in hoc sensu aeternum dici possit, quamvis de angelis, et animabus hominum immortalitas, seu, ut scholastici dicunt, *aeternitas ex post*, quae tamen in successione temporis consistit, recte praedicetur. Ideo Deus dicitur *solus praestans*, *solus iustus*, *et omnipotens*, *et aeternus* (5), et in hoc sensu Deus *solus habet immortalitatem* (6). — Etiam Patres aeternitatem Deo soli propriam dicunt. *Tertullianus* (7) ait: « Quis enim alius Dei census quam aeternitas? quis alius aeternitatis status, quam semper fuisse, et futurum esse ex praerogativa nullius initii et nullius finis? Hoc si Dei est proprium, solius Dei erit, cuius est proprium, quia si et alii adscribatur, iam non erit Dei proprium, sed commune cum eo, cui et adscribitur. » *S. Ambrosius* (8) inquit: «Nihil tam proprium Dei, quam semper esse. » *S. Athanasius* (9), ut ostendat, Verbum non esse creaturam, eo quod sit aeternum, sic argumentatur: « Res creatae aeternae esse non possunt, quia ex non extantibus sunt, et non erant, antequam fierent. » *S. Basilius* (10) dicit: « Nos et creaturis aeternitatis testimonium praebere, et creaturarum Dominum hac confessione privare, eiusdem esse amentiae arbitramur. » *S. Augustinus* (11) scribit: « Illa vera est aeternitas, quae est vera immortalitas, hoc est, illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet, qui mutari non potest. » Hoc idem etiam ratio probat. Deus enim est ens a se, in quo ratio sufficiens omnium entium contingentium invenitur: haec ergo omnia a Deo producta sunt ex nihilo, quod praecessit; quapropter initium sumserunt, et aeterna non sunt. Praeterea omnia, quae extra Deum cognoscimus, successioni temporis subiecta sunt, et ideo inceperunt, quia aeternitas successiva apertam contradictionem involvit. — Nonnulla quidem menti nostrae necessaria, immutabilia et aeterna esse videntur, uti internae rerum possibilitates et evidentia demostrationis principia: sed id non ex alia ratione contingi, nisi quia

(1) L. 2 in Tim. (2) Enn. 3, l. 7, c. 1.
(3) L. de Interpr.
(4) Cf. Petav. l. 3 c. 3 et 4, Klee l. c. B p. 11. (5) 2 Mach. 1, 21. (6) 1 Tim. 6, 16.
(7) C. Hermog. c. 4.
(8) In Ps. 43, n. 19. (9) Or. 2 c. Arian.
(10) L. 2 c. Eunom. n. 19.
(11) De natur. boni, c. 39.

Digitized by Google

haec in aeterna Veritate, quae menti nostrae lucet, et quae Deus est, cognoscimus et diiudicamus, ex quo fit, ut etiam ea, quae in aeterna Veritate conspicimus, recte a nobis ut necessaria, immutabilia et aeterna habeantur. Egregie ideo *S. Thomas* (1) ad solvendam praesentem difficultatem ait: « Necessarium significat quemdam modum veritatis. Verum autem secundum Philosophum (2) est in intellectu. Secundum hoc igitur vera et necessaria sunt aeterna, quia sunt in intellectu aeterno, qui est intellectus divinus solus: unde non sequitur, quod aliquid extra Deum sit aeternum. »

Nota 2. In hoc dogmate aberrarunt *Ethnici*, qui suis Diis Deabusque originem, diversaque fata affinxerunt. — Nonnulli ex *Socinianis* et *Arminianis* negant aeternitatem Dei simultaneam, quia haec a ratione nostra comprehendi nequit, et admittunt aeternitatem successivam: reiicientes ergo id, quod est supra rationem, illud amplectuntur, quod est contra rationem. Inter aberrantes hic merito etiam computantur *Pantheistae*, qui Deum non secus ac totum Universum successioni temporis subiiciunt, et sic veram aeternitatem e medio tollunt, ac in inextricabiles difficultates implicantur: si enim dicunt, totum Universum nullum initium habuisse, debent admittere infinitam temporis successionem, quae aperte contradictoria est: si autem pro toto Universo initium statuunt, huius rationem sufficientem assignare nequeunt, et ineptissime ad nihilum recurrunt, quod, cum sit negatio causae, effectus producere nequit. Ratio ergo sufficiens huius Universi non potest esse nisi ens a se, initio carens, seu vere aeternum, et per consequens temporis successioni non subiectum, ac ideo ab hoc Universo, quod in tempore existit, plane distinctum. — Mirum est, etiam inter Theologos catholicos quosdam extitisse, qui Deo non simultaneam, sed successivam aeternitatem tribuerent. — Inter hos commemorandus est praecipue *L'Herminier*, qui, ut sententiam suam firmaret, contra communem Theologorum doctrinam difficultates movet (3), quas solvere oportet:

Obi. I. « Nullus eorum, ut opinor, ait, sibi unquam in mentem induxit eo sensu durationem Dei non esse successivam, quod non constet diversis instantibus, sed universam uno eodemque instanti existere: quia duratio, ut duratio est, essentialiter et in suo conceptu formali coalescit ex variis instantibus, quorum unum succedit alteri; hanc durationis notionem tollere qui voluerit, omnia pervertat vel certissima necesse est: aut igitur dici debet, aeternitatem Dei non esse durationem, quod nemo dixerit, aut fateantur necesse est, illam durationem per seipsam formaliter non esse totam. »

Resp. Duratio non est nisi existentia firma et permanens: sicut ergo haec in Deo, et in creaturis differt, ita et illa; Deus enim solus habet Esse per se et absolutum, creaturae autem sunt continuum Fieri, atque ideo successioni temporis subsunt: ergo « Duratio essentialiter, et in suo conceptu formali coalescit ex variis instantibus » in creaturis, quae tempori subsunt, non autem in Deo, qui tempori, cuius est auctor, subiectus non est. Omni tamen iure dicitur, aeternitatem habere rationem verae durationis respectu Dei, quin haec ut successiva admittatur: nam, ait *D.*

(1) 1, q. 10, a. 3 ad 3.
(2) 6 Metaph. text. 8.
(3) T. 1 de aetern. Dei, p. 128.

Billuart(1), « licet duratio, secundum etymologiam nominis, dicat quamdam extensionem successivam partium, quantum tamen ad rem significatam, et vi proprii conceptus non importat successionem; quinimo successio minuit perfectionem durationis, quia duratio quoad rem significatam nihil est aliud quam permanentia rei in esse: unde tanto aliquid perfectius durat, quanto minus amittit de esse; in successione autem includitur aliqua amissio essendi, quatenus successivum non eodem modo permanet, sed transit de potentia ad actum: ergo successio non est de conceptu durationis, sed potius eam imperfectam efficit. »

Obi. II. « Si aeternitas Dei tota est simul hoc praefato sensu, quod nempe sit veluti unum punctum, quaecumque creatura existens per unum momentum, erit aeterna; nam illud est aeternum quod una existit cum tota Dei aeternitate: sed in illa sententia quaelibet creatura vel unico momento existens, una existet cum tota Dei aeternitate, quae nimirum foret tota in unico momento. »

Resp. Sophisma hoc facile diluitur, si cum Theologis, qui aeternitatem Dei successivam negant, distinguitur *nunc temporis* et *nunc aeternitatis*: hoc enim ab illo maxime differt; nam nunc temporis, eo ipso quod in successione consistat, est volubile, continuo mutatur, et cito evanescit, quapropter etiam momentum dici solet: ast nunc aeternitatis est ipsa existentia immobilis, immutabilis et permanens, cum tempore, quod ipsa excedit, nihil commune habens (2). Haud ergo sequitur ex proposita doctrina, aeternas dicendas esse creaturas, quia his solummodo nunc temporis competit, nullatenus autem nunc aeternitatis. — Et sane imbecillitas et imperfectio creaturarum in hoc consistit, quod volubilibus tantum et cito sibi succedentibus momentis gaudeant, tempore autem praeterito, aut futuro frui non possint. Nonne ens multo magis perfectum et beatum dicendum foret, cui momenta non tam cito et non tam irreparabiliter abripiantur? — Sed Deum esse ens perfectissimum, quo nihil melius cogitari potest, omnes admittunt, atque ideo necesse est, ut sicut ab initio et fine, ita et a successione temporis alienus existat.

Obi III. « Si duratio Dei formaliter sumpta ut duratio est, foret tota simul, omnia instantia deberent esse simul in eodem instanti, quemadmodum ut immensitas formaliter sumpta esset tota ubique, omnia loca deberent esse in quolibet loco: sed implicat manifeste, omnia instantia esse in eodem instanti: ergo repugnat, durationem Dei formaliter sumptam esse totam simul. »

Resp. Haec obiectio innititur falso supposito, quod Deus ad instar creaturarum tempori sit subiectus, quia tantum in hoc casu varia instantia in ipso distingui possent: hoc autem negato, tota difficultas evanescit. Libenter enim conceditur, quod respectu creaturarum, quae tempori subsunt, instantia, quae sibi succedunt, nequaquam simul in uno instanti convenire possint. Sed aliter de Deo, qui a creaturis infinite distat et tempori non est subiectus, disserere oportet. Deus enim, sicut sine ratione spatii et loci est immensus, ita sine ratione temporis est aeternus. Gravis ergo error committitur, quotiescumque Deus temporis vicissitudinibus subiicitur, et sic cum creaturis suis con-

(1) T. 1 diss. 3, a. 8, quaer. 5.

(2) Cf. S. Thom. 1, q. 10, a. 4.

funditur. — Non negatur quidem, simultaneam Dei aeternitatem perfecte a nobis non comprehendi; sed eam Deo vere competere, tum ex revelatione, tum ex ratione satis probatum est.

Nota 3. *a*) Pertractati attributi attenta consideratio ardentissimum in nobis excitare debet Deo potiundi desiderium: in beatissima enim aeternitate Deum, id est summum bonum secure, non centum vel mille annis, sed infinitis saeculis; non sensim et quasi per partes, ut in mortali hac vita, sed totum simul possidebimus. Hinc erumpebant pia illa Davidis vota: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: sitivit anima mea ad Deum.... quando veniam, et apparebo ante faciem Dei* (1)? *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae* (2) *b*). Ad illud quoque plurimum valet aeternitatis intuitus, ut bonorum temporalium contemptum nobis iniiciat; quisquis enim aeterna contemplabitur, is facile deprehendet, quam nullius momenti sint temporalia omnia, si cum aeternis conferantur. Nam quidquid finem habet, eo ipso quo desiit, perinde est, ac si numquam fuisset. Fruatur quis omnibus mundi voluptatibus, divitiis, honoribus, et quidem per plurimos annos, nihil tamen ex iis supererit, nisi tristissima recordatio, qua se haec aliquando possedisse meminerit. *Quid nobis*, inquient huiusmodi homines, *profuit superbia? aut divitiarum iactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra* (3). — *c*) Ex aeternitatis meditatione etiam mala temporalia patienter ferre, et levia aestimare discimus, dicente Apostolo: *Existimo, quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (4). *Quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae,.... aeternum gloriae pondus operatur in coelis* (5). *d*) Denique quia *breves dies hominis sunt* (6), et tempus cui nos subiecti sumus, velociter pertransit (7): *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum* (8), ut moralem nostram perfectionem promoventes, salutem aeternam consequamur (9).

ARTICULUS IV.
De immutabilitate Dei.

§ 26. 1. Immutabilitatis nomine intelligitur illud Dei attributum, vi cuius in eodem semper statu permanet. Dum ergo Deum immutabilem dicimus, eoipso ab eodem removemus omnes mutationes *physicas* et *morales*, quas in entibus contingentibus observamus. Haec enim physice mutari dicuntur quoad *existentiam*, dum vel esse incipiunt, vel esse desinunt, quoad *quantitatem*, cum mole vel crescunt, vel minuuntur, quod *qualitatem*, quam recipiunt aut amittunt, quoad *tempus*, cuius momenta sibi continuo succedunt, quoad *locum*, cum de uno in alium transferuntur, quoad *actionem*, quando a potentia transeunt ad actum, uti, e. g. animalia, dum incedunt, manducant etc. Moraliter entia, natura spirituali praedita, mutantur quoad *intellectum*, dum vel novas cognitiones acquirunt, vel acquisitarum obliviscuntur, et quoad *voluntatem*, quae modo in hoc, modo in illud tendit, nunc hoc eligit, nunc quod elegerat, reiicit etc. Omnes istae mutationes a Deo penitus removendae sunt, et o-

(1) Ps. 41 (2) Ps. 26. 4
(3) Sap. 5. 8 etc. (4) Rom. 8, 18.
(5) 2 Cor. 4. 17. (6) Iob 14, 5.
(7) Iob 9. 25 etc (8) Gal. 6, 10
(9) Fruct. § 54

omnimoda de ipso immutabilitas est praedicanda. Quamvis autem haec, vi nominis negativum aliquid sonet, positivam nihilominus in Deo perfectionem arguit, per quam scilicet idem semper est, et in eodem statu semper permanet, omnino incapax, qui perfectionem aliquam aut acquirat, aut perdat.

2. Deum penitus immutabilem esse

PROB. 1° *ex S. Scriptura*, quae immutabilitatem Dei clare pronuntiat. Num. XXIII, 19 dicitur: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur.* Sicuti ergo impossibile est, Deum mentiri, ita impossibile est, Deum mutari. Ps. CI, 27 Deus opponitur rebus mutabilibus, ipsis quoque coelis, quae nobis firmissima videntur, et dicitur: *Sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur, tu autem idem ipse es* etc.; in quem locum *S. Chrysostomus* ait: « Tu vero immobilem habes naturam, et mutatione praestantiorem. » Sap. VII, 27 de divina Sapientia dicitur: *Cum sit una, omnia potest, et in se permanens omnia innovat.* Baruch III, 3 legitur: *Tu sedes in sempiternum, et nos peribimus*, in quae verba scribit *S. Cyrillus Alex.* (1): « Stabilitatem et immutabilitatem divinae naturae, et ut semper eodem modo se habeat significans Propheta dicit: *Tu sedes in sempiternum.* » Malach. III, 6 Deus ipse ait: *Ego Dominus, et non mutor.* — Iac. I, 17 de Deo *Patre luminum* dicitur: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*: in texto graeco *transmutatio* (παραλλαγή): est varius solis conspectus in ortu, in meridie, in occasu, et *obumbratio* (ἀποσκίασμα) est solis umbra ex subiectis corporibus: est itaque iuxta verba Iacobi Deus Pater luminum, a quo omne donum descendit, sed non oritur, non occidit, non recedit, non aliquid ei accidit mutationis et umbrae, dum lucem effundit, i. e. dum eius opera apparent: ideo in hunc Apostoli locum praeclare *S. Gregorius M.* (2) scribit: « Ipsa mutabilitas umbra est, quae quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla eius lumen umbra vicissitudinis intercedit. » — S. Scriptura ergo omnem prorsus mutabilitatem a Deo removet, ex qua sequitur etiam immutabilitas intellectus divini et voluntatis divinae, de qua autem in specie inferius sermo recurret.

PROB. 2° *Ex Traditione*, quam Ss. Patres contestantur. *Tertullianus* (3), inquit: « Deum immutabilem et informabilem credi necesse est, ut aeternum. — Deus neque desinit esse, neque aliud potest esse. » *Origenes* (4), scribit: « Iudaeorum Christianorumque doctrina — Deum mutationis omnis variationisque expertem profitetur. » *S. Hilarius* (5), ait: « Nihil in aeternam illâm et perfectam naturam novum incidit: neque qui ita est, ut qualis est, talis et semper sit, ne aliquando non idem sit, potest effici aliquid aliud esse, quam semper est. » *S. Gregorius Nyss.* (6), inquit. « Sola conversione omni, mutationeque superior est natura divina. Nihil enim est, ad quod mutatione utatur; cum nec mali sit capax omnino, neque ad id, quod est melius, converti queat. Non enim est aliquid, ad quod mutationem recipiat, quippe non se habet melius quidquam, ad quod transitum faciat. » *S. Eucherius* (7), Deum as-

(1) Thesaur. 13. (2) Moral. l. 12, c. 33.
(3) Adv. Prax. c. 27.
(4) C. Cels. l. 1, n. 21. (5) In Ps. 2, n. 13.
(6) In Psalm. inscr.
(7) L. de form. spir. intel. c. 1.

serit « immutabilem esse, quia mutari omnino ab eo, quod est, non potest. Simplex enim natura est, et immutabilis atque imperturbata, neque aliud est ipse et aliud, quod habet et quod est. » *S. Augustinus* (1), ita disserit: « Quis magis *est*, quam ille, qui dixit famulo suo Moysi: *Ego sum qui sum, et, dices filiis Israël: qui est misit me ad vos.* Sed aliae quae dicuntur essentiae, sive substantiae capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna, vel quantacumque mutatio. Deo autem aliquid eiusmodi accidere non potest, et ideo sola est incommutabilis substantia vel essentia, quae Deus est, cui profecto ipsum Esse, unde essentia nominata est maxime, ac verissime competit. Quod enim mutatur, non servat ipsum esse, et quod mutari potest, etiamsi non mutetur, potest quod fuerat, non esse: ac per hoc illud solum, quod non tantum non mutatur, verum etiam mutari omnino non potest, sine scrupulo occurrit quod verissime dicatur *esse*. » Et (2), ait: « Omnino Dei essentia, qua est, nihil mutabile habet, nec in aeternitate, nec in veritate, nec in voluntate, quia aeterna ibi est veritas, aeterna charitas, et vera ibi est charitas, vera aeternitas, et cara est ibi aeternitas, cara veritas. » *S. Cyrillus Alex.* (3), Filium Dei mutabilem non esse probat, quoniam *Veritas* est: « Quod enim mutari, et alterum fieri potest non diceret de se ipso: *Ego sum Veritas*; nam si aliquando hoc est, aliquando non est, secum ipse mentitur: » *S. Fulgentius* (4), ait: « Deum nec melioribus rebus, nec deterioribus commutari. Neque enim habet, ubi proficiat ipse in melius, aut unde in deterius deficiat. Ille quod est, semper est, et sicut est, ita est, non in se habet non esse posse, quod est, quia nec in se habet esse posse, quod non est. Et hoc, quod sic est, non initio praevenitur, non fine concluditur, non temporibus volvitur, non locis continetur, non aetatibus variatur. Nihil ibi deest, quia totum in illo est; nihil ibi superest, quia nihil praeter illum est. » *Concilium Nicaenum I*, in decreto de fide ait: *Eos, qui dicunt... mutabilem et convertibilem Dei Filium, hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia.* Qua definitione relata, haec subiicit *S. Ambrosius* (5): « Arius dicit mutabilem et convertibilem Dei Filium. Quomodo ergo Deus si mutabilis, cum ipse dixerit: Ego sum, et non sum mutatus (6). » Denique in *Concilio Lateran. IV* (7), Deus *incommutabilis* dicitur.

Prob. 3° *Ex ratione*, quae pro immutabilitate Dei varia argumenta suppeditat. *a*) Si Deus mutari posset, mutatio vel quoad existentiam, vel quoad formam substantialem vel quoad formam accidentalem contingeret. Deus autem quoad *existentiam* mutari non potest, quia finem habere nequit. Quoad *formam substantialem*, si mutatio fieret, Deus vel in meliorem, vel in deteriorem, vel in alium aequalem statum transiret: atqui nihil horum dici potest. Nam ens perfectissimum et infinitum in melius commutari nequit; aut undenam boni augmentum susciperet? non ab alio, quia est ens primum, independens, et omnium rerum causa, neque a seipso, nam si prius habuit, quomodo ad illud crescendo pervenit? et si prius non habuit, nec sibi nec alteri dare potest, quod omnino non habet: — Deus etiam in deteriorem

(1) L. 5 de Trin. c. 2.
(2) L. 4 de Trin. in prooem. (3) L. c.
(4) Ep. 6 ad Theodor. c. 4.
(5) L. 1 de fide, c. 18.
(6) Cf. Hilar. in fragm. (7) Cap. *Firmiter*.

Digitized by Google

statum transire nequit, quia est ens necessarium, quod non potest aliter esse, quam est: nihil sane Deo subtrahi potest ab alio, quia est independens et omnipotens, nihil a se, quia ut ens perfectissimum perfectissime se amat: imo Deus cum sit ens simplicissimum, quod partes non habet, per quamlibet deteriorationem omnino esse desineret, quod absolute impossibile est: tertium quoque mutationis genus in Deo locum non habet; nam si Deus de statu uno in alium etiam aequalem transeat, oportet, ut qualitercumque deficiat ab aliquo, quod prius habuit, et ut in eiusdem defectus recompensationem aliquid ei accedat, quod prius non habuit, et tunc in una eademque alteratione praedictis duabus mutationibus subiacebit, quarum utramque superioratio improbavit. — Denique Deus non potest mutari quoad *formam accidentalem*, quia in ente simplicissimo et necessario, in quo omnia ipsam essentiam constituunt, accidentia locum non habent. — Facile ergo, ex recto Dei conceptu, colligitur, nullum mutationis genus in Deo occurrere posse: non est in ipso mutatio *quantitatis*, quia est corporis expers, non *qualitatis*, quia quodlibet attributum ipsam divinam essentiam constituit; non *temporis*, quia ut vere aeternus huic subiectus haud est; non *loci*, quia ut immensus est ubique; *non operationis*, quia in Deo simplicissimo non licet distinguere potentiam ab actu, seu non potest distingui realiter Deus potens et Deus agens; secus enim esset compositus ex potentia et actu, nec esset actus purissimus (1). — *b*) Immutabilitas Dei necessario infertur ex recta aeternitatis divinae notione, vi cuius Deus sine ulla temporis successione in continua praesentia, seu in uno eodemque perpetuo simplici momento versatur. Quemadmodum enim in uno eodemque momento, seu temporis puncto, nulla res esse et non esse, aut hoc et simul alio modo existere potest, ita profecto etiam Deus in uno illo simplicique momento non potest esse et non esse, ita, et aliter existere, plura et pauciora scire, de una volitione ad aliam transire etc. uno verbo: Deus mutari non potest, quia tempore caret, sine quo mutatio concipi nequit. — *c*) Immutabilitatem Dei ex sensu intimo cognoscimus, quia aeterna Veritas menti nostrae lucet: ideo, quae in hac luce evidenter vera cognoscimus, etiam immutabiliter vera iudicamus, ita ut omnino certi simus, ea nunquam falsa fieri posse. Deum etiam ut supremum et immutabilem legislatorem concipimus, unde firma nostra persuasio oritur ea, quae iuxta legem aeternam bona sunt, non posse fieri mala, et quae iuxta eam mala sunt, non posse fieri bona. Demum indelebili felicitatis desiderio in summum bonum ferimur, quod deficere et mutari non possit. — Immutabilitatem Dei multi etiam ex gentilibus Philosophis agnoverunt. « Divinum omne, ac primum summumque immutabile esse, » inter vulgaris Philosophiae decreta posuit *Aristoteles* (2). Idem ex ratione primi et summi entis conclusit *Plotinus* (3), ex unitate *Proclus* (4), ex bonitate ipsemet *Plato* (5), cuius praeclaram argumentationem refert *Eusebius* (6).

Nota 1. Circa hoc attributum divinum abberrarunt, teste *Origene* (7),

(1) Cf. S. Thom. 1. q. 9, a. 1.
(2) L. 1 de coelo, c. 9.
(3) Enn. 3, l. 6, c. 6.
(4) Theol. platon. c. 19.
(5) L. 2 de Republ.
(6) L. 15 praep evang.
(7) L. 3, c. Cels.

Stoici, qui Deum mutationi et alterationi obnoxium fecerunt. Antiquitus nonnulli *Haeretici* in creatione mundi mutatum fuisse dixerunt, eo quod tunc ab otio transiit ad operationem (1). *Anthropomorphitae* Deo cum corpore humano etiam affectiones humanas tribuebant. Recentiori aetate in hoc commate praecipue errarunt *Sociniani* et *Arminiani*, qui ratione scientiae et decretorum in Deo mutationem admiserunt, errorem hunc prae aliis propagante *Conrado Worstio*, qui propterea a pluribus vehementer impugnatus est. Praecipuas iam difficultates, quae contra Dei immutabilitatem moventur, referre et solvere oportet.

Obi. I. Deus dicitur *Sapientia aeterna*, de hac autem legitur: *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia* (2): ergo ipsa S. Scriptura Deo mobilitatem, seu mutabilitatem adscribit.

Resp. Sapientia mobilis dicitur non passive et intrinsece, quasi ipsa motum in se reciperet, sed tantum active et extrinsece, quatenus ipsa motum creaturis tribuit: ideo inferius adiungitur: *Cum sit una, omnia potest, et in se permanens omnia innovat* (3). Eodem fere modo S. Thomas hanc obiectionem solvit (4), dicens: « Sapientia dicitur mobilis esse similitudinarie, secundum quod suam similitudinem diffundit usque ad ultima rerum: nihil enim esse potest, quod non procedat a divina sapientia per quandam imitationem, sicut a primo principio effectivo et formali, prout etiam artificiata procedunt a sapientia artificis. Sic igitur in quantum similitudo divinae sapientiae gradatim procedit a supremis, quae magis participant de eius similitudine usque ad infima rerum quae minus participant, dicitur esse quidam processus et motus divinae sapientiae in res, sicut si dicamus solem procedere usque ad terram, in quantum radius luminis eius usque ad terram pertingit. »

Obi. II. Si mundus non aeternus, sed in tempore factus est, Deus illum prius noluit, et postea voluit: ergo voluntatem suam mutavit.

Resp. Deus mundum semper, seu ab aeterno voluit, sed aeterno et immutabili voluntatis decreto ita voluit, ut in tempore, seu potius cum tempore oriatur: nullatenus ergo divina voluntas mutata est, cuius decreta omnia aeterna et immutabilia sunt, sed mutatio solum ex parte mundi, qui incepit, reperitur. Praeclare ideo S. *Augustinus* (5) dicit: « Deus potest ad opus novum non novum, sed sempiternum adhibere consilium, nec poenitendo, quod prius cessaverat, coepit facere, quod non fecerat... Sed una, eademque sempiterna et immutabili voluntate res quas condidit, et ut prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, et ut posterius essent, quando esse coeperunt. » Et (6), ad Deum exclamat: « Numquam novus, numquam vetus innovas omnia... opera mutas, nec mutas consilium. » Similiter *V. Beda* (7) in illa verba: *Omnia per ipsum facta sunt* « ne quis, inquit, audiens factam per Dei Filium creaturam, mutabilem credat eius voluntatem, quasi qui subito vellet facere creaturam quam ab aeterno nunquam ante fecisset, manifeste docet Evangelista factam quidem in tempore creaturam, sed in aeterna Creatoris sapientia quando, et qualis crearetur fuisse dispositum. »

(1) Cf. Bernardum a Luxemburg, in cathal. haeret. (2) Sap. 7, 24. (3) V. 27.
(4) 1 q. 9, a. 1 ad 2.

(5) L. 12 civ. Dei, c. 17, n. 2.
(6) L. 1 Confess. c. 4. (7) In Ioan. c. 1.

Digitized by Google

Obi. III. Deus, cum creavit mundum, a potentia ad actum transiit; dum enim, omnipotentia praeditus, prius nihil operaretur, postea mundum produxit: a quiete ergo ad operationem progressus est, sicut post consummatum creationis opus ab ipsa S. Scriptura (1) iterum requievisse dicitur; ex quo patet, mutationem in ipso contigisse.

Resp. Difficultas haec ex falsa notione oritur, qua Deus cum homine confunditur. In hoc enim voluntas in potentia consistit, et tempori subiecta est, quapropter voluntas in potentia distinguitur a volitionis actu, qui ab illa in tempore producitur, ita ut illa praecedat, et hic sequatur. Dei autem, utpote entis simplicissimi et perfectissimi, voluntas non in potentia, sed in actu consistit, et successioni temporis nullo modo subiecta est, atque ideo non potest distingui in uno instanti quiescens, et in altero agens, sed voluntas in Deo est ipsa volitio, ipse actus, seu ipsa operatio, quae ideo in Deo considerata, aeterna est et immutabilis, prout voluntas et distinctio fit solum a mente nostra quoad effectus, seu quoad, creaturas, quae in tempore, vel producuntur, vel conservantur, vel terminantur, et sub hoc respectu etiam a S. Scriptura quae se captui nostro accomodat, Deus vel agere, vel quiescere dicitur. Egregie igitur Deus a *S. Augustino* (2). « Immutabilis - semper agens, et semper quietus » nominatur. Idem (3), ait: « Nobis fas non est credere aliter Deum affici cum vacat, aliter cum operatur, quia nec affici dicendus est tanquam in eius natura fiat aliquid quod ante non fuerit. Patitur quippe qui afficitur, et mutabile est omne, quod aliquid patitur. Non itaque in eius vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia, sicut nec in eius opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, et agens quiescere. — Etsi cessavit, et posterius operatus est (quod nescio, quemadmodum ab homine possit intelligi) hoc procul dubio, quod dicitur prius et posterius, in rebus prius non existentibus et posterius existentibus fuit. In illo autem non alteram praecedentem, altera subsequens mutavit aut abstulit voluntatem, sed una eademque etc. v. supra. » — Adposite etiam hanc in rem loquitur *Petrus Abaëlardus* (4): « Cum dicimus, ait, Deum aliquid facere, non aliquem in operando motum illi inesse intelligimus, vel aliquam in laborando passionem sicut nobis accidere solet; sed eius sempiternae voluntatis novum aliquem effectum significamus. Cum ergo dicimus eum aliquid facere; dicere est, iuxta eius voluntatem aliquid contingere, ut in ipso nihil novi contingat, sed novum aliquid sicut in eius voluntate fixum permanet, fiat. Unde bene illud philosophicum : — Stabilisque manens dat cuncta moveri. — (Ipsa quippe eius dispositio quam in mente habuit ab aeterno, eius actio dicitur cum ad effectum producitur). Quin etiam cum ab operando quiescere dicitur, consummationem operis eius, non eum ab aliquo motu cessare significavimus. » Sic ergo Deus agens et quiescens in se, semper idem et immotus manet, quod etiam declarari solet similitudine solis, qui, ut ait *Abaëlardus* (5), dum corpora calefacit, non ipse, sed calefacta mutantur; vel, ut ait *S. Augustinus* (6) cuius lumen per cubiculum diffusum nova quae inferuntur, corpora illu-

(1) Gen. 2, 2. (2) L. 1 Confess. c. 4.
(3) L. 12 de civ. Dei, c. 17.
(4) L. 3 Introd. c. 6. (5) L. c.
(6) In Ps. 72.

strat absque ulla sui mutatione (1).

Obi. IV. Quia mundus aeternus non est, omnino fateri oportet, Deum non ab aeterno Creatorem rerumque omnium Dominum fuisse: ergo a statu non Creatoris ad statum Creatoris transiit, et sic mutatus est.

Resp. Ut huic difficultati, iam antiquitus motae, *Hermogenes* obviaret in gravem errorem prolapsus est, materiam increatam et Deo coaeternam affirmans. Ex eadem ratione etiam *Origenes*, teste Methodio (2) docuit, Deum ex omni aeternitate hanc universitatem creasse. Sed repudiata hac erronea sententia Theologi catholici difficultatem propositam aliis modis solvere conati sunt. Nonnulli cum *Nicolao Cusano* dixerunt, mundum quidem in tempore factum esse, ast Deum ab aeterno fuisse Creatorem *in potentia*, atque ideo semper Creatorem Dominum etc. appellari potuisse, sicut artis medicae peritus semper Medicus dicitur, etsi quodam tempore aegrotorum curationi actu non incumbat. Alii cum *Boëtio* asserunt, Creatorem, Dominum, et similia non importare nisi *relationes* quae extrinsece quidem respectu creaturarum novas Deo denominationes attribuunt, intrinsecus autem eum nullatenus mutant, sicut homo in se non mutatur, cui alter obviam fit, et modo a dextris, modo a sinistris adstat. *Petavius* (3), *Vasquez* (4), *Tournely* (5) et alii in praesenti obiectione nodum agnoscunt, « cui solvendo se impares esse praestantissimi quique Theologi candide et aperte professi sunt. » — Attamen haec difficultas non tam difficilis solutu videtur, si recta aeternitatis divinae notio attendatur. In hac enim successio temporis non datur, et ideo in Deo ne duo quidem momenta distingui possunt, quapropter ne unum quidem momentum pro Deo assignari potest, in quo Creator et omnium rerum Dominus non fuerit: ipse enim, sicut in continua praesentia existit, ita omnia in una eademque simplicissima praesentia operatur, ex quo fit ut omnis mutatio, seu transitio de statu in statum omnino impossibilis sit. Iam *S. Augustinus* hoc idem Manichaeis, eandem difficultatem proponentibus, respondit (6), scribens: « Quaerunt, quid Deus agebat, antequam faceret coelum et terram? — respondemus: etsi in principio temporis Deum fecisse coelum et terram credamus, debemus utique intelligere, quod ante principium temporis non erat tempus. Deus enim fecit et tempora, et ideo antequam faceret tempora, non erant tempora: non ergo possumus dicere, fuisse aliquod tempus, quando Deus nondum aliquid fecerat; quia tempus cum coelo et terra esse coepit quare non potest inveniri tempus, quo Deus nondum fecerat coelum et terram. »

Obi. V. Deus in S. Scriptura dicitur *diligere* iustos (7), et *odisse* peccatores (8), ipsi adscribitur *ira* et *furor* (9) et etiam *poenitentia*, ita ut dicatur: *Poenituit eum quod hominem fecisset, et tactus dolore cordis intrinsecus: delebo, inquit, hominem, quem creavi* (10). Si ergo Deus hominem, dum iustus est, amat, et, dum peccator fit, odit, ergo ab amore in odium transit, et si modo misericors est, modo ira, et furore abripitur, et etiam per poenitentiam consilium suum mutat, et retractat, omnino mutabilis est.

(1) Cf. Petav. l. 3, c. 2, 1-5.
(2) Ap. Phot. cod. 235.
(3) L. c. 5 etc. (4) I P disp 30, c. 1.
(5) Q. 8. (6) De Genesi l. 1, c. 2.
(7) Ps. 145, 8 (8) Ps. 5, 7.
(9) Ps 6, 1. (10) Gen. 6, 6 etc.

Digitized by Google

Resp. Affectiones, et passiones, quibus homines subiacent, in Deo simplicissimo et infinite perfecto cogitari non possunt, quia omnia in Deo independentia, perfectissima, aeterna et immutabilia sunt. S. Scriptura ergo varias affectiones Deo attribuit non proprie, sed metaphorice, seu non ratione diversarum affectionum, sed ratione diversorum effectuum, qui correspondent similibus affectionibus in creaturis. Sic dum Deus iustis gratias concedit, dicitur eos diligere; dum peccatoribus gratias negat et subtrahit, dicitur eos odisse; dum eosdem punit, dicitur irasci, dum factum opus destruit, dicitur poenitere, quia qui talia agunt inter homines, amore, odio, ira, poenitentia, et huiusmodi passionibus afficiuntur. Ideo *S. Hieronymus* (1) ait: « Furorem, oblivionem, iram, poenitudinem ita in Deo debemus accipere, quomodo pedes, oculos, manus, aures et caetera membra, quae habere dicitur incorporalis et invisibilis Deus, » i. e. sicut per membra corporea, sic etiam per varias affectiones solummodo divinarum operationum effectus pro captu nostro significantur. *S. Augustinus* (2) ad Deum conversus dicit: « Quaeris, cum nihil desit tibi; amas nec aestuas, zelas et securus es; poenitet te et non doles; irasceris et tranquillus es, etc. » et (3) ait: « Ineffabilis est Dei patientia, sicut zelus eius sicut et ira eius, et si quid eiusmodi est; nam si tamquam nostra ista cogitamus, in illo nulla sunt. » *S. Isidorus Hisp.* (4) cum dixisset, iram Dei non esse nisi « aequitatem iudicii, qua reos punit, » postea subiungit: « Ita ergo intelligere opus est et alias passiones quas de affectione humana ducit Scriptura ad Deum, ut et iuxta se incommutabilis sit credendus et tamen pro causarum effectibus ut facilius intelligatur, nostrae locutionis et mutationis genere appelletur. » In eodem sensu *S. Anselmus* Deum alloquens ait: « Misericors es, non quia tu sentis affectum sed quia nos sentimus effectum (5). » His praemissis facile est ostendere, quomodo Deus, quamvis modo amare, modo odisse etc. dicatur, nunquam tamen mutetur. Amor enim in Deo non est nisi eius aeternum et immutabile decretum, beneficia praestandi seu gratias concedendi, et odium, ira vel furor in Deo non est nisi aeternum et immutabile decretum, gratias negandi, vel subtrahendi, et poenas infligendi. Numquam ergo Deus mutatur, sed solum homines mutantur qui vel iustitiam sectantes, vel peccata committentes aut unius, aut alterius decreti divini subiecta fiunt. Eodem modo Deus mutatus nullo modo fuit, cum poenitentia ductus mundum delevisse dicitur, quia ab aeterno peccata hominum praevidit, et ab aeterno corruptum genus humanum per diluvium destruendi consilium habuit: poenitentia ergo in Deo non est nisi aeternum et immutabile decretum, id quod fecerat, iterum destruendi.

Obi. VI. Deus per preces nostras mutatur; nam quod prius dare recusat, orantibus concedit: ideo Deus per condignas preces ad misericordiam moveri, illasque exaudire dicitur (6) ergo mutabilis est.

Resp. Deus aeterno et immutabili decreto statuit, debito modo orantibus certas gratias concedere, et has non orantibus subtrahere, aut negare. Deus ergo nullo modo mutatur, dum eius aeternum et immutabile

(1) L. 18, in Isa. c. 65. (2) L. 1 Conf. c. 4.
(3) L. de patient. c. 1.
(4) L. 1 Sent. c. 5.
(5) Prosolog. c. 10. (6) Ps. 4. 1[?].

decretum in tempore effectus, quos ab aeterno praevidit et voluit, sortitur. Homines solum mutantur, dum, debito modo orantes decreti divini, bona concedentis, orationem autem negligentes, decreti divini bona negantis subiecta fiunt. Absonum ergo est dicere, ordinem a divina providentia stabilitum per preces nostras immutari posse, quod nunquam fit, nec fieri potest, quia decreta divina immutabilia sunt, sed Deus preces nostras praevidens, ab aeterno decreta condit, quae semper immutabilia manent.

Nota 2. a) Cum Deus sit prorsus immutabilis, nullamque ex hominis obsequio novam vel perfectionis, vel felicitatis accessionem possit accipere, cogitare debent, qui eum colunt et diligunt, non quidquam beneficii se praestare Deo, at sibi solis id prodesse, unde Psaltes regius dicit; *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (1) et Iob inquit: *Quid prodest Deo, si iustus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua* (2)? — b) Nobis autem certe maxime prodest colere et diligere Deum, ut omni iure cum Psalmista dicamus: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est* (3). In Deo enim solo incommutabile bonum invenimus: caetera autem omnia, heu quam mutabilia sunt! — Ipsamet regna et imperia, suas habent aetates, suas vicissitudines, suas conversiones: alia aliis succedunt, et inter tempus satis breve tota fere orbis universi facies mutatur. Si vero in nosmetipsos descendamus, quantam cogitationum et affectuum varietatem deprehendemus? — Animus nunc agitatus est nunc tranquillus; nunc tristis, nunc hilaris; nunc excitatus, nunc deiectus. Nihil denique in nobis firmum, nihil stabile, nihil sibi constans. Perpetua haec, quam in rebus creatis ac in nobismetipsis experimur, mutabilitas, nonne satis nos monet, ut soli Deo tamquam immutabili bono inhaereamus? — c) Si optimam partem elegimus, quae in eo consistit, ut Deum colendo, et diligendo incommutabili bono inhaereamus, maxime cavendum est, ne *simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae* (4), aut per apparentia bona decepti a recto proposito iterum declinemus, sed summo studio nobis adlaborandum est, ut in bono firmi et constantes, quantum fieri potest ipsam immutabilitatem divinam imitemur. Talis constantia animam nobilitat, inter varias fluctuantis mundi vicissitudines tranquillam et aeterna beatitudine dignam reddit, nam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (5).

(1) Ps. 15, 2. (2) Iob 22, 3.
(3) Ps. 72, 28. (4) Eph. 4, 14.
(5) Matth. 10, 22. — Cf. Frint § 56.

ARTICULUS V.
De Vita Dei.

§ 27. 1. Per vitam generatim intelligitur principium agendi internum, per quod motus, seu operationes producuntur. Vivere ergo dicitur, ut ait *S. Thomas* (6), « substantia, cui convenit secundum suam naturam movere seipsam, vel agere se quocumque modo ad operationem. » Vita eo perfectior et excellentior est dicenda, quo perfectius et indipendentius ens secundum suam naturam semetipsum movet, seu ad operandum determinat. Varii igitur vitae gradus in entibus, quae vivere dicuntur, secerni possunt. Infimus vitae gradus, iuxta *S. Thomam* (7), est in plantis, « quae secundum formam in-

(6) 1, quaest. 18, a. 2.
(7) L. c. a. 3.

ditam eis a natura movent seipsas secundum augumentum et decrementum. » Animalia « quanto perfectiorem sensum habent, tanto perfectius movent seipsa... sed quamvis huiusmodi formam, quae est principium motus, per sensum accipiant, non tamen per scipsa praestituunt sibi finem suae operationis, vel sui motus, sed est eis inditus a natura, cuius instinctu ad aliquid agendum moventur per formam sensu apprehensam..... Perfectior modus vivendi est eorum, quae habent intellectum, » uti sunt homines, qui « per rationem et liberam voluntatem se ad agendum determinant. » Sed, addit *S. Thomas*, « quamvis intellectus noster ad aliqua se agat, tamen aliqua sunt ei praestituta a natura, sicut sunt prima principia, circa quae non potest aliter se habere, et ultimus finis, quem non potest non velle. » Perfectissime autem soli Deo competit vita, quia eius essentia summe actuosa et undequaque independens est. Deus nimirum ut ens a se, primum, et omnium rerum contingentium causa principium agendi in se ipso habet, imo ipsemet est primum principium agendi, atque ideo vita ipsa, vita absoluta, et prima omnis vitae causa merito dicitur.

2. Deum vivere, et vita infinite perfecta frui

Prob. 1° *Ex Ss. Litteris*. Deus ipse protestatur dicens: *Vivo ego in aeternum* (1), quae loquendi formula occurrit etiam Ier. XXII, 24, Ezech. XVIII, 3. Deus verus, et vivus etiam opponitur idolis, otiosis illis et emortuis imaginibus, in quibus praeter formam, humana arte confictam, vim nullam insitam cernere licet: sic dicitur: *Opus artificum universa haec (idola). Dominus autem Deus verus est, ipse Deus vivens, et rex sempiternus* (2). *In hoc, inquit, scietis, quod Dominus Deus vivens in medio vestri est* (3). David, Deo vivo fruendi desiderio abreptus, exclamat: *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei* (4)? et: *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum* (5). Iudaei coram impio Nicanore profitentur: *Est Dominus vivus, ipse in coelo potens, qui iussit agi septimam diem* (6). — In N. T. Christus ait: *Sicut enim Pater vitam habet in semetipso: sic dedit et filio vitam habere in semetipso* (7), et *sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem* (8). Petrus Christo dicit: *Tu es Christus Filius Dei vivi* (9). Apostoli adhortantur Gentiles, ut a Diis vanis convertantur *ad Deum vivum, qui fecit coelum et terram* (10). Paulus dicit: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (11). — Imo Deus in Ss. Litteris non solum vivere dicitur, sed ipse etiam ut fons et auctor omnis vitae praedicatur. Sic David Deum laudans dicit: *Apud te est fons vitae* (12). Deus conqueritur: *Me dereliquerunt fontem aquae vivae* (13). Paulus ait: Deus non est *indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia* (14): et scribit: *Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia* (15).

Prob. 2° *Ex Ss. Patribus*, qui frequentissime inanibus Gentilium idolis Deum verum et vivum opponunt, eumque vitam ipsam, omnisque vitae auctorem praedicant (16). Sufficiat hic duorum testimonia afferre. *S. Gregorius Nyss.* in sua fidei profes-

(1) Deut. 32, 40. (2) Ier. 10, 9 etc. (3) Iosue 3, 10. (4) Ps. 41, 2. (5) Ps. 83, 3. (6) 2 Mach. 15, 4. (7) Io. 5, 26. (8) Io. 6, 58. (9) Matth. 16, 16. (10) Act. 14, 14.

(11) Hebr. 10, 31. (12) Ps. 35, 10. (13) Ierem. 2, 13. (14) Act. 17, 25. (15) 1 Tim. 6, 13. (16) Cf. Thomassinum l. 3 de Deo, c. 25.

Digitized by Google

sione (1) scribit: « Credimus in Patrem D. N. I. C. qui est vitae fons, et in Filium Patris unigenitum, qui est vitae auctor, quemadmodum ait Apostolus, et in Spiritum Sanctum Dei, de quo Dominus ait: *Spiritus est, qui vivificat.* » *S. Augustinus* (2) ad Deum dicit: « Tu facis nos, Domine, cui esse et vivere non aliud, atque aliud est, quia summe esse, et summe vivere id ipsum es: » et (3) inquit: « Nec ista corpora es, quae videmus... nec anima es, quae vita est corporum; ideo melior vita corporum, certiorque quam corpora, sed tu vita es animarum, vita vitarum, vivens teipsa, et non mutaris vitae animae meae.»

PROB. 3° *Ex ratione*, quae dum ens vivum et activum enti mortuo et inerti longe praeponit, necessario Enti perfectissimo, quo maius meliusque cogitari nequit, perfectissimam quoque vitam summamque activitatem tribuit. Haec etiam ex argumento cosmologico et phisico-theologico, pro existentia Dei allato, iure infertur: si enim Deus sicut omnia produxit, sic et omnia continuo conservat et gubernat, absque dubio vivit, summa activitate excellens. Et quomodo Deus entibus a se productis vitam tribuere posset, si hac ipse careret, cum nihil possit esse in effectu, quod non sit in causa? — vita ergo cuiuslibet vilissimi animalculi vitam Dei praedicat, sicut quilibet motus primam causam motricem contestatur. — Spiritualem activitatem suam Deus manifestat, dum semper et ubique ut Veritas nobis lucet, ut Legislator et Iudex legem moralem dictat, et ut summum bonum sui desiderium in cordibus nostris excitat (4).

(1) Ep. 2. (2) L. 1 Confess. c. 3 (6).
(3) Ibid. l. 3, c. 6.
(4) Cf. Staudenmayr t. 2, § 16. (5) § 59.

Nota 1. « Deum vita frui immortali, ait *Wiest* (5), nunquam inter Christianos et Iudaeos, tum ipsos etiam Gentiles, quamvis de vita et genealogia Deorum non pauci stultissimos habuerint conceptus, negatum fuit, exceptis hominibus plebeiis, qui truncos et simulacra ipsos Deos esse existimarunt. » Inter aberrantes autem hic recensendus est *Hegel*, qui dum ideam logicam, seu Esse purum ut omnium fundamentum statuit, Deo suo vitam personalem tribuere nequit (6).

Nota 2. Vita Dei a nobis tanquam omnium operationum divinarum fundamentum et complexus concipitur. Deus autem, ut Spiritus perfectissimus et infinitus, operatur per intellectum et voluntatem. In tractatu ergo de attributis divinis operativis agendum est de intellectu divino et de voluntate divina, cuius infinitae perfectiones explanandae atque probandae erunt.

Nota 3. Deo vivo inhaerendum, et non caducis terrae bonis inhiandum est, quibus applicari potest dictum Psalmistae: *Simulacra gentium argentum, et aurum, opera manuum hominum. Os habent, et non loquentur, oculos habent, et non videbunt* etc. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* etc. (7). Et si Deum ut summe activum, ut vitam ipsam, omnisque vitae auctorem consideramus, necessario postulatur a nobis, ut dependentiam nostram ab ipso profiteamur, pro vita accepta illi gratias agamus, omnes dies nostros eius cultui unice dicemus, et ad exemplum Christi sincere contestemur: *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem* (8).

(6) Cf. Staudenmayr l. c. p. 16 in nota.
(7) Ps. 113. (8) Io 6, 58.

ARTICULUS VI.

De intellectu divino, seu de scientia Dei.

§ 28. Ad naturam spiritualem non sufficit sola simplicitas, sed requiritur etiam substantia, intellectu et voluntate praedita: ideo animae nostrae merito naturam spiritualem adiudicamus, quia simplex est, et facultate cognoscendi ac appetendi gaudet. Si autem entia creata dantur, intellectu et voluntate praedita, multo magis id de Deo, Ente primo et omnium rerum causa asserendum est. Et sane intellectum divinum praedicant tum pulcherrimus totius Universi ordo, tum lex moralis omnibus hominibus dictata, tum supernaturalis Revelatio sapientissime et benignissime mundo concessa. — Deum intellectu, seu scientia gaudere, ita naturali rationi persuasum est, ut facilius invenias, qui Deum funditus tollat, quam qui eum omni orbatum intelligentia, et quasi stipitem sibi fingat. Imo putarunt aliqui, nomen Dei graecum esse a visione desumptum: « Θεός, inquit *S. Athanasius* (1) dicitur ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν a contemplando et videndo omnia, quasi θεωρός, id est spectator. » — Ut autem divinum hoc attributum legitime pertractetur, 1° intellectus divini, seu scientiae Dei *indoles* explicanda, 2° *omniscentia* Dei probanda est: atque ob varias, quae moventur, difficultates in specie agendum venit, 3° de scientia Dei *quoad non entia*, 4° de divina *praescientia libere, et contingenter futurorum*, 5° de huius cum hominis libertate *concordia*, 6° *de praescientia conditionate futurorum*, et 7° *de scientia media*.

1. *De intellectus divini, seu scientiae Dei indole.*

§ 29. Cum omnia attributa divina ipsam Dei essentiam constituant, quae a limitata nostra ratione perfecte comprehendi nequit, certe mirum non est, quod etiam intellectum divinum, seu scientiam Dei perfecte comprehendere non possimus. Ipse *S. Augustinus* ingenue hoc fatetur (2), dicens: « Ne forte hoc a me, fratres, expectetis, ut explicem vobis, quomodo cognoscat Deus; hoc solum dico, non sic cognoscit, ut homo, non sic cognoscit, ut Angelus; et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quomodo et scire non possum. Unum tamen scio, quia et antequam essent, omnia noverat Deus. » Frustra ergo laborat, qui altitudinem *divitiarum sapientiae, et scientiae Dei* (3) penitus perscrutari et perfecte mente sua attingere praesumit. Adlaborandum autem nobis maxime est, ut erroneos conceptus praecaveamus, qui facile in nobis oriuntur, dum intellectum nostrum nostramque scientiam considerantes, ad intellectum divinum concipiendum, et scientiam Dei determinandam adsurgimus. Deus enim « non sic cognoscit, ut homo. » In explicando ergo hoc attributo summi momenti est, ut *discrimina* exponantur, quae inter intellectum divinum et intellectum humanum, seu inter scientiam Dei et scientiam hominis intercedunt.

1. Intellectus hominis consistit in potentia, seu facultate cognoscendi, per quam sibi scientiam comparare valet, quae ideo in ipso accidentalis est, et adesse, vel abesse potest. Intellectus autem divinus non consistit in potentia, sed in actu, quo Deus omnia cognoscit; quapropter eius scientia non est accidentalis, sed essentialis, et scientia divina est ipsa essentia Dei. Nam nuda facultas cognoscitiva sine cognitione actuali imperfectio est, quae Deo perfectissimo

(1) Miscel. q. 2. (2) Enarr. in Ps. 49, n. 18.
(3) Rom. 11, 33.

Digitized by Google

tribui nequit. Et si intellectus divinus consisteret in potentia, per quam Deus instar hominis sibi cognitiones compararet, eius scientia distingueretur ab eius intellectu ut effectus a causa, quod notioni entis a se, et simplicissimi, in quo nihil effecti cogitari potest, maxime adversatur. In Deo ergo intellectus est ipse actus, quo omnia cognoscit, seu est ipsa scientia, et haec, sicut reliqua attributa, est ipsa essentia Dei. Idcirco *S. Augustinus* (1) ait: « In divinae naturae simplicitate mirabili non est aliud sapere, aliud esse, sed quod est sapere, hoc est et esse: » et (2) divinam scientiam ab humana distinguens dicit: « Ideo non est ista substantia, cui hæc non est esse, quod nosse; potest enim esse, nec nosse. At illa divina non potest, quia id quod habet est. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud sit illi scientia, qua scit, aliud essentia, qua est, sed utrumque unum est: nec utrumque dicendum est, quod simpliciter unum est. » *S. Cyrillus Alex.* (3) inquit: « Cum Deus confessione omnium simplex sit, non est aliquid ab eo diversum ipsius cognitio. » *S. Bernardus* (4) scribit: « Dicimur amare, et Deus; dicimur nosse, et Deus: sed Deus amat ut charitas, novit ut veritas. » *S. Thomas* (5) ait: «Scientia non est qualitas in Deo, vel habitus, sed substantia et actus purus: » et (6): « Intellectus divinus, qui nullo modo est in potentia, non perficitur per intelligibile, nec assimilatur ei, sed est sua perfectio et suum intelligere: » demum (7): « Necesse est dicere, quod intelligere Dei est eius substantia. Nam si intelligere Dei sit aliud quam eius substantia, oporteret, quod aliquid aliud esset actus et perfectio substantiae divinae, ad quod se haberet substantia divina, sicut potentia ad actum, quod est omnino impossibile; nam intelligere est perfectio et actus intelligentis » (8).

(1) L. 15 de Trin. c. 13.
(2) Tract. 99 in Ioan. (3) L. 31 Thes.
(4) L. 5 de consid. c. 5.
(5) 1 q. 14. a. 1 ad 1. (6) Ib. a. 2 ad 2.
(7) Ib. a. 4 in o.

2. Scientia hominis dependens, scientia autem Dei omnino independens est. Homo enim res extra se existentes cognoscit, quia sunt; ideae nempe hominis cognitionesque ab ipsis rebus contingentibus, quas sensibus suis percipit, derivantur: nullatenus autem hoc idem de Deo dici potest. Si enim Deus res extra ipsum existentes aspiciendo, considerando et quasi discendo cognosceret, eius scientia, quae est ipsa essentia divina, ab illis dependens esset, quod naturae divinae maxime repugnat. Sicut ergo essentia, sic etiam scientia divina causam nullam habet, sed ipsa est causa omnium rerum, quapropter Deus non cognoscit res, quia sunt, sed res sunt, quia eas Deus cognoscit. Praeclare id docet *S. Augustinus* (9) scribens: « Universas creaturas suas, et spirituales et corporales, non quia sunt, ideo novit (Deus); sed ideo sunt, quia novit; non enim nescivit, quae fuerat creaturus: quia ergo scivit, creavit, non quia creavit, scivit, nec aliter ea scivit creata, quam creanda: non enim eius scientiae aliquid accessit ex eis, sed illis existentibus sicut oportebat, et quando oportebat, illa mansit, ut erat.... Longe est ergo huic scientiae scientia nostra dissimilis. » Et (10) ad Deum ait: « Non ista, quae fecisti videmus, quia sunt: tu autem quia vides, ea sunt. » Idem sentiunt et alii Patres. *S. Gregorius M.* (11) de Deo dicit:

(8) Cf. Petav. de Deo, l. 4, c. 1 et 2.
(9) L. 15 de Trin., c. 13.
(10) L. 13 Confess. c. ult.
(11) L. 20 Mor. c. 23.

Digitized by Google

« Quaeque sunt, non ab aeternitate eius ideo videntur, quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur. » Et (1): « Non existentia videndo creat, existentia videndo continet. » — *S. Dionysius* (2) inquit: « Neque enim ea, quae sunt ex iis quae sunt discens novit divina mens, sed ex se, et in se per causam, rerum omnium cognitionem, scientiam essentiamque anticipatam, et ante comprehensam habet; non quod per speciem singula consideret, sed quod uno causae complexu omnia sciat et contineat. » — *S. Anselmus* (3) ait: « Si Deus a rebus habet scientiam, sequitur, quod illae prius sint, quam eius scientia, et sic a Deo non sint, a quo nequeunt esse nisi per eius scientiam. » *S. Thomas* (4), citata auctoritate S. Augustini, concludit, « quod scientia Dei est causa rerum: » et (5) inquit: « Res naturales sunt mediae inter scientiam Dei et scientiam nostram. Nos enim scientiam accipimus a rebus naturalibus, quarum Deus per suam scientiam causa est: unde sicut scibilia naturalia sunt priora quam scientia nostra, et mensura eius, ita scientia Dei est prior, quam res naturales, et mensura ipsarum, sicut aliqua domus est media inter scientiam artificis, qui eam fecit, et scientiam illius, qui eius cognitionem ex ipsa iam facta capit. » — Ipsa etiam S. Scriptura scientiam divinam tanquam causam rerum assignat: dicitur enim: ***Domine! omnia in sapientia fecisti*** (6). ***Qui fecit coelos in intellectu*** (7). Sapientia ***omnium artifex*** (8) dicitur, et Ier. de Deo dicit: ***Praeparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit coelos*** (9). — Si autem scientia divina dicitur causa rerum, ab harum productione voluntas divina non segregatur, et neque segregari potest, quia sicut scientia divina, ita etiam voluntas divina est una eademque simplicissima essentia Dei. Quidquid ergo Deus efficit, id per intellectum et voluntatem simplicissimo actu operatur. Ideo *S. Thomas* (10) dicit: « Manifestum est, quod Deus per intellectum suum causat res, cum suum esse sit suum intelligere; unde necesse est, quod sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem coniunctam. » Semper autem Deo priores partes concedendae sunt, et ipse a creaturis omnino independens habendus est: entia autem contingentia omnino dependent a Deo; nam non sunt, nisi ab ipso, non sunt vera, nisi a prima veritate, et non sunt bona, nisi ab originale bonitate: non ergo Deus ea cognoscit, quia vera sunt, sed ideo vera fiunt, quia Deus ea cognoscit. Ideo Patres passim dicunt, Deum omnia cognoscere in semetipso, seu in substantia sua. Sic *Dionysius* (11) ait: « Deus res cognoscens non scientia rerum, sed scientia sui ipsius eas novit. » *S. Ambrosius* (12) inquit: « Licet omnia coelestia et terrestria, ac minima quaeque perspiciat Deus, nihil tamen extra se intelligere, sed singula in se intueri dicitur. » *S. Augustinus* (13) in verba Ioan I, *quod factum est in ipso vita erat*, dicit: « In qua vita vidit omnia, quando fecit, et sicut vidit ea, ita fecit; non praeter seipsum videns, sed in seipso ita enumeravit omnia quae fecit. » In semetipso autem Deus omnia videre dicitur, quia per intellectum et voluntatem est omnium causa: et certe et-

(1) Ib. l. 32, c. 6. (2) De div. Nom. c. 7.
(3) De Concord. c. 7. (4) 1, q. 14, a. 8.
(5) Ibid. ad 3. (6) Ps. 103, 24.
(7) Ps. 135, 5. (8) Sap. 7, 21.
(9) Ier. 10, 12. (10) L. c. in o.
(11) L. c. (12) Tr. in symb. c. I.
(13) L. 5 de Gen. ad litt. c, 15,

iam homo ea perfectissime cognoscit, quae sciens et volens loquitur aut facit. — Notandum tamen est, non omnes Theologos in proposita doctrina consentire: nonnulli enim, quamvis scientiam Dei rerum causam appellent, tales tamen distinctiones ineunt, ut nullatenus cum *S. Augustino* dici possit: « Deus creaturas non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit. » Ab hac autem sententia declinant, tum quia Deus etiam peccata cognoscit, quae non efficit, tum quia timent, per scientiam Dei efficacem actionum humanarum libertatem tolli. Sed istas difficultates, iuxta doctrinam S. Augustini et S. Thomae, facile solvi, ex inferius dicendis apparebit (1).

3. Scientia humana est successiva et mutabilis; scientia divina autem est simultanea et immutabilis. Quae enim homo cognoscit, non uno actu adprehendit, sed paulatim ita, ut ab una cognitione ad aliam progrediatur, modo hoc modo illud addiscat, et hincinde aliquorum, quae didicit, obliviscatur, aliorum vero reminiscatur: quapropter eius scientia continuae mutationi obnoxia est. Dei autem scientia non successiva, sed simultanea est, quia in sua aeternitate omnia uno, et simplicissimo actu cognoscit. Cum enim in cognitione successiva unum post alterum cognoscatur, evidenter eiusmodi cognitio laborat defectu, quo non laborat cognitio simultanea; nam cognoscenti unum post alterum, identidem manet aliquid incognitum, quod de Deo ente perfectissimo dici non potest. Porro quia scientia Dei ipsa divina essentia est, si illi aliquid accederet, vel in illa aliquid oblitteretur, ipsa divina essentia mutaretur, quod omnino impossibile est. Ideo *S. Thomas* (2) dicit: « Cum scientia Dei sit eius substantia, ut ex dictis patet (3) sicut substantia eius est omnino immutabilis, ut supra ostensum est (4), ita oportet, scientiam eius omnino invariabilem esse. » Idem docuit *S. Augustinus* (5) scribens: « Cum scientia Dei longe distet ab humana scientia, ita ut irridenda sit comparatio, utraque tamen scientia vocatur..... Cum dempsero de humana scientia mutabilitatem, et transitus quosdam a cognitione in cognitionem, cum recolimus, ut cernamus animo, quod in contuitu eius paulo ante non erat, atque ita de parte in partem crebris recordationibus transilimus: unde etiam *ex parte* dicit Apostolus esse scientiam nostram: cum ergo haec cuncta detraxero, et reliquero solam vivacitatem certae atque inconcussae veritatis, una atque aeterna contemplatione cuncta collustrantis; — imo non reliquero (non enim hoc habet humana scientia) sed pro viribus cogitavero, insinuatur mihi utcumque scientia Dei. » Ex hoc idem S. Doctor concludit (6): « Novit Deus omnia, et cum decedant, ac succedant tempora, non decedit aliquid, vel succedit scientiae Dei. » Praeclare etiam hac de re disserit *S. Petrus Damianus* (7), qui Deum affirmat « sic omnia tempora intra suae provisionis arcana complecti, ut nec novum aliquid sibi penitus accedat, nec aliquid ab eo per cursus momenta recedat. Sed nec diversis obtutibus diversa considerat; ut cum intendit praeteritis vacet a praesentibus, vel futuris, vel rursus cum praesentia sive futura considerat, oculos a praesentibus a-

(1) Cf. Petav. l. c. cap. 2, Perrone l. 1, pars 3. c. 1, Prop. 3.
(2) 1, q. 14, a. 15 in o. (3) Art. 1 h. q.
(4) Q. 9, a. 1. (5) L. 2 ad Simplic. qu. 2.
(6) L. 6 de Trin. c. 10.
(7) Opusc. 36, c. 7

vertat: sed uno duntaxat ac simplici praesentissimae maiestatis intuitu simul omnia comprehendit; neque hoc confuse atque inexplicate, sed omnia discernit, atque iuxta proprietatem snam quaeque distinguit.» Ex his patet non posse in intellectu divino, sicut in humano oblivionem, aut reminiscentiam rerum dari. Cum enim oblivio dicat impotentiam ideam olim habitam in mente reproducendi, et reminiscentia ideae, quae aliquamdiu non erat praesens, reproductionem; utrumque involvit imperfectionem, et consequenter neutrum in Deo locum habere potest (1).

4. Scientia hominis est discursiva; homo enim ex una veritate cognita ad aliam adsurgit, dum, e. g. a causa ad effectum, vel ab effectu ad causam, vel ab antecedenti ad consequens, vel a partibus ad totum concludit, et sic per ratiocinia, seu argumentationes vel novas cognitiones sibi comparat, vel de iisdem maiorem certitudinem acquirit. Absit autem, ut hoc idem Deo tribuamus. Nam ratiocinari est ab uno cognito ad aliud incognitum propter utriusque nexum progredi. Manifestum igitur est, ratiocinia et argumentationes supponere cognitionis clarae et certae defectum, quapropter nos ipsi illis non utimur in his, quae immediate et evidenter videmus: cum autem in Deo defectus cognitionis cogitari non possit, quia omnia immediate in se ipso perfectissime cognoscit, et omnium veritatum nexum immediate uno simplicissimo actu perspicit, nullatenus hominum more ratiocinatur seu argumentatur, et eius scientia nullo modo discursiva dici potest. Ideo *S. Augustinus* (2) ait: « Deus simul videt — non particulatim, aut singillatim vel ut alternante conspectu huc illuc, et inde huc, et rursus inde, vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit, nisi videns alia, sed, ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est, quod non semper videt. » Scientiam Dei non esse discursivam, probat etiam *S. Thomas* (3) et concludit: « Cum Deus effectus suos in seipso videat sicut in causa, eius cognitio non est discursiva. » Equidem Dei scientia eo ipso videtur discursiva fieri, quia Deus cognoscit alia per seipsum sicut effectum per causam; cognoscere autem effectum per causam est scientia discurrentis. Sed ad hanc difficultatem tollendam distinctio est ineunda. Nam cognoscere aliquid in causa est cognoscere discursive, si id fiat more hominum pluribus actibus, non autem si fit unico actu. « Tunc enim, ait *Billuart* (4), tunc solum dicitur intellectus discurrere de uno ad aliud, quando diversa apprehensione unum et aliud apprehendit, secus dum causam et effectum, et effectum in causa uno simplici actu attingit, ut facit Deus, et ideo non dicimus proprie Deum cognoscere alia a se per causam, sed in causa »(5).

5. Scientia hominis perquam limitata est, saepe in dubiis fluctuat, et etiam deficere, seu aberrare et falsum pro vero recipere potest. Dei vero scientia est infinita; tum extensive, quia omnia cognoscit; tum intensive, quia eius cognitio est certissima, evidentissima, et omnium comprehensiva, nihil vitii, vel erroris, nihil obscurum, vel confusum, nihil dubium vel ambiguum admixtum habens. — Neque quis dicat, scientiae divinae aliquid deesse, quia falsum non cognoscit; nam falsum non est

(1) Cf. Wiest, § 128.

(2) L. 15 de Trin. c. 14.

(3) L. c. a. 7.

(4) Diss. 5, a. 4, obj. 3.

(5) Cf. S. Thom. l. c. ad 2.

nisi privatio veritatis et realitatis, ergo nihil; et ideo cognoscere falsum non est cognitionis perfectio, sed defectio, prodiens ex humani ingenii infirmitate, quae in Deo adesse nequit. Remota ergo a scientia divina omni imperfectione scientiae humanae, cum Cl. *Dobmayr* (1) dici potest: « Intellectus infinitus est purus actus, qui omne verum sub omni modo et relatione uno intuitu simultaneo, aeterno, ac infallibili exhaurit. »

Nota. Scholastici omnes fatentur, scientiam Dei unam et simplicissimam esse; sed tamen varias eiusdem divisiones, ex parte obiectorum, et ex nostro concipiendi modo petitas, adoptarunt, quas cognoscere oportet, ut illorum tractationes theologicae rite intelligantur. Dividitur ergo scientia Dei 1° in *necessariam*, quae versatur circa obiecta necessaria, uti est ipse Deus, et uti a nobis concipitur rerum possibilitas, et in *liberam*, quae versatur circa obiecta contingentia, seu a libera Dei voluntate pendentia: 2° dividitur in scientiam *speculativam*, quae res solum contemplatur, sed non efficit, qualis est illa, quae versatur circa ipsum Deum, aut res possibiles, et in *practicam*, quae non solum cognoscit, sed etiam efficit suum obiectum: 3° dividitur in scientiam *simplicis intelligentiae*, quae est cognitio rerum mere possibilium, quae nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, coincidit proinde cum necessaria et speculativa; et in scientiam *visionis*, quae est cognitio tum ipsius Dei, tum rerum existentium: in aliqua temporis differentia, sive actu existant, sive extiterint, sive extiturae sint: huic divisioni multi aliud inseruerunt membrum, quod *scientiam mediam* appellarunt, per quam Deus cognoscit conditionate futura, i. e. ea, quae equidem nunquam evenient, sed tamen evenirent, si quaedam conditio poneretur: 4° scientia visionis dividitur in scientiam *approbationis* et *improbationis*; priori Deus bona respicit, quae probat et imperat, posteriori vero peccata, quae prohibet et improbat: iuxta hanc divisionem Deus aliquando dicitur in Scriptura scire et nescire mala, seu peccata, nescire scientia approbationis, scire scientia improbationis. — Istae divisiones excogitatae fuere, ut de rebus divinis facilius disseratur: sed in earundem applicatione memores esse debemus, quod solum ex parte obiectorum, et ex nostro concipiendi modo petantur, et quod ex parte Dei scientia una et simplicissima sit. Erraret ergo, qui putaret, scientiam contingentium ex parte Dei liberam esse ita, ut in ipso, vel adesse, vel abesse possit; nam ex parte Dei omnis scientia est necessaria: « Si enim, ait Cl. *Wiest* (2), non foret necessaria, foret contingens, adeoque abesse posset a Deo cuiusdam rei cognitio, et cum omnis cognitio sit perfectio, a Deo abesse posset perfectio, quod repugnet naturae Dei perfectissimae, ergo etc. » (3).

II. *De Omniscientia Dei.*

§ 30. Deo omniscientia est tribuenda, quia omnia scit, seipsum, et quae extra ipsum extant, cognoscit, ita ut nihil sit, quod non perfectissime perspiciat et comprehendat.

Dogma hoc catholicum

PROB. 1° *Ex S. Scriptura*, quae variis in locis Deo omniscientiam attribuit. Dicitur enim: *Deus scientiarum Dominus est* (4): *Domine qui habes omnem scientiam* (5): *Cognovit Dominus omnem scientiam* (6). Paulus

(1) § 38. (2) § 121, 1.
(3) Cf. Dieringer § 18 1. (4) 1 Reg. 2, 3.
(5) Esther 14, 14. (6) Eccli. 42, 19.

exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei* (1); et de Christo Deo inquit: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* (2) — Praeterea S. Scriptura etiam quasi per partes enumeratas ostendit, Deum omnia nosse. Nam cognoscit Deus seipsum, et perfecte comprehendit: *Spiritus Dei omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (3). Cognoscit omnia, quae in toto Universo existunt: *Ipse fines mundi intuetur, et omnia quae sub coelo sunt respicit* (4). *Nudus est infernus coram eo* (5). *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in coelo et in terra* (6)? *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius; omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius* (7): quo in loco a scientia divina omnis limes removetur, et opposita realitas de illa affirmatur. — Cognoscit Deus omnes hominum actiones: *Oculi eius super vias hominum, et omnes gressus eorum considerat* (8). *De coelo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum... qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum* (9). *Opera omnis carnis coram eo, et non est quidquam absconditum ab oculis eius; a saeculo usque in saeculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu eius*(10). Cognoscit quoque arcanas cogitationes, et intima cordis desideria: *Omnia corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit* (11). *Domine ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus* (12). *Pravum est cor omnium et inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes*(13). *Abyssum, et cor hominis investigavit... non praeterit illum omnis cogitatio, et non abscondit se ab eo ullus sermo*(14). Cognoscit homines tum bonos, tum malos: *Dominus interrogat iustum et impium*(15). *Oculi Domini super iustos et aures eius in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala*(16). Cognoscit sicut praesentia etiam praeterita et futura: *Scit praeterita, et de futuris aestimat*(17). *Ecce Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua* (18). *Inspexit in signum aevi, annuntians quae praeterierunt, et quae superventura sunt revelans vestigia occultorum* (19). Cognoscit Deus etiam res minimas, uti maximas, : dicitur divina Sapientia *arenam maris, et pluviae guttas, et dies saeculi* dinumerare, sicut *altitudinem coeli et latitudinem terrae, et profundum abyssi* (20) demetiri, et Christus ait: *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt* (21). S. Scriptura ergo satis clare Deo omniscientiam attribuit.

Prob. 2° *Ex Ss. Patribus. S. Irenaeus*(22). Deum omniscium praedicat « cum sit totus mens, totus ratio et totus spiritus operans, et totus lux, et semper idem et similiter existens. » *Clemens Alex.* (23) ait: « Deus simul, confertimque omnia, et particulatim singula applicatione una contemplatur. » *S. Hilarius* (24) scribit: « Superbae et insolentes cogitationes Deum non fallunt: agnoscit omnia, et nihil

(1) Rom. 11, 33. (2) Col. 2, 3.
(3) 1 Cor. 2, 10. (4) Iob 28, 24.
(5) Iob 26, 6. (6) Ps. 112, 4-5.
(7) Hebr. 4, 13. (8) Iob 34, 21.
(9) Ps. 32, 13. (10) Eccli. 39, 24 etc.
(11) 1 Paral. 28, 9. (12) Ps. 37, 10.
(13) Ier. 17, 9 etc. (14) Eccli. 42, 18 etc.
(15) Ps. 10, 6. (16) Ps. 33, 16.
(17) Sap. 8, 8 (18) Ps. 138, 5.
(19) Eccli. 42, 19. (20) Eccli. 1, 2.
(21) Matth. 10, 29 etc.
(22) L. 2 adv. haer. c. 17.
(23) L. 6 Strom. (24) In Ps. 137.

Digitized by Google

scientiae eius impenetrabile est. » *S. Ambrosius* (1) inquit: « Qui se existimat ab eo, qui omnia videt non videri, et tenebris credit commissa sua posse celari, umbram praetendit. Sed frustra latere se credit, cum oculus Domini lucidior sole occulta omnia deprehendat, tenebrosa illuminet, et intimi cordis penetret conscientiam, atque in alta et profunda descendat. » S. *Chrysostomus* explicans ea verba Ps. 112, 5: *Qui in altis habitat, et humilia respicit in coelo et in terra,* « Psalmista, ait, ostendit, Deum ubique esse, illic et hic; non enim tanquam aliqui in coelo conclusus eminus videt quae sunt in terra, sed ubique praesens et omnibus assistens. » *S. Cyrillus Alex.* (2) dicit: « Divinitatis id esse proprium ut nihil ignoret. » *Minutius Felix* (3) ait: « Omnia coelestia terrenaque, et quae extra istam orbis provinciam sunt, Deo cognita et plena sunt: ubique non tantum nobis proximus, sed infusus est. A Deo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris. » In eodem libro dicit Deum solum se perfecte nosse: « Deus enim, ait, soli sibi tantus quantus est notus. » Hoc idem docet *S. Augustinus* (4): « Si sanctis Angelis, ait, iam essemus aequales, non utique nobis ita esset nota divina substantia, sicut ipsa sibi. » Deus ergo solus semetipsum perfecte comprehendit, quia essentia infinita est obiectum adaequatum scientiae infinitae. In hoc sensu *S. Augustinus* (5) ait: « Si quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur, profecto et omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientia ipsius incomprehensibilis non est. » Nullatenus autem his verbis asseritur, essentiam divinam in se finitam esse. Nam ait *S. Thomas*, citatum S. Doctoris locum exponens (6): « Dicendum, quod comprehendere, si proprie accipiatur, significat aliquid habens et includens alterum; et sic oportet, quod omne comprehensum sit finitum, sicut omne inclusum. Non sic autem comprehendi dicitur Deus a se ipso, ut intellectus suus sit aliud, quam ipse, et capiat ipsum et includat; sed huiusmodi locutiones per negationem sunt exponendae. Sicut enim Deus dicitur esse in seipso quia a nullo exteriori continetur, ita dicitur comprehendi a seipso, quia nihil est sui, quod lateat ipsum. Dicit enim Augustinus (7), quod totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem. »

Prob. 3° *ex ratione. a)* Omniscientia Deo certissime competit, quia est ens perfectissimum, infinitum et immutabile. Rectam enim cognitionem entis rationalis perfectionem esse, nemo dubitat. Deus ergo non esset ens, quo maius meliusque cogitari non potest, si quae cognitio ipsi deesset, nam ens, etiam hac cognitione, seu omniscientia praeditum, tanquam melius et perfectius conciperetur. Praeterea si quaedam cognitio intellectui divino superaddi posset, Deus, cuius scientia ipsa essentia est, neque infinitus, neque immutabilis foret: quae ergo Dei infinitatem et immutabilitatem demonstrant, ipsius quoque omniscientiam probant. *b)* Deus est prima causa omnium entium contingentium, quae ab ipso sicut producuntur, ita et in quolibet momento conservantur et diriguntur, nam *ex ipso, et per ipsum, et in ipso*

(1) Lib. de Interpel. lat. c. 2.
(2) Thes. 32.
(3) In Octav.
(4) L. 4 de Gen. ad litt. c. 6
(5) L. 12 de civ. Dei, c. 18.
(6) I, q. 14, art. 3 ad 1.
(7) Ep. 112 ad Paulin. c. 9.

Digitized by Google

sunt omnia (1). Deus ergo, ut ens summe intelligens, et ut causa efficiens ac dirigens, omnibus entibus extra se existentibus continuo adest, et idcirco omnia intime et perfectissime perspiciat, necesse est: egregie idcirco Cl. *Staudenmayr* (2) observat, omniscientiam Dei omni iure intellectualem omnipraesentiam Dei in Universo vocari posse. *c*) Philosophia critica ex postulato rationis practicae probat, intellectum divinum infinite perfectum, seu omniscium esse, quia hic solus satisfacit rationi, dum de mundi gubernatione, de regno morali et de iusta retributione sciscitatur: et sane si Deus non omnia cognosceret, ac intimas quoque cogitationes et intentiones cordis perspiceret, non posset hominis moralitatem recte iudicare, nec pro merito, aut demerito praemium aut poenam decernere: proindeque harmonia moralitatis et felicitatis non perficeretur. — Etiam inter Ethnicos fuere, qui omniscientiam Dei agnoscerent. *Thales Milesius* quaesitus: lateretne aliquid Deum? respondisse fertur: « ne cogitata quidem. » *Aegyptii*, teste *Clemente Alexandr.* (3) « solebant aures oculosque exquisita ex materia fingentes Diis consecrare ut hoc significarent, Deum omnia videre et audire. » *Alcinous* (4) dicit: « Quoniam prima mens praestantissima est, necesse est praestantissimum ei intelligibile propositum esse: nihil autem seipso praestantius habet: quare semetipsum notionesque suas semper intelliget. » *Ammonius* (5) docet, « Deos omnia cognoscere, praeterita, praesentia et futura, sed eo modo, qui Diis consentaneus est, hoc est una, et determinata, et immutabili cognitione. »

Nota 1. Scholastici non tantum dogma de omniscientia Dei probarunt, sed etiam *medium* investigare conati sunt, in quo Deus omnia cognoscat. Omnes equidem admittunt, Deum absque ullo medio seipsum, seu essentiam suam et attributa sua cognoscere, « cum in Deo, ait *Perrone* (6), utpote ente a se, nihil prius essentia sua sit, vel concipi possit, quod habeatur veluti causa, vel medium cognitionis essentiae divinae. » Satis communiter etiam docent, Deum possibilia cognoscere in se, seu in omnipotentia sua, quamvis nonnulli cum *Vasquez* arbitrentur, Deum ea videre in Verbo ut in speculo. Quoad entia vero contingentia, actu extra Deum existentia, rursum, ait Cl. *Perrone* (7), « Thomistae censent, ea a Deo videri in essentia sua, ut eorum causa effectrice, et in decretis; alii velut in causa exemplari et supereminenti; plures vero contendunt, Deum ista cognoscere non solum in se ipso tanquam in medio ratione prius cognito, sed etiam in seipsis immediate, seu absque medio, non quasi res sic cognitae sint causa cognitionis divinae, sed terminus et obiectum ipsius cognitionis. » Maxime autem scholae discreparunt circa medium, in quo Deus cognoscit libere et contingenter futura. Nonnulli cum *Card. Caietano* existimarunt, Deum haec videre in reali eorum coëxistentia cum aeternitate: *Molinistae* docuerunt, Deum illa videre in semetipsis, seu in eorum veritate obiectiva, *Scotistae* in decretis concomitantibus, *Thomistae* in decretis praedeterminantibus. — Sed probe notandum est, agi de attributo divino, quod essentiam divinam constituit, quae incomprehensibilis est. Frustra ergo laboramus in investigando modo, quo Deus omnia cogno-

(1) Rom. 11, 36. (2) § 61.
(3) L. 5 Stromat (4) C. 10.
(5) In Comment. ad Aristot. l. de Interpr.
(6) N. 423. (7) N. 426.

Digitized by Google

scit. « Non audeamus, ait *S. Augustinus* (1), non audeamus dicere: quomodo novit Deus? » — Ideo etiam *Gregorius Ariminensis*, et *Petrus Collet* satius esse existimarunt, in hac quaestione fateri ignorantiam, quam sententiam statuere. — Etsi scientiae divinae modus comprehendi nequit, multo minus eiusdem causam inquirere licet. Scientia enim divina, uti essentia divina causam non habet, sed sicut Deus est a se, ita omnia cognoscit a se, et alio medio non indiget. Recte ideo Cl. *Klee*, ut immediatam omnium rerum cognitionem Deo vindicet, omne medium scientiae divinae penitus negat (2). Sed minus recte id quoque negat, quo Deus entia in seipso tanquam in causa cognoscere dicitur: hoc enim negato dicendum erit, Deum entia extra se existentia adspicere debere, ut in eorundem cognitionem veniat, atque idcirco ipsa entia illud medium erunt, a quo scientia divina dependet. Imo ex praedicta negatione sequeretur, Deum etiam seipsum non perfecte cognoscere. Nam, ait *S. Thomas* (3): « Si perfecte aliquid cognoscitur, necesse est, quod virtus eius perfecte cognoscatur. Virtus autem alicuius rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quae virtus se extendit. Unde cum virtus divina se extendat ad alia, eo quod ipsa est prima causa effectiva omnium entium, - necesse est, quod Deus alia a se cognoscat. — Et hoc etiam evidentius fit, si adiungatur, quod ipsum esse causae agentis primae, scilicet Dei, est eius intelligere. Unde quicumque effectus praeexistunt in Deo sicut in causa prima, necesse est quod sint in ipso eius intelligere, et quod omnia in eo sint secundum modum intelligibilem. » Neque ex propositione, qua dicitur, Deum omnia in seipso cognoscere, cum citato Cl. *Klee* (4) inferri potest, quod Pantheismus statuatur. Nam aliud est dicere, Deum omnia cognoscere in essentia sua, et aliud, Deum omnia esse, ita ut omnia essentiam constituant divinam. Deus enim in seipso omnia cognoscit, prouti sunt: ergo cognoscit se, ut ens a se, absolutum, infinitum; reliqua vero entia cognoscit ut a se distincta, a se producta, contingentia etc. Ideo etiam haec aeterna non sunt, quamvis ab aeterno cognoscantur. Nam, ait *S. Thomas* (5), « Scientia Dei est causa rerum secundum quod res sunt in scientia. Non fuit autem in scientia Dei, quod res essent ab aeterno: unde quamvis scientia Dei sit aeterna, non sequitur tamen, quod creaturae sint ab aeterno. »

Nota 2. Quamvis omniscientia Dei non solum ex Revelatione, sed etiam ex ratione agnosci et probari possit, non defuerunt tamen, qui circa illam aberrarent. *Xenophanes Eleatinus* affirmavit, Deum audire et cernere omnia tantum generaliter et confuse; minime singillatim (6). — *Philosophos Arabes*, scientiae divinae adversarios, confutavit *S. Thomas* (7). — *Apuleius Madaurensis*, ut testis est *Augustinus* (8), asseruit, discere Deum nova ministerio Angelorum. — *Maximus Tyrius* (9) negavit, nosse Deum numerum arenarum, aut spatium maris. — *Talmudistae* fabulantur, tribuere Deum diebus singulis horas aliquot lectioni aut studio mosaicae legis. — Saeculo 15º in Styria inferiore aderant *Fanatici*, praedicantes, singulis angariis consilium

(1) In Ps. 49. (2) Pag. 54-57 ed. 1835.
(3) 1, q. 14. a. 5 in o. (4) Pag. 49.
(5) Ib. art. 8 ad 2.
(6) V. Euseb. de praep. evang. l. 1 c. 8.

(7) In 1, Sent. disp. 36. a. 1.
(8) De Civ. Dei, l. 8, c. 21.
(9) Disp. 3. n. 17

inire Deum cum 24 Senioribus (1), ut nosset, quid statuendum sit trimestri proximo de hominibus. — *Waltherus Lothardus* ob disseminatos varios errores Coloniae anno 1722 rogo impositus adseruit, Deum mala illa, quae sub terra fiunt, nescire. *Petrus Poiret* (2), docuit: « Deum ignorare puerorum ludiera, ineptias, et improborum actus, utpote cognitione divina indignos. » — *Bened. Spinoza* equidem (3) adseruit, cogitationem esse attributum divinum, seu Deum esse rem cogitantem; id autem non propugnavit, nisi quia in una substantia, quam Deum appellavit, etiam cogitationes seu entia rationalia adesse negare non potuit: sed quia Deum a praedicta substantia, seu ab hoc Universo non discrevit, specialem, seu ab entibus rationalibus distinctum intellectum Deo tribuere non potuit, atque ideo (4) negavit: « Deo intellectum tribui posse. » Eidem errori inhaerent recentiores Pantheistae, qui cum *Hegelio* Deo personalitatem denegant, eumque solum in entibus rationalibus sui conscium fieri dicunt. — Inter aberrantes denique recensendi sunt omnes, qui per vitia et cupiditates, quibus misere inserviunt, ita rationem suam obnubilant, ut omnipraesentiam et omniscientiam Dei non agnoscentes cum impiis dicant: *Quid enim novit Deus* (5)? *Et dixerunt: non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob* (6).

Nota 3. Nonnulli etiam *S. Hieronymum* inter aberrantes recensendum esse putarunt, quia (7) dicit: « Absurdum esse, ad hoc deducere Dei maiestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur etc. » — Verum S. Doctor hic comparate loquitur de scientia et providentia Dei respectu hominum et rerum vilissimarum, et citatis verbis asserit, non tam specialem esse Dei providentiam erga res istas, quam erga creaturas ratione praeditas, quod ipse Christus innuit (8). Sensum hunc probant verba *S. Hieronymi* immediate subsequentia: « Non simus tam fatui adulatores Dei, ut, dum potentiam eius ad ima deprimimus, in nos ipsi iniuriosi simus, eandem rationabilium et irrationabilium providentiam esse dicentes. » Quod vero rerum etiam minutissimarum cognitionem, curam et providentiam Deo non denegaverit *S. Hieronymus*, probant verba, quae scribit in verba Christi: *Vestri capilli capitis numerati sunt:* (9) « immensam, inquit, Dei erga homines ostendit providentiam, et ineffabilem signat affectum; quod nihil nostrum lateat Deum, et etiam parva et otiose dicta eius scientiam non fugiant. »

Nota 4. Multi Deo omnium entium actu existentium cognitionem tribuerunt, sed praescientiam libere et contingenter futurorum ei denegarunt. Ex Gentilibus *M. T. Cicero* per praescientiam Dei libertatem humanam tolli existimans, illam negavit: de qua Tullii sententia *S. Augustinus* (10) ait: « ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos. » Ex haereticis, teste *Tertulliano* (11), *Marcion* Deo futurorum praescientiam denegavit, idque ex eo consequi existimavit, quod Deus permiserit lapsum Adami, quem si praevidisset, non permisisset. Recentiori aevo praescientiam Dei negant *Sociniani*, et nonnulli ex *Arminianis*, e. g. *Limborchius*. Variae etiam difficultates contra scien-

(1) Apoc. 4. (2) Oecon. div. l. 1, c. 5.
(3) In Ethic. part. 2, prop. 1.
(4) Ethic. part. p. 1, prop. 31.
(5) Iob. 22, 13 (6) Ps. 93, 7.
(7) In cap. 1 Habac.
(8) Matth. 6, 26. (9) Matth. 10.
(10) L. 5 de civ. Dei, c. 9.
(11) L. 2 c. Marcion. c. 5.

Digitized by Google

tiam Dei quoad possibilia, mala et peccata, ac praecipue contra praescientiam libere et contingenter futurorum proponi solent, quapropter necesse est, ut de istis specialiter agatur.

III. *De Scientia Dei quoad non entia.*

§ 31. Intime nobis persuasum est, intellectum nostrum ordinari ad cognoscendum verum. Verum autem est, quidquid est, et quatenus est: id, quod non est, nec verum dici, nec scientiae obiectum constituere potest. Sed tamen multa dicimur cognoscere, quae non sunt, e. g. possibilia, quae existere possent, sed non existunt, tenebras, silentium, defectus rectitudinis, seu peccata, et innumera alia, quae a phantasia nostra confinguntur, et tamen realia non sunt. Quaesitum ideo est, qualis scientia *circa possibilia*, *circa mala moralia*, *seu peccata*, et circa reliqua, quae a *S. Thom. enuntiabilia* (1) vocantur, Deo adscribenda sit? — Hanc quaestionem autem iuxta principia *S. Augustini* et *S. Thomae* solvere oportet.

1. Possibile dicimus id, ad quod efficiendum vires sufficientes adsunt: sic ex semine possibilem fructum concipimus, qui nondum excrevit, et in homine, cuius lingua soluta est, possibilem dicimus locutionem, quam non profert, eandem autem impossibilem censemus in homine muto, quam iterum possibilem reputamus intuitu omnipotentiae divinae, quae muti linguam solvere potest. Dum ergo possibilia concipimus, non ea, quae non sunt, sed vires actu existentes cogitamus, quae ad illa efficienda ordinantur, et quo perfectius vires cognoscimus, eo rectius de rerum possibilitate iudicamus. Deus autem perfectissime cognoscit tum suam omnipotentiam, tum creaturas, viresque his a se inditas: ergo perfectissime etiam rerum possibilitatem in seipso cognoscit. — Ideo Apostolus dicit de Deo: *vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt* (2): quibus verbis uti (3), ipsa omnipotentia divina indigitatur, quae omnia, quae vult, ex nihilo producit: Apostolus autem, ait *Theophylactus* (4), « non dixit, qui producit, quae non sunt, sed *qui vocat*. Ut enim nobis facile est vocare ea, quae sunt, ita illi facile est ea quae non sunt in rerum naturam producere. » Eundem Apostoli locum exponens *S. Thomas* docet, Deum, dum possibilia cognoscere dicitur, non nihilum, sed omnipotentiam suam, et vires a se creatas intueri. Ait enim (5): « Respondeo dicendum, quod Deus scit omnia, quaecunque sunt quocunque modo. Nihil autem prohibet, ea, quae non sunt simpliciter, aliquo modo esse. Simpliciter enim sunt, quae actu sunt. Ea vero, quae non sunt actu, sunt in potentia vel ipsius Dei, vel creaturae: sive in potentia activa, sive in passiva: sive in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocumque modo significandi. Quaecumque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, et etiam quaecumque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus, etiamsi actu non sint. Et pro tanto dici potest, quod *habet etiam non entium scientiam*. — S. Doctor (6) sibi obiicit: « Videtur, quod Deus non habeat scientiam nisi entium; scientia enim Dei non est nisi verorum: sed verum et ens convertuntur: ergo scientia Dei non est non entium. » Ad hanc vero obiectionem respon-

(1) 1, q. 14, art. 14.
(2) Rom. 4, 17.
(3) Ps. 149, 5.
(4) In h. l.
(5) 1, q. 14, art. 9.
(6) Ibidem.

det (1) dicendo, « quod, secundum quod sunt in potentia, sic habent veritatem ea, quae non sunt actu: verum est enim ea esse in potentia, et sic sciuntur a Deo. » — Ergo iuxta *S. Thomam* cognitio possibilium in Deo non est cognitio nihili, sed cognitio omnipotentiae suae, ex qua, per quam, et in qua sunt etiam omnes vires, creaturis inditae, et ad effectus producendos ordinatae. Consentiunt etiam in hoc Theologi, ut dicant, Deum possibilia in seipso, seu in sua essentia videre: sed multi addunt, Deum illa etiam videre in semetipsis, quia possibilitates, quas essentias rerum vocant, aeternas, necessarias et immutabiles reputant, cum semper necessario et immutabiliter verum esse debeat, terminos in illis sibi non repugnare. Sed de possibilitatibus ita consideratis omni iure quaeri potest, an nihil sint, vel an aliquid sint? si nihil sunt, nec cognosci, nec ab impossibilibus secerni possunt, quia in nihilo nulla differentia datur: si aliquid sunt, id, quod sunt, non a se, sed a Deo, omnium rerum causa habent, atque ideo non cognoscuntur a Deo quia sunt, sed ideo sunt, quia a Deo cognoscuntur. Quapropter *S. Thomas* (2) inquit: « Deus est perfecta causa omnium, quae ab ipso sunt, cum nihil possit accipi, quod ab ipso non sit et ideo ipse per essentiam suam omnia perfecte cognoscit. » Recte etiam Cl. *Billuart* de Deo (3). « Possibilitas, seu non repugnantia rerum non est ad existendum a se, sed a Deo. » Et ideo solum interna rerum possibilitas nobis aeterna, necessaria, et immutabilis videtur, quia eam in aeternae, necessariae et immutabilis veritatis luce cognoscimus; nam nihil verum est, nisi a prima Veritate.

2. Deum etiam mala moralia, seu peccata cognoscere S. Scriptura testatur: dicitur enim: *Videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra* (4); *Ipse novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem nonne considerat* (5)? *Deus, tu scis insipientiam meam: et delicta mea a te non sunt abscondita* (6). Maxima autem difficultas circa divinam hanc scientiam militat; nam si Deus haec mala moralia, seu peccata cognoscit, quia sunt; eius scientia ab his dependens fit; si autem sunt, quia ea cognoscit, - Deus peccatorum auctor constituitur. Ipse *S. Thomas* pertractans quaestionem: utrum Deus cognoscat mala? hanc sibi obiectionem proponit (7): « Omnis scientia vel est causa sciti, vel causatur ab eo: sed scientia Dei non est causa mali, nec causatur a malo: ergo scientia Dei non est malorum. » Haec autem difficultas facile solvitur, si attendatur, mala moralia, seu peccata non esse entia, realiter, seu positive existentia, sed esse tantum boni privationem. Id Ss. Patres docent. *Dionysius* (8) ait: « Peccatum non est aliquid existens, aut inexistens, sed privatio boni. » *S. Augustinus* (9) inquit: « Quaecunque sunt, bona sunt; malumque illud, quod quaerebam unde esset, non est substantia, quia si substantia esset, bonum esset: » et in verba Io I, *sine ipso factum est nihil* subdit: « Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines, dum peccant. » *S. Damascenus* (10) dicit: « Peccatum nihil aliud est, quam privatio boni, sicut tenebrae sunt orbitas lucis. » *S. Thomas* (11)

(1) Ibid. ad 1.
(2) In 1, dist. 35, art. 3 ad 2.
(3) Diss. 5, art. 4
(4) Gen. 6, 5. (5) Iob 11, 11.
(6) Ps. 68, 6. (7) 1, q. 14, a. 10 2.
(8) De div. Nom. c. 4. (9) L. 7 confess. c. 12.
(10) L. 2 de fid. c. 4.
(11) 1 2, q 18, art. 1.

Digitized by Google

ait: « Actus est moraliter malus in quantum ei deficit de plenitudine essendi. » Huic principio innixus *S. Thomas* quaestionem solvit, an, et quomodo Deus peccata cognoscat: ait enim (1): « Quicunque perfecte cognoscit aliquid, oportet, quod cognoscat omnia, quae possunt illi accidere. Sunt autem quaedam bona, quibus accidere potest, ut per mala corrumpantur: unde Deus non perfecte cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala. Sic autem est cognoscibile unumquodque, secundum quod est; unde cum hoc sit esse mali, quod est privatio boni; per hoc ipsum, quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebrae. Unde dicit *Dionysius* (2), quod Deus per semetipsum tenebrarum accipit visionem, non aliunde videns tenebras quam a lumine. » Hisce expositis, S. Doctor respondet ad obiectionem superius allatam dicendo « quod scientia Dei non est causa mali, sed est causa boni, per quod cognoscitur malum.» Deus ergo cognoscit hominis voluntatem et legem huic positam: sed in homine peccante cognoscit voluntatem sine illa rectitudine, quam in ordine ad legem habere deberet, et sic Deus hominem peccantem, seu malum cognoscit, quemadmodum nos arborem, quae in quantum est, bona est, sterilem, seu malam vocamus, si debito tempore fructus in illa non cernimus, eamque ob hanc boni privationem etiam excidendam, et in ignem mittendam iudicamus. — Neque scientia Dei intuitu malorum imperfecta dici potest, quia malum non per seipsum, sed per aliud, scilicet per bonum cognoscit; nam, ait *S. Thomas* (3), « cognoscere aliquid per aliud tantum est imperfectae cognitionis, si illud sit cognoscibile per se: sed malum non est per se cognoscibile, quia de ratione mali est, quod sit privatio boni. Et sic neque definiri, neque cognosci potest nisi per bonum. » — Plura hac de re disserenda erunt, cum de providentia divina, de malis et peccatis etc. sermo instituetur.

3. Certum est, homines a rebus cognitis abstrahere, ideas abstractas multiplici modo unire, et sic varia sibi imaginari posse, quae a *S. Thoma* (4) *enuntiabilia* nominantur. Quaeritur itaque, quaenam circa haec scientia Deo competat? — Iam imprimis notandum est, quod intellectus divinus in rerum cognitione abstrahere dici non possit. Nam abstrahere in cognitione rerum est eorum, quae connexa sunt, alterum sine altero considerare, ut conceptuum multitudine nulla fiat confusio: in abstractione ergo non consideratur res prouti est, sed secundum aliquam formam tantum, atque ideo talis cognitio imperfecta est, qualis in Deo cogitari nequit. Sed tamen enuntiabilium scientia Deo denegari non potest, quia mentes hominum, earumque cogitationes, habitus et actus perfectissime cognoscit. Nam, ait *S. Thomas* (5), « Dicitur Ps. 93, *Dominus scit cogitationes hominum;* sed enuntiabilia continentur in cogitationibus hominum: ergo Deus cognoscit enuntiabilia: quod declarans sic pergit: Respondeo dicendum, quod cum formare enuntiabilia sit in potestate intellectus nostri, Deus autem sciat, quidquid est in potentia sua, vel creaturae, ut supra (6) dictum est, necesse est, quod Deus sciat omnia enuntiabilia, quae for-

(1) I, q. 14. art. 10 in o.
(2) De div. Nom. c. 7.
(3) Ibid. ad 4.
(4) L. c. art. 14.
(5) L. c.
(6) Art. 9.

Digitized by Google

mari possunt. Sed sicut scit materialia immaterialiter, et composita simpliciter, ita scit enuntiabilia non per modum enuntiabilium, quod scilicet in intellectus eius sit compositio, vel divisio enuntiabilium, sed unumquodque cognoscit per simplicem intelligentiam, intelligendo essentiam uniuscuiusque: sicut si nos hoc ipso, quod intelligimus, quid est homo, intelligeremus omnia, quae de homine praedicari possunt. Quod quidem in intellectu nostro non contingit, qui de uno in aliud discurrit, propter hoc, quod species intelligibilis sic repraesentat unum, quod non repraesentat aliud. Unde intelligendo, quid est homo, non ex hoc in ipso alia, quae ei insunt, intelligimus, sed divisim secundum quandam successionem. Et propter hoc ea, quae seorsum intelligimus, oportet nos in unum redigere per modum compositionis, vel divisionis, enuntiationem formando: sed species intellectus divini, scilicet eius essentia sufficit ad demonstrandum omnia. Unde intelligendo essentiam suam cognoscit essentias omnium, et quaecunque eis accidere possunt. »

IV. *De divina Praescientia libere, et contingenter futurorum.*

§ 32. Si Deus vere omniscius est, absque dubio omnia cognoscit, et nihil eius scientiae unquam accedere potest; ex quo sequitur, etiam libere et contingenter futura, uti sunt actiones humanae, a libero hominis arbitrio pendentes, ipsi semper nota esse. Sed quoniam circa divinam huius obiecti cognitionem, quam *Praescientiam* vocamus, plures aberrantes existunt, et variae difficultates moventur, in specie de illa agendum, et probandum est, in Deo, praescientiam dari, seu Deum semper, et infallibiliter libere et contingenter futura cognoscere.

Prob. 1.° *ex S. Scriptura*, in qua libere, et contingenter futurorum, seu actionum humanarum liberarum praescientia Deo passim adscribitur. Sic Propheta regius ait: *Intellexisti cogitationes meas de longe... omnes vias meas* i. e. actiones meas *praevidisti... tu cognovisti omnia novissima, et antiqua* (1). Sic Deum Susanna alloquitur: *Deus aeterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contra me* (2) *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum... Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita* (3). *Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis eius. A saeculo usque in saeculum respicit, et nihil est mirabile in conspectu eius* (4): De Christo dicitur: *Sciebat ab initio Iesus, qui essent non credentes* (5).

Prob. 2.° *ex Prophetiis*, quae invictum pro Dei praescientia argumentum constituunt. Si enim Deus actiones libere et contingenter futuras praedixit, et istae vere ita, prouti praenuntiatae fuerant, positae sunt, certe Deus illas praevidit, atque ideo omnium actionum libere et contingenter futurarum praescientia ipsi attribuenda est, quia intellectus infinitus limitari nequit, et nulla ratio assignari potest, cur Deus has actiones libere futuras praevideat, non vero alias. — Atqui Deus tum in V. tum in N. Testamento plurimas actiones liberas, etiam cum minimis

(1) Ps. 138, 3 etc (2) Dan. 13, 42-43.

(3) Eccli. 23, 28 etc. (4) Eccli. 39, 24 etc. (5) Io. 6, 65.

Digitized by Google

circumstantiis praedixit, et istae prophetiae exactissime adimpletae fuerunt (Cf. Th. gen. § 136-§ 148): ergo praescientia libere, et contingenter futurorum est in Deo. — Hoc argumento iam Antiqui usi sunt ad divinam praescientiam comprobandam. *Tertullianus* (1) ait: « Praescientia tantos habet testes, quantos fecit prophetas. » Imo quia Deo soli, qui tempori non est subiectus, omnia praesentia sunt, praedictio libere et contingenter futurorum omni iure semper ut actio soli Divinitati propria habita fuit. Ideo idem *Tertullianus* (2) inquit: « Idoneum testimonium Divinitatis, veritas Divinationis: » et *Origenes* (3) scribit: « Est nota ista divinitatis, et character futurorum praedictio, quae in naturam humanam non cadit, et iudicatur ex eventibus, quando evidens fit divini Spiritus praenuntiatio. » Hinc Deus ipse, irridens aliarum gentium Deos inquit: *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos* (4). De uno vero Deo autem dicitur: *Cognovit Dominus omnem scientiam, et inspexit in signum aevi, annuntians quae praeterierunt, et quae superventura sunt, revelans vestigia occultorum* (5).

Prob. 3.° *ex Ss. Patribus*, qui Deo libere et contingenter futurorum praescientiam attribuunt, simulque docent, Deum ita omnia nosse, ut ex aeterno praesentia illa habeat. *S. Hilarius* (6) ait: « Nihil non semper cum Deo fuit, quidquid in rebus est: quae etsi ad creationem sui coepta sunt, non sunt tamen a Dei vel praescientia, vel potestate inchoata. Et testis est nobis Propheta dicens: *Deus qui fecisti omnia, quae futura sunt* (7). Quae enim futura sunt, licet in eo quod creanda sunt, adhuc fient, Deo tamen, cui in creandis rebus nihil novum ac recens est, iam facta sunt, dum et temporum dispensatio est, ut creentur, et iam in divinae virtutis, et praescientiae efficientia sint creata. » *S. Basilius* (8) inquit: « Quod apud nos dicitur *nunc*, momentaneum et individuum temporis significat. In Deo autem omnia secundum sensum instantis, quod *nunc* dicitur, proposita sunt. Nihil enim ipsius praeteriit, neque futurum est; sed omnia praesentia sunt, et quae a nobis e longinquo exspectantur, velut iam praesentia divino oculo prospiciuntur. » Hinc *S. Ambrosius* (9) repetit morem illum S. Scripturae, « ut quae futura sunt, vel quasi praesentia, vel quasi facta dicantur etc.: Deo enim quae sunt futura, praesentia sunt, et ei, cui praecognita sunt omnia, ventura perfecta sunt, sicut scriptum est: *qui fecit, quae ventura sunt:* » (qui locus Is. XLV sumptus est iuxta versionem 70). *S. Hieronymus* (10) scribit: « Cui necdum facta iam facta sunt, secundum illud, quod Apostolus loquitur: qui vocavit ea, quae non erant, quasi ea, quae essent. » *Theodoretus* (11) ait: « Universorum Deus natura quidem est immutabili; novit autem ea, quae nondum facta sunt, tanquam iam facta sint. » *S. Augustinus* (12) dicit: « Confiteri esse Deum, et negare praescium futurorum apertissima insania est. » Idem (13) scribit: « Deus ita omnia cognovit, ut nec ea, quae dicuntur praeterita, illi praetereant, nec ea, quae dicuntur futura, quasi desint,

(1) L. 2 c. Marcion. c. 5.
(2) In Apolog. c. 20. (3) L. 6 c. Cels.
(4) Is. 41, 23. (5) Eccli. 42, 19.
(6) L. 12 de Trin. n. 39 etc. (7) Isa. 45.
(8) Ap. Io. Damascen. in Eclog. tit. 17.
(9) L. 1 de Fide, c. 15, n. 97.
(10) Initio Commentar. in Ierem
(11) Quaest. 37 in Genes.
(12) L. 5 de Civ. Dei, c. 9.
(13) L. 15 de Trin. c. 7.

exspectentur ut veniant; sed et praeterita et futura cum praesentibus sint cuncta praesentia. » Ex his infert S. Doctor, in sensu stricto, seu considerato divinae cognitionis modo, de Deo non praescientiam, sed simpliciter scientiam futurorum esse praedicandam; ait enim: (1) « Quid est praescientia, nisi scientia futurorum? quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futurae, sed praesentes; ac per hoc non iam praescientia, sed tantum scientia dici potest. » Hoc idem asserit *S. Gregorius M.* (2) dicens: « Scimus, quia Deo futurum nihil est, ante cuius oculos praeterita nulla sunt, praesentia non transeunt, futura non veniunt, quippe quia omne, quod nobis fuit, et erit, in eius prospectu praesto est, et omne quod praesens est, scire potest potius, quam praescire» (3).

PROB. 4° *Ex ratione*, quae libere, et contingenter futurorum praescientiam Deo denegare nequit. Nam *a*) si omnes liberas creaturarum actiones Deus ab aeterno non cognosceret sequeretur, eum singulis momentis innumeras novas cognitiones acquirere ipsiusque scientiam continuo augeri: hoc vero absolute impossibile est: quia enim omnia attributa divina sunt ipsa essentia Dei, ergo etiam scientia divina sicut essentia Dei, infinita et immutabilis est, ita ut nihil ipsi unquam accedere possit: necessario ergo statuendum est, Deum omnia libere et contingenter futura ab aeterno nosse. *b*) Deus tempori non est subiectus, et eius aeternitas non successiva, sed simultanea est ita, ut in ipsa ne duo quidem sibi succedentia momenta distingui possint: quapropter etiam dici non potest, quod aliquid Deo in uno momento sit futurum, et in alio ipsi praesens fiat; sed Deo omnia praesentia sunt, et sic ab ipso perfectissime cognoscuntur. Ex hoc autem non sequitur, uti opinari videtur *D. Klee* (4), quod, si scientia Dei quae semper vera est, omnia ut praesentia intuetur, omnis rerum successio et temporum differentia e medio tollatur. Nam in entibus contingentibus vera successio datur ita, ut alia praeterita, alia praesentia, alia futura sint; et Deus, qui est auctor temporis, seu rerum sibi succedentium causa, cognoscit res, quomodo vere existunt, et quo ordine sibi succedunt, sed haec omnia uno, simplicissimo et simultaneo intuitu videt, quod aliquo modo declarari potest paritate desumta ex homine, qui rotam circumactam aspiciens omnes rotae radios adinvicem succedentes sibi simul praesentes videt. Differentia ergo temporis est solum ex parte entium sibi succedentium, nullatenus vero ex parte scientiae divinae. — Ideo *S. Thomas*, qui eodem argumento philosophico utitur ad divinam futurorum contingentium praescientiam probandam (5), dicit: « Licet contingentia fiant in actu successive, non tamen Deus successive cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse sicut nos, sed simul: quia sua cognitio mensuratur aeternitate, sicut etiam suum esse: Aeternitas autem tota simul existens ambit totum tempus, ut supra dictum est (6). Unde omnia, quae sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se praesentes, ut quidam

(1) L. 2 ad Simplic. q. 2.
(2) L. 20 Mor. c. 23.
(3) Cf. Petav. l. 4, c. 4 et 6.

(4) Pag. 52.
(5) L. c. a. 13 in o.
(6) Q. 10, art. 2 et 4.

Digitized by Google

dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab aeterno supra omnia, prout sunt in sua praesentialitate. » Id angelicus Doctor inferius (1) paritate declarat dicens, quod Deus omnia, quae contingunt et sibi succedunt, simul videat, quamvis a nobis vel ut praeterita, vel ut praesentia, vel ut futura cognoscantur; nam, ait: « Sicut ille, qui vadit per viam non videt illos, qui post eum veniunt, sed ille, qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur simul videt omnes transeuntes per viam; » ita nos contingentia successive cognoscimus, Deus autem ea simul videt. Hoc idem confirmat S. *Augustinus* ex absurdo, quod sequeretur, si Deus futura tanquam sibi futura praenosceret, ita, ut in ipso futurorum praescientia vere a praesentium scientia distingueretur; tunc enim, ait S. Doctor (2), Deus « bis ea sentit, uno quidem modo secundum futurorum praescientiam, altero vero modo secundum praesentium scientiam. Aliquid ergo temporaliter accedit scientia Dei, quod absurdissimum et falsissimum est. Nec enim potest quae ventura praenoscit nosse cum venerint, nisi bis innotescant, et praenoscendo antequam sint, et cognoscendo cum iam sint. »

Nota. Contra propositam doctrinam varia obiiciunt Sociniani, qui declaratam praescientiam Deo denegant, vel saltem dicunt, futura libera contingentia coniecturis dumtaxat quibusdam ac verisimilibus rationibus Deo nota esse, non certa ac infallibili cognitione: argumenta, quibus blasphemam suam sententiam tueri conantur, iam confutare oportet.

Obi. I. Deum liberas hominum actiones non praevidere, Scriptura testatur. Deus non praevidit scelera ab hominibus patranda, quae ut cognovit *poenituit eum, quod hominem fecisset in terra* (3). Cum Abraham, ut mandatum divinum exequeretur, se iam accinxerat ad immolandum filium suum, Deus dixit: *Nunc cognovi quod times Deum* (4): ergo antea id non cognovit.

Resp. S. Scriptura saepe se accommodat modo loquendi humano, ut facilius ab hominibus intelligatur: et quia homines, dum id quod fecerunt, destruunt, poenitere dicuntur; idem affectus Deo, humanum genus per diluvium destruenti, tribuitur: in Deo autem in quo affectiones humanae locum non habent, poenitentia non est nisi ipsum decretum, flagitiosos homines, quos condidit certo tempore ab hac terra exterminandi; decretum vero istud aeternum, et quidem ex praevisis hominum peccatis ab aeterno conceptum esse, S. Scriptura non negat, sed potius in omnibus illis locis asserit, in quibus Deum aeternum ac immutabilem dicit. — Quod alterum locum attinet, Deus loquitur ad Abrahamum more hominum, qui similibus verbis de grata sibi actione complacentiam suam exprimere solent: nullatenus autem ideo Deus negat, se iam antea timoratum Abrahami animum cognovisse, imo id adseverat dicendo: *nunc cognovi*; nam τὸ *nunc* in Deo ipsam aeternitatem denotat.

Obi. II. Dei praescientiam infallibilem non esse, ostendunt vaticinia, nomine Dei prolata, et tamen non adimpleta. Sic Isaias (5), Ezechiae praenuntiavit mortem, quae tamen tunc non est secuta. Ionas exclamavit: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur* (6), et tamen statuto tempore urbs non fuit subversa.

Resp. Distinguenda sunt vaticinia

(1) Ad 3. (2) L. 2 quaest. ad Simplic. q. 2.
(3) Gen. 6, 6. (4) Gen. 22, 12.

(5) 38, 1. (6) 3, 4.

absoluta et conditionata. Illa semper et infallibiliter adimplentur, haec vero non adimplentur, nisi conditio, expresse, vel tacite apposita verificetur. Talia fuerunt vaticinia in obiectione citata. Ezechiae nimirum mors praedicta fuit, nisi huius dilationem per humiles preces a Deo impetraret: quia autem Rex contrito corde, et pia confidentia ad Deum preces fudit, statim Isaias illi adhuc quindecim vitae annos praedixit, et praedictionem suam miraculo confirmavit; ubi certe Deus rerum futurarum praescientiam infallibilem apertissime ostendit. — Eodem modo subversio urbis Ninive praedicta fuit sub conditione, nisi urbis incolae poenitentiam egerint, et ideo quia poenitentiam egerunt, urbs subversa non est. Certe enim non alia ex causa Ionas ad flagitiosos Ninivitas missus fuit, nisi ut eos ad poenitentiam excitaret; quapropter salutarem eis timorem incutiens praedixit urbis ruinam certo secuturam, si impoenitentes manserint. Multae enim eiusmodi praedictiones in Scripturis leguntur, quae potius comminationes dici possunt peccatoribus factae, et hanc semper habent insitam conditionem; nisi a viis suis pessimis convertantur.

Obi. III. Scriptura passim exhibet Deum futura libere nonnisi coniecturaliter, ac dubie praenuntiantem, prout evincunt particulae illae dubitativae *forte, forsitan*, etc. Sic dicitur: ***Noli subtrahere verbum si forte audiant, et convertantur*** (1). ***Haec dicit Dominus Deus: si forte vel ipsi audiant, et si forte quiescant*** (2). Christus ad Samaritanam dicit: ***Si scires donum Dei... tu forsitan petiisses ab eo***, etc. (3), et: ***Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi***, etc. (4) Ergo Deus haec infallibiliter non praevidit.

Resp. Vaticiniis istis cum apparenti dubitatione propositis opponimus alia et quidem plurima vaticinia cum plena certitudine prolata: haec satis probant infallibilem Dei praescientiam; quam illa dubiam reddere non possunt. Scriptura enim usurpat particulas dubitativas non quidem ad denotandam dubiam et coniecturalem futurorum cognitionem, sed aliis de causis. Nam 1° quamvis Deus omnia futura certo cognoscat, non vult tamen semper, ut eadem certitudine ab hominibus cognoscantur; ideo humano more Scriptura loquitur, ut significet rei futurae eventum incertum esse ex parte nostri, non vero ex parte Dei. Ita *S. Augustinus* in Ps. 2: *ne quando irascatur Dominus*: « Cum dubitatione positum est, inquit, non secundum visionem Prophetae, cui certum est, sed secundum eos ipsos, qui monentur, quia cum dubitatione solent cogitare iram Dei, quibus non aperte revelatur ». 2° Scriptura ancipiti loquendi modo utitur, ut doceat ex praevisione rei futurae humanum non laedi arbitrium, sed etiam ab hoc futurum eventum dependere. Ita *S. Hieronymus* (5) ait: « Verbum ambiguum *forsitan* maiestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium, ne ex praescientia eius quasi necessitate vel facere quid vel non facere cogatur. » 3° Denique sic loquitur Scriptura vel ad designandam rei difficultatem, vel ad increpandam hominum malitiam et pervicaciam, quae hincinde tanta est, ut etiam copiosis gratiis divinis resistat. Ita *S. Augustinus* (6) ad haec verba: *Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis*, etc., dicit: « Ille, qui

(1) Ierem. 26, 2-3. (2) Ezech. 2, 4-5. (3) Io. 4, 10. (4) Io. 5, 46.

(5) In Ierem. 26. (6) Tr. 37 in Ioan.

omnia scit, quando dicit forsitan, non dubitat, sed increpat... Dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine, ideo dubitante quia nesciente: cum vero dicitur a Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas. »

Obi. IV. Deus libere et contingenter futura praenoscere non potest, nec in se, quia nondum existunt, atque ideo cognitionis obiectum non constituunt, nec in causa, quia haec libera est, et pro suo arbitrio in hoc, vel illud ferri, in bonum, vel malum declinare potest. Nullo modo ergo admitti potest, Deum iam cognoscere liberas hominis actiones, qui e. g. post centum annos nascetur.

Resp. Difficultas haec versatur circa modum, quo Deus libere et contingenter futura praevideat; quaeritur enim quomodo possibile sit, ut a Deo actiones illae cognoscantur, quae nondum positae sunt, et quarum positio a causa libera dependet? — Sed iuxta tritum adagium ignorantia modi non tollit certitudinem facti. Si ergo etiam nulla ratione modum explicare possemus, quo Deus libere et contingenter futura praevideat, non ideo liceret nobis divinam praescientiam negare, quae tum ex Revelatione, tum ex ratione certa est. — Et si in ipsis rebus naturalibus multa non perfecte perspicimus, et quoad intrinsecum modum explicare non valemus, mirum nobis nullatenus videri debet, si ea perfecte perspicere, et quoad modum explicare non possumus, quae divinam naturam infinitam et incomprehensibilem concernunt. — Theologi autem modum explicare conati sunt, quo Deus libere et contingenter futura praenoscit, ut saltem appareat, nihil impossibile, aut contradictorium statui, dum talis praescientia Deo tribuitur. Nam etiam homines, quo magis causas agentes cognoscunt, fines rerum et nexum earum perspiciunt, eo facilius futura praevident, quamvis nondum existant. Sic Astronomi eclypses solis et lunae, diu antequam contingant, praenuntiant: et ex cognita hominis indole, educatione, conditione et statu, facile est multas actiones praevidere, quas libere positurus est. Si autem talis praescientia, quamvis limitata, et non semper infallibilis - etiam hominibus competit, quanto magis illa Deo - sed prouti naturam infinitam decet - perfectissima, illimitata et infallibilis tribuenda erit? — Et sane Deus est omnium rerum, seu omnium causarum secundariarum, sive pathologice, sive libere agentium causa prima, quae sicut omnia produxit, sic continuo omnia conservat et gubernat: Deus ergo omnes causas, fines rerum, et nexus earundem intime perspicit: Deus etiam omnes minutissimas circumstantias, in quibus homo versatur, et occultissima motiva, quae in eum agunt, perfectissime cognoscit; quomodo ergo vel minima actio, quamvis libera et futura, ipsum latere poterit? — Accedit quod scientia Dei sit efficax rerum, quia non causa prima a secunda, sed secunda a prima dependet. Deus ergo, qui omnia conservat et gubernat, etiam ad quemlibet actum liberum concurrit, ita, ut dicendum sit, non iam Deum actum cognoscere quia ponitur, sed eum poni, quia eum Deus novit: et ideo Theologi, qui hanc sententiam amplectuntur, omni iure dicunt, Deum etiam actus libere et contingenter futuros in se ipso, seu in decretis suis cognoscere. — Denique difficultas quae circa modum versatur, quo Deus libere et contingenter futura praevidet, facile solvi-

Digitized by Google

tur, vel evanescit, si recta de aeternitate Dei notio habeatur. Deo enim nihil futurum est, sed ipsi omnia praesentia sunt. Unde ait *S. Thomas* (1): « Manifestum est, quod contingentia et infallibiliter a Deo cognoscuntur, in quantum subduntur divino conspectui secundum suam praesentialitatem, et tamen sunt futura contingentia suis causis comparata. » Et (2) aeternitatem, quae puncti instar est, nullam habens extensionem « cuilibet tempori, vel instanti temporis praesentialiter adesse » scribit: idque circuli exemplo utcunque declarat, in quo punctum quodlibet, quod est in ambitu, etsi individuum est, non tamen « cuivis alteri puncto sibi proximum est, ut existat cum eo. » At centrum quod in medio positum est, cuilibet puncto, quodcunque tandem designatum fuerit in ambitu, ex adverso respondet: ita concludit *S. Thomas* « quidquid in quacunque parte temporis est, coëxistit aeterno quasi praesens eidem, etsi respectu alterius partis temporis sit praeteritum, vel futurum (3). »

V. *De divinae praescientiae concordia cum libertate humana.*

§ 33. « Perdifficilis, ait *Petavius*(4), ea semper est visa quaestio de consensu divinae praescientiae cum libero motu voluntatis, ac multum humana perturbavit ingenia non solum imperitorum, sed etiam doctissimorum. » Videtur enim libertas humana cum praescientia divina consistere non posse. Cum enim haec infallibilis sit, necesse est, ut omnia eveniant, quae praevidentur, et quomodo praevidentur, atque impossibile est haec vel non evenire, vel alio modo contingere. Posita ergo praescientia divina, actum est de libertate humana, et de contingentia rerum: quod multo magis dicendum esse videtur in sententia eorum, qui scientiam Dei tanquam efficacem rerum omnium causam habent; tunc enim etiam de actibus liberis dicendum est, quod ponantur quia a Deo cognoscuntur. — Haec difficultas tam inextricabilis nonnullis visa est, ut vel cum *Stoicis* ineluctabile fatum propugnarent, vel ad salvandam humanam libertatem cum *Tullio* praescientiam divinam negarent. — Ast proposita difficultas tam inextricabilis non est, sicuti nonnullis visa fuit, sed variis rationibus solvi et ostendi potest, per praescientiam divinam nullatenus tolli humanorum actuum libertatem, sed hanc cum illa facile conciliari.

1. Primo quidem proposita difficultas indirecte solvi potest. Certum enim est, uti allata iam argumenta probant, esse in Deo libere et contingenter futurorum praescientiam: certum autem pariter est, hominem in agendo liberum esse, quia id quoque Revelatio docet (5), et sensus intimus cuilibet homini contestatur. Habentur ergo duae veritates certae tum ex Revelatione, tum ex ratione. Veritas autem veritati opponi non potest: ergo praescientia Dei non opponitur libertati humanae, et haec non opponitur illi. Sed tota difficultas solum circa modum versatur, quo ambae veritates consistant: ignorantia autem modi non tollit certitudinem facti. Si itaque modum quo praescientia divina cum libertate humana consistit, etiam nulla ratione explicare valeremus, nullatenus tamen nobis licitum esset unam, vel alteram veritatem negare, quia etiam in naturalibus, recta ratione iubente, multa

(1) 1, q. a. 13.
(2) L. 1 c. Gent. c. 66, ad 6.

(3) Cf. Petav. l. 4, c. 5. (4) L. c. cap. 7.
(5) Gen. 4, 7, Eccli. 15, 19, etc. 1 Cor. 7, 37.

admittere debemus, quorum intrinsecum nexum non perspicimus. Ea tantum admitti non possunt, quae absolute impossibilia, aut aperte contradictoria sunt: id autem de veritatibus, de quibus agitur, dici non posse, testes nobis sunt tum doctissimi Ss. Patres, tum sagacissimi Theologi, tum et plurimi eximii Philosophi, qui praescientiam divinam simul cum libertate humana et crediderunt et propugnarunt.

2. Praescientia Dei mere speculativa, seu ut rerum nuda cognitio considerata, non magis tollit rei futurae libertatem, quam vel cognitio rei praesentis, vel memoria rei praeteritae. Certum est autem, quod qui res praesentes contemplatur, vel praeteritarum meminit, nullam iisdem necessitatem imponat, quamvis ipsius scientia certa et infallibilis sit, et actiones, quae ponuntur, non possint simul non poni, aut alio modo poni: sic, ex. g., si video Petrum ambulantem, non potest hic eodem tempore non ambulare, sed tamen libere ambulat, et mea cognitio quomodocunque certa ne minimam quidem ipsi necessitatem infert. — Atqui Deus in sua aeternitate eodem simplicissimo intuitu videt res futuras, quo res praeteritas vel praesentes, cum omnia sint Deo in aeternitate praesentia; imo si accurate loqui velimus, Deo in aeternitate nihil est praeteritum, nihil futurum, sed omnia sunt praesentia. Quemadmodum ergo qui videt agentem sibi praesentem nullam huius actionibus imponit necessitatem, ita etiam scientia divina non tollit humanorum actuum libertatem, quia Deus omnia - etiam libere et contingenter futura - ut praesentia intuetur. Hoc argumento *Boëtius* (1) usus est ad concordiam praescientiae divinae cum libertate humana ostendendam. — Quilibet autem facile videt scientiam divinam hic ut mere speculativam, et non ut rerum effectricem considerari, et totam argumentationem huic principio incumbere, quod non ideo res sint, quia eas Deus cognoscit, sed quod Deus eas cognoscat, quia sunt. Et negari nequit, etiam non paucos ex Patribus eodem principio usos fuisse, ut commonstrent, praescientiam divinam non tollere libertatem humanam. Sic S. *Iustinus* M., seu auctor Quaest. ad Orthod. (2), ait: « Non est praescientia causa eius quod futurum est; sed id, quod futurum est, est causa praescientiae... Quocirca non Christus causa est proditionis Iudae; verum proditio est causa Domini praescientiae. » — *Origenes*(3) inquit: « Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, scitur a Deo, antequam fiat. » *Eusebius* (4) scribit: « Neque enim idcirco fit, quod futurum esse cognoscatur, sed quod futurum sit, idcirco futurum esse cognoscitur ». *S. Io. Chrysostomus* (5) super illud, *vae mundo a scandalis*, sic loquitur: « Non quia futura scandala praedixit, idcirco evenient, sed quoniam omnino ventura erant, idcirco praedixit. Non enim fierent, si ea nollent excogitare nequam homines atque pestiferi: quod si ventura non fuissent, nec ipse futura praedixisset. » *S. Hieronymus* (6) scribit: « Non ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est: sed quia futurum est, Deus novit quia praescius futurorum. » *S. Io. Damascenus* (7) ait: » Dei scientia certa et

(1) L. 5 de Consol. Philos. prosa 3 et seq.
(2) Q. 58. (3) In Rom. 8.
(4) L. 6 praep. evang. c. 11.
(5) Hom. 60 in Matth. (6) In Ierem. 26.
(7) Dial. adv. Manich.

inviolabilis est; sed ipsa non est causa, cur omnino fiat id, quod futurum est; quin potius, quia hoc vel illud acturi sumus, idcirco praenoscit ». Etiam *S. Augustinus* (1) disputans contra Tullium divinam praescientiam idcirco negantem, quod existimaret inde perimi libertatem, probat re ipsa divinam praescientiam libertati nostrae non nocere, dicens: « Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum praescivit: imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cuius scientia falli non potest. non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse praescivit. Qui si nolit, utique non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille praescivit: » et alibi (2) ita disserit: « Sicut tu memoria tua non cogis facta esse quae praeterierunt; sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt. Et sicut tu quaedam, quae fecisti, meministi, nec tamen, quae meministi, omnia fecisti: ita Deus omnia, quorum ipse auctor est praescit, nec tamen omnium, quae praescit, ipse auctor est. Quorum autem non est malus auctor, iustus est ultor. »

3. Iuxta mentem *S. Thomae* praescientia divina a nobis vel ut mere *speculativa*, vel ut *practica*, seu efficax rerum considerari potest. Si spectetur ut mere speculativa, quae res intuetur, quin easdem efficiat, optime valet allata Boëtii argumentatio ad illius cum humana libertate concordiam ostendendam. Si autem ut practica, seu ut rerum effectrix, qualis Deo vere competit consideretur, humanarum actionum libertatem et rerum contingentiam non solum non tollit, sed potius efficit. Deus enim praescientia sua efficit non tantum ut actum ponamus, sed etiam ut eundem libere ponamus; quia praescientia divina, sicut ipsum actum, qui ponitur, ita etiam modum liberum et contingentem, quo ponitur, cognoscit, et cognoscendo efficit. Deus ergo actiones hominum futuras praevidet, sed illas ut libere et contingenter futuras praevidet; et quia haec praescientia infallibilis et efficax est, quaecunque a Deo ut libere et contingenter futura praevidentur, certissime evenient, et quidem libere et contingenter evenient: optime ergo cum praescientia divina coëxistit libertas humana. — Hoc argumento iam *S. Augustinus* illos profligavit, qui libertatem humanam per praescientiam divinam extinctam autumarunt: nam (3) ita disserit: « Cum Deus praescius sit voluntatis nostrae, cuius est praescius, ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est praescius. Nec voluntas esse poterit. si in (libera) potestate non erit. Ergo et (liberae) potestatis est praescius. Non ergo per eius praescientiam mihi potestas adimitur, quae propterea mihi certior aderit, quia ille cuius praescientia non fallitur, adfuturam mihi esse praescivit. » Hoc idem docet *S. Thomas* (4) qui equidem de divina voluntate disserit, sed eandem difficultatem solvit quae contra libertatem humanam ex eo peti solet, quia Deus, per intellectum, et voluntatem operans, est omnium rerum causa efficiens; ait enim: « Cum aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam non tantum secundum id, quod fit, sed etiam secundum modum fiendi, vel essendi. Cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod

(1) L. 5 de Civ. Dei, c. 10.
(2) L. 3 de lib. arbitr. c. 4.
(3) L. 3 de libero arbitr. c. 4.
(4) Praecipue 1, q. 19, art. 8.

Digitized by Google

fiant ea, quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quaedam fieri Deus necessario, quaedam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quae deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt: quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingentes proveniunt. Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causae proximae sunt contingentes: sed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes (seu liberas) causas ad eos praeparavit. » Eodem modo praecise quoad divinum intellectum disserit angelicus Doctor (1), dicens: « Deus scit res, in quantum est causa rerum; sed est causa non solum necessariorum, sed etiam contingentium: ergo ipse fecit non solum necessaria futura, sed etiam contingentia (sive libera): » ex quo sequitur, libertatem actuum humanorum per praescientiam divinam non tolli, sed effici. — Haec S. Thomae doctrina equidem non omnibus arridet: sed nescio quomodo negari aut impugnari possit; certum est enim apud omnes, libertatem nostram esse opus et donum Dei: omnia autem entia contingentia, sicut a Deo producta sunt, ita continuo conservantur, et haec conservatio continua creatio dici solet: Deus igitur etiam libertatem, quam produxit, in quolibet momento conservat, seu in quolibet actu producit: ab omnibus autem admittitur, Deum operari per intellectum, et voluntatem: ergo Deus etiam per intellectum et voluntatem libertatem nostram conservat, seu continuo producit, et ideo dicendum est, nos liberos esse, quia Deus nos liberos esse cognoscit et vult. Fatendum equidem est, quod intrinsecum modum, quo Deus operatur, et quidem ita, ut actiones nostrae vero liberae, seu a voluntate nostra dependentes fiant, perfecte concipere et explicare non possumus: id autem nullatenus mirum videri debet, quia sicut attributa divina sic etiam operationes divinas perfecte perspicere nunquam possumus: absit autem, ut propter ignorantiam modi principia certa deseramus. Profecto nimis facile contingit, ut qui operationum divinarum modum nimis curiose inquirere et explicare praesumunt, in devia abripiantur, intellectum divinum cum intellectu humano, et voluntatem divinam cum voluntate humana turpiter confundentes.

Nota. His pertractatis, haud difficile est, varia sophismata diluere, quibus nonnulli ostendere conati sunt, per praescientiam divinam extingui libertatem humanam. Aliqua tantum ad pleniorem totius controversiae cognitionem hic proferenda et confutanda sunt.

Obi. I. Teste *Nemesio* (2) *M. T. Cicero* ita argumentatus est, ut ostenderet, admissa divina praescientia, actum esse de libertate humana, et ineluctabile fatum stabiliri: « Fatum, inquit, series quaedam est causarum, quam nihil transgredi potest. Si ergo praescita sunt omnia futura, hoc ordine venient, quo ventura esse praescita sunt. Et si hoc ordine venient, certus est ordo rerum praescienti Deo. Et si certus est ordo rerum, certus est ordo causarum; non enim aliquid fieri potest, quod non aliqua efficiens causa praecesserit. Si autem certus est ordo causarum,

(1) Ad Annibaldum lib. 1, dist. 38, qu. 2, art. 1.

(2) L. de natura hominis, cap. 37.

Google

quo fit omne, quod fit; — fato fiunt omnia, quae fiunt. »

Resp. Huic obiectioni *S. Augustinus* (1) respondet, « non esse consequens, ut si Deo certus est ordo causarum omnium, ideo nihil sit in nostrae voluntatis arbitrio. Et ipsae quippe nostrae voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo, eiusque praescientia continetur, quoniam et humanae voluntates humanorum operum causae sunt. Atque ita omnes qui rerum causas praescivit, profecto in eius causis etiam voluntates nostras ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse praescivit: » quibus verbis S. Doctor satis clare libertatem nostram ex eo ipso vindicat, quod voluntates nostrae a Deo tanquam causae liberae operum nostrorum praevidentur, ita ut haec ipsa praevisio libertatem nostram non tollat, sed efficiat.

Obi. II. Omnino impossibile est, praescientiam divinam falli: si igitur Deus libere et contingenter futura praevidet, haec non possunt non evenire: sed quae non possunt non evenire, necessario eveniunt: ergo posita praescientia divina omnia necessario eveniunt, et non datur libertas nec contingentia.

Resp. Haec obiectio saepe repetita, saepe etiam variisque modis soluta fuit. *a*) Communiter Theologi distinguunt propositionem minorem, quae dicit: *quae non possunt non evenire, necessario eveniunt:* duplex enim distinguenda est necessitas, nimirum *antecedens*, quae actionem praecedit, et hanc ita determinat, ut libertas excludatur, et *consequens*, quae actionem comitatur, aut sequitur; ast illam non determinat, sed solum ex eo deducitur, quia idem non potest simul esse, et non esse.

(1) L. 5 de Civ. D. c. 9.

Id exemplo declarari potest. Si homo quidam ambulat, non potest simul non ambulare, et in hoc sensu dici potest necessario ambulare, necessitate scilicet consequenti; verum nihilominus libere ambulat, quia ad ambulandum non necessitatur, deest nimirum necessitas antecedens. His praemissis concedunt, ea, quae ob infallibilem Dei praescientiam non possunt non evenire, necessario evenire necessitate consequenti, quae libertatem non adimit; negant autem ea necessario evenire necessitate antecedenti, quae libertatem excludit. Etiam nos homines, si quem videmus ambulare, comedere, vel bibere etc., dicimus, eum non posse eodem tempore non ambulare, vel non comedere, vel non bibere etc., et tamen libertatem horum actuum nullatenus infringimus: et sic Deus, qui omnia ut praesentia videt, praescientiam suam actibus humanis libertatem non adimit, quamvis ea, quae videt, non possint non evenire. — *b*) Thomistae aliis terminis utuntur ad eandem difficultatem solvendam: distinguunt nimirum *sensum compositum*, qui adest, si circumstantiae subiecti, obiecti et temporis coniunguntur, et *sensum divisum*, qui adest, si dictae circumstantiae seiunguntur. Saepe una eademque propositio vera est in uno, falsa autem in altero sensu: e. g. haec propositio: *Loquens potest tacere*, vera est in sensu diviso, falsa in sensu composito; hoc est, qui loquitur, absolute et simpliciter potest tacere, adeoque libere loquitur: non autem loquens potest tacere in sensu composito, hoc est, componere simul locutionem cum silentio, seu tacere simul et loqui, et huiusmodi impotentia nec hilum libertati obest. Hanc distinctionem etiam ad propositam difficultatem solvendam applicant, et

Digitized by Google

aiunt: propositio, *quae Deus praevidet non possunt non evenire*, vera est in sensu composito, in quo actus humanus et huius libertas cum praescientia Dei coniungitur, et falsa est in sensu diviso, quia si a divina praescientia abstrahatur, actus ita liber et contingens est, ut poni, vel non poni possit (1). *c*) Pro infallibilitate praescientiae divinae non requiritur, ut omnia futura necessario, seu ex necessitate eveniant, sed sufficit ut certissime eveniant: quo posito, omni iure dicitur: quae Deus praevidit, certissime eveniunt, et quidem ita eveniunt, prouti Deus illa praevidet; sed Deus actiones humanas ut libere et contingenter futuras praevidet: ergo libere et contingenter evenient, quia eius praescientia sicut infallibilis, ita etiam rerum effectrix est.

VI. *De divina praescientia conditionate futurorum.*

§ 34. Futurum conditionatum illud dicitur quod reipsa non est futurum, sed futurum esset, si aliqua poneretur conditio: atque huiuscemodi futurum medium veluti locum occupat inter mere possibile, et realiter futurum; e. g. conversio Tyriorum, et Sidoniorum quae (2) futura praedicitur, si apud ipsos fierent miracula quae facta sunt apud Corozaitas et Bethsaiditas; conversio, inquam, illa futura erat sub conditione, quae nunquam tamen impleta est, adeoque videtur nec mere possibilis, neque etiam realiter futura, sed quae futura fuisset, si posita fuisset indigitata conditio. Quaestio itaque mota est, an Deus haec conditionate futura cognoscat? Nonnulli Theologi certam et infallibilem talium conditionatorum scientiam Deo denegarunt, e. g. *Typhanius* e *S. I.*, *Thomassinus*, *Io. B. Du-Hamel*, *P. Viator a Cocaleo*, et alii, in quorum sententiam propendere etiam videtur *Gazzaniga* (3).—Sed tamen maior pars Theologorum aliter sentit; et quidem non solum qui *Molinae* et *Suarezii* doctrinae inhaerent, sed teste *Billuart* (4) etiam *Thomistae* admittunt, Deum conditionate futura certo et infallibiliter cognoscere. Talem autem scientiam Deo vere competere, sequentibus argumentis probatur.

Prob. 1.° *ex S. Scriptura*. Quae Deus praedicit, etiam certo, et infallibiliter cognoscit; neque enim falli unquam potest divina praedictio: atqui Deus conditionate futura praedixit: id sacra Scriptura testatur, quae varia exempla refert, in quibus Deus liberas hominum actiones revelavit, quae posita quadam conditione futurae fuissent: quamvis ob conditionis defectum minime ponerentur. Primum exemplum legitur I Reg. XXIII. Cum David ingressus esset Ceilam, et Saul hoc audito statuisset illum in urbe includere, David Dominum de duobus interrogat; nimirum utrum, si remaneret, Saul esset venturus ad obsidendam civitatem, et utrum viri Ceilitae tunc seipsum et viros, quos secum habebat, traditurі essent in manus Saul: *Si tradent me*, inquit, *viri Ceilae in manus eius? et si descendet Saul sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israël, indica servo tuo. Et ait Dominus: descendet..... tradent.* David hic Deum interrogat non de mere possibili, nec de periculo seu discrimine, in quod adduci poterat; noverat enim possibile esse ut veniret Saul, et ut traderetur a Ceilitis: periculum enim ipse sentiebat, nec de illo dubitabat. Igitur Deum interrogat de eo, quod futurum esset

(1) Cf. Gazzaniga diss. 5, c. 2, obi. 4 etc.
(2) Matth. 11.
(3) T. 1, diss. 5, c. 4.
(4) Diss. 6, art. 5.

Digitized by Google

supposita aliqua conditione: Deus vero affirmative respondet: *descendet... tradent* etc., et non ex probabili coniectura (quae Deum dedecet) ita Deus loquitur, sed ex certa scientia. — Alterum exemplum desumitur ex Sap. IV, 11, ubi de iusto immatura morte sublato dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius:* ubi certe futura iusti perversio praenoscitur sub conditione non implenda, si nimirum diutius in vivis stetisset. Tertium exemplum et testimonium petitur ex Matth. XI, 21 ubi dicit Christus: *Vae tibi, Corozain, vae tibi, Bethsaida, quia si in Tyro, et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent:* quibus verbis Christus Tyriorum, et Sidoniorum poenitentiam praedicit, siquidem apud illos praedicasset ac signa fecisset, qualia in Galilaea fecit; illam ergo Christus sub tali conditione, quae tamen adimpleta non est, futuram cognovit; alioquin neque tam acriter Corozaitas et Bethsaiditas obiurgasset, nec tam certo et asseveranter Tyriorum et Sidoniorum poenitentiam prae illis futuram affirmasset: ergo iuxta testimonia Scripturae Deus certo et infallibiliter cognoscit conditionate futura, seu cognoscit etiam actiones liberas data quadam conditione ponendas.

Prob. 2° *Ex Ss. Patribus* qui haud obscure Deo conditionate futurorum praescientiam adscribunt. Sic *S. Gregorius Nyss.* Oratione de infantibus morte immatura sublatis, asserit, id beneficii loco habendum esse: « Consentaneum est enim, ait, ab eo, qui futurum aeque novit ac praeteritum, prohiberi parvuli progressum ad perfectam aetatem, ne malum illud, quod praescientia sua cognovit, in eo qui ita victurus fuisset, perficiatur, atque ei, qui ea voluntate arbitrioque victurus esset, vitii nequitiaeque materia vita fiat.» Idem docet *S. Chrysostomus* (1), qui, quaerens cur Deus Adamum statim post admissum peccatum e paradiso expulit, respondet: « Ideo e paradiso primum parentem initio statim eiecit, quoniam honor iste tributus illi deteriorem eum fecisset, si post spretum violatumque mandatum immotus ille stabilisque mansisset. » — *S. Gregorius M.* (2) observat, in bonum iustis cedere, si aliquando vexentur; « quia, inquit, mira potentia praevidet (Deus), quod si quieti, ac liberi in tranquillitate persisterent, tentationes ferre adversarii non valentes mentis prostratae vulneribus iacerent. » — Etiam *S. Augustinus* certam et infallibilem conditionate futurorum praescientiam Deo adscribit; ait enim (3): « Nunquid possumus dicere, etiam Tyrios et Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent? cum de eis ipsis Dominus attestetur, quod acturi essent magnae humilitatis poenitentiam, si in eis facta essent illa signa virtutum. » Equidem *S. Augustinus* etiam ab oppositae sententiae patronis citari solet: sed notandum est, quod S. Doctor multa scripserit ad refellendos Semipelagianos, qui docebant, dari gratiam a Deo infantibus nonnullis per baptismum propter bona opera quae facturi essent, si ad usum rationis pervenirent; aliis vero gratiam baptismi non dari propter mala opera, quae praevidentur facturi, si ad pleniorem servarentur aetatem: huic commento strenue se opponit S. Pater, negatque, propter opera vel bona, vel mala, quae non existunt

(1) L. 1 ad Stagirium. (2) L. 33 Mor. c. 19.

(3) L. de dono persever. cap. 9.

et nunquam existent, quemdam vel remunerari, vel puniri: quapropter dum negare videtur conditionate futurorum praescientiam, intelligendus est de praescientia in sensu Semipelagianorum, seu potius de falsis consectariis, quae ex illa praescientia ab haereticis deducebantur. Hanc vero esse S. Doctoris mentem ex eo apparet, quia confutans Semipelagianos, conditionate futurorum praescientiam non absolute negat, sed ad hanc appellans falsa haereticorum consectaria impugnat; nam loc. cit. de infantibus ait: « Porro si etiam secundum facta, quae facturi essent, si viverent, mortui iudicantur: profecto quia fideles futuri erant isti (Tyrii et Sidonii) si eis cum tantis miraculis fuisset praedicatum Evangelium, non sunt utique puniendi: punientur autem: falsum est igitur et secundum ea mortuos iudicari, quae facturi essent, si ad viventes Evangelium perveniret. Et si hoc falsum est, non est cur dicatur de infantibus, qui pereunt sine baptismo morientes, hoc in eis merito fieri, quia praescivit eos Deus, si viverent, praedicatumque illis fuisset Evangelium, infideliter audituros» (1).

Prob. 3° *Ex ratione*, quae conditionate futurorum scientiam Deo denegare nequit. Nam etiam nos homines, cognita alterius indole saepe praevidemus, et praedicimus, quid posita quadam conditione acturus esset: e. g. de avaro praevidemus quod occasionem multa lucrandi statim arriperet, si ipsi manifestaretur; et de divite misericorde dicimus: si tantam necessitatem cognosceret, certe auxilium praeberet etc. Quanto magis ergo Deo talis scientia est adscribenda, quae etiam nobis hominibus non denegatur? — Equidem in nobis talis praevisio semper imperfecta et fallibilis est, quia intima hominis nunquam plene perspicimus, atque ideo solum cum maiori vel minori probabilitate conditionate futura praevidemus, quo magis, vel minus perfecte indolem hominis cognoscimus: Deus autem, qui omnium corda et renes scrutatur, perfectissime et certissime conditionate futura praenoscit, et in sua praescientia falli non potest: imo talem scientiam Deo inesse, ipsa idea entis perfectissimi, quo nil melius cogitari potest, expostulat (2).

VII. *De scientia media.*

§ 35. Scholastici antiquitus scientiam divinam dividere consueverunt in scientiam *simplicis intelligentiae,* quae pro obiecto habet omnia possibilia, et in scientiam *visionis,* cuius obiectum omnia quocumque tempore existentia constituunt. Saeculo autem decimosexto ad finem vergente, nonnulli Theologi tertium divisionis membrum inserendum esse putarunt, nimirum *scientiam medium,* per quam Deus cognoscit *conditionate futura,* i. e. ea omnia, quae non solum possibilia sunt, sed realiter futura essent, si quaedam conditio poneretur, ob defectum autem conditionis realiter futura non sunt, et ideo inter mere possibilia et realiter existentia medium locum tenent. Hanc sententiam in Hispania *P. Fonseca* et *Prudentius de Montemaiori*, in Germania *Gregorius de Valentia*, in Belgio *Leonardus Lessius* proposuerunt: prae caeteris vero eandem *Ludovicus Molina*, celeber Societatis Iesu Theologus, dilucidavit, propugnavit, et ad ostendendam liberi arbitrii cum gratiae donis concordiam adplicavit. Huic autem theoriae acerrime se opposuerunt *Thomistae,* qui scientiam mediam reiiciendam, et systema, quod

(1) Cf. Tournely, q. 15, a. 2, p. 358-362.

(2) Cf. Perrone n. 406.

illi superstruitur, reprobandum esse dixerunt. Magna idcirco controversia exorta est, quae primum in scholis acriter disputata, dein ad tribunal Inquisitionis, ac tandem ad Sedem Romanam delata, non Hispaniam solum, ubi exordium sumsit, sed totum commovit orbem catholicum. Romae habitae sunt famosae *Congregationes de auxiliis*, in quibus tamen nulla facta est, etiam post longas concertationes, litis decisio, *Clemente VIII* ante ultimam sessionem e vivis erepto, *Leone XI*, eius successore pariter brevi defuncto, et *Paulo V* partibus litigantibus nonnisi modestiae leges praescribente. Testatur quidem *Gazzaniga* (1) exaratam iam fuisse Bullam, systema *Molinae* condemnantem, eique nihil defuisse nisi solemnem publicationem; sed Innocentius X anno 1654 publico decreto sancivit memoratam Constitutionem publicam fidem non facere. Utraque ergo sententia sine fidei discrimine propugnari potest: optime autem procedunt recentiores Theologi, qui a scholasticis concertationibus abstinentes praefatam controversiam historice tantum pertractant. Ne autem Theologiae Candidati in quaestione tam acriter agitata omnino hospites sint, praecipua saltem argumenta, tum eorum, qui scientiam mediam asseruerunt, tum illorum qui eandem impugnarunt, referenda, hisque in fine reflexiones nonnullae adiiciendae sunt.

1. Scientiae mediae patroni, vulgo *Molinistae*, aut *Congruistae* dicti, sententiam suam probant: *a*) ex citatis (§ praec.) S. Scripturae et Ss. Patrum locis, in quibus scientia conditionate futurorum aperte adscribitur Deo. Haec vero Deus non cognoscit per scientiam simplicis intelligentiae, quae mere possibilia respicit, neque per scientiam visionis, quae realiter existentia considerat: nam conditionate futura ad haec referri non possunt, quia ob defectum conditionis ad existentiam non perducuntur; sed etiam ad mere possibilia revocari nequeunt, quia inter mere possibilia et conditionate futura magnum discrimen versatur. Nam saepe homines cognoscunt, aliquid possibile esse, et tamen nesciunt, an sub quadam conditione actu futurum sit. Sic David traditionem Ceilitarum, si apud ipsos remaneret, possibilem agnovit, sed eam, hac conditione posita, actu futuram esse, solus Deus novit. Possibilis erat etiam poenitentia Corozaitarum et Bethsaiditarum, alias Christus eos ob impoenitentiam non obiurgasset; ab hac autem mere possibili poenitentia omnino differt poenitentia Tyriorum et Sidonitarum, quam Christus, posita praedicatione cum miraculis, non ut mere possibilem, sed ut actu futuram pronuntiavit. Igitur conditionate futura cognitionis obiectum tum a mere possibilibus, tum ab actu existentibus distinctum constituunt, et ideo tertium divisionis membrum, seu scientia media, admitti debet. *b*) Hoc idem probant ex commodis, quae ex scientia media pro tractatu de gratia redundant: admissa enim scientia media, facile declaratur, quomodo Deus in gratiarum distributione sapientissime procedat et quomodo per gratiam liberum arbitrium nullatenus tollatur. Deus enim videt libera conditionate futura tum in seipsis, tum in essentia sua tanquam in specie intelligibili: haec scientia media ergo praecedit, et dirigit decreta divina; i. e. Deus inprimis cognoscit, sub qua conditione, aut in quibus circumstantiis voluntas humana consen-

(1) Diss. 5. cap. 7.

sura sit libere gratiae, quam ideo sub illa conditione, seu in his circumstantiis elargitur: ex quo apparet, Deum in distribuendis gratiis non coeco modo, sed sapientissime procedere, nec personarum acceptorem esse, et consensum voluntatis humanae omnino libere sequi. Admittunt tamen Molinistae, scientiam mediam nullatenus Deo motivum et regulam esse gratiam concedendi iis quos praevidet, ea bene usuros esse: gratia quippe ex mera Dei benignitate et liberalitate pro beneplacito ipsius confertur, et ex imperscrutabili indicio divino non raro illis negatur, qui eadem bene usuri fuissent, uti exemplum habemus in Tyriis et Sidoniis (1).

2. Thomistae sequentibus argumentis scientiam mediam impugnant. *a*) Tripartita scientiae divinae divisio *logica non est*, quia tertium membrum, quod interseritur, superfluum est, et sibi proprium obiectum non habet, sed quod ei tribuitur, iam in aliis duobus continetur. Nam conditionate futura, quae scientiae mediae adscribuntur, proprium, seu speciale scientiae divinae obiectum non constituunt; vel enim in huiusmodi futuris conditio ponitur, vel non: si ponitur, sunt realiter futura, seu actu existent, atque ideo a Deo per scientiam visionis cognoscuntur: si vero conditio non ponitur, manent mere possibilia, et ad scientiam simplicis intelligentiae pertinent. *b*) Scientia media in scholas catholicas *de novo* introducta est saeculo XVI inclinante; novitatem enim suae doctrinae ipse *Molina* ingenue fassus est: atqui in Theologia nihil magis suspectum est, quam novitas; et regula est a *Tertulliano* tradita: «Id est verum, quod prius traditum; id falsum, quod posterius immissum»(2). *c*) Iuxta Molinistas scientia media independens est a decretis divinis, quia illa haec praecedit et dirigit: Deus ergo in hac sententia prius per scientiam mediam considerat, qua posita conditione, seu in quibus circumstantiis humana voluntas consensura sit, et deinde voluntatis suae decretum condit: ergo Deus in condendis decretis a creaturis suis, quas per scientiam mediam considerat, dependet; quod omnino absonum ac Deo indignum est. Deus enim, cum sit causa prima, causa universalissima, primum agens, ac primum movens, debet quamlibet creaturam determinare, non autem ab ea determinari. Decreta ergo divina non a creaturis, sed hae ab illis dependent. Ideo Deus omnia, quae creaturas concernunt, in suis decretis praedeterminantibus cognoscit: conditionate autem futura cognoscit in decretis subiective absolutis, et obiective conditionatis: talia decreta etiam ab hominibus concipi solent, e. g. si Petrus sincera et firma voluntate dicat: Volo Paulo dare centum aureos, si hodie veniat ad me, est voluntatis decretum subiective, i. e. ex parte Petri absolutum, et obiective, i. e. ex parte Pauli, qui venire, vel non venire potest, conditionatum: huiusmodi decreta Deo etiam in S. Scriptura adscribuntur, in qua Deus promittit se plura facturum, si certa poneretur conditio; e. g. promisit filiis Israël, quod eos introduceret et conservaret in terra promissionis, si legem observarent; et quia Deus mentiri nequit, erat ergo in eo firma id praestandi voluntas, si debita conditio ab Israëlitis adimpleretur, seu erat in eo decretum subiective (i. e. ex parte ipsius) absolutum, et obiective (i. e. ex parte

(1) Cf. Tournely quaest. 16, art. 5.

(2) Gazzanig. l. c. Pr. 3 etc.

Israëlitarum) conditionatum. Si autem Deus in istis decretis, quae ubique priorem locum occupant, conditionate futura cognoscit, corruit totum fundamentum, cui systema Molinistarum incumbit. *d*) Si in systemate Molinistarum libertas hominis, a supernaturali gratia adiuti, clarius elucescit; e contra efficacia gratiae valde obscuratur, atque vix declarari potest, quomodo *Deus est, qui operatur in vobis velle, et perficere* (1). Imo ulterius in dicto systemate posset homo gloriari, quod seipsum discerneret: gratia enim omnino aequali posita, unus consentit, alter dissentit pro suo libero arbitrio, ergo unus ab altero discernitur per liberum arbitrium, cum tamen Apostolus dicat: *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (2)?

3. Propositae controversiae iam nonnullas reflexiones adiungere licet. — *a*) Circa extensionem obiecti scientiae divinae Theologi non dissentiunt; omnes enim fatentur, Deum omnia scire, et ad haec omnia, paucissimis scriptoribus exceptis, etiam conditionate futura referunt. Si autem cuncti Deo veram et perfectam Omniscientiam attribuunt, et sic in dogmate catholico consentiunt, parum refert, qua ratione illimitatum scientiae divinae obiectum dividatur, et quaestio exigui momenti est, an bimembris, an trimembris eiusdem obiecti divisio logicis regulis magis consentanea sit. — *b*) Thomistae et Molinistae inter se dissentiunt, non circa scientiae divinae obiectum, sed circa medium, in quo Deus conditionate futura cognoscit: iuxta Thomistas Deus haec cognoscit in suis decretis subiective absolutis, et obiective conditionatis; hanc vero sententiam penitus reiiciunt Molinistae, qui autem in assignando huius scientiae divinae medio non consentiunt; *Molina* enim pro hoc medio assignavit super comprehensionem causarum secundarum, et *Suarez* decretum futurum; recentiores autem dicunt, Deum cognoscere conditionate futura immediate in semetipsis, seu in veritate obiectiva, quam habent antecedenter ad omne decretum Dei, et in essentia sua tanquam in specie intelligibili. Ex hac sententiarum diversitate varius rerum ordo prodit: nam iuxta Molinistas praecedit scientia Dei, et dein concipiuntur decreta divina; iuxta Thomistas autem independenter concipiuntur decreta divina, et ex his sequitur scientia Dei tum quoad realiter, tum quoad conditionate futura: haec principia praecipue ad declarandam gratiam supernaturalem ab utraque parte applicantur, et ideo iuxta Molinistas Deus concedit gratiam, quia consensum voluntatis praevidit, et iuxta Thomistas Deus voluntatis consensum praevidet, quia gratiam concedere decrevit. *c*) Negari non potest, quod mere possibilia et conditionate futura a nobis distinguantur; aliter enim de eleemosyna, quam dives avarus erogare posset, et aliter de eleemosyna, quam dives misericors, si pauperis necessitatem cognoscat, actu erogabit, iudicamus, illam mere possibilem, et hanc conditionate futuram existimantes. Exinde autem inferri non potest, quod conditionate futura novum prorsus cognitionis divinae obiectum, tum ab obiecto scientiae simplicis intelligentiae, tum ab obiecto scientiae visionis penitus distinctum constituant, quod solummodo per scientiam mediam a Deo adprehendi possit. Dicendum po-

(1) Phil. 2, 13.

(2) 1 Cor 4, 7.— Cf. Billuart Diss. 6. a. 6.

tius est, quod in quolibet conditionate futuro duo concurrant, nimirum aliquid mere possibile, et aliquid actu existens: illud vero Deus per scientiam simplicis intelligentiae, et hoc per scientiam visionis cognoscit. Id etiam ex cognitione, quae nobis de conditionate futuris inest, declarari potest: nam in allato exemplo eleemosynam a divite misericorde erogandam ut conditionate futuram concipimus. Si autem conditio non ponatur, eleemosyna non erogatur, pauperem non iuvat, et tanquam non existens merito inter mere possibilia computatur: eleemosyna ergo, quae non datur, in se non distinguitur, sive ex avaritia, sive ob non cognitam penuriam omittatur. Distinctio iudicii nostri solum petitur ex cognita avaritia unius, et misericordia alterius; mens autem sive avara, sive misericors actu existit. Quia ergo in conditionate futuris mere possibilia, et actu existentia concurrunt, Deus illa per scientiam simplicis intelligentiae, et haec per scientiam visionis cognoscit. In exemplo sit: si David commorabitur in urbe Ceila, tradent eum cives: duo isthic divinae scientiae obiecta occurrunt, proditio Davidis, quae possibilis est, et cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiae, et pravus Ceilitarum animus, quem Deus comprehendit per scientiam visionis. Eodem modo Christus Tyriorum et Sidoniorum poenitentiam possibilem per scientiam simplicis intelligentiae, eorumdem vero animum ad parendum veritati pronum, sicut et animum Corozaitarum, et Bethsaiditarum penitus depravatum, ac induratum per scientiam visionis cognovit; quapropter nullatenus necesse est, ut scientia media statuatur (1). *d*) Quae Theologi tum pro scientia media, tum contra eandem copiose disputant, praecipue circa illius applicationem ad explicandam oeconomiam gratiae supernaturalis respiciunt: varia autem, quae inde exurgunt, Scholarum diversarum systemata in tractatu de gratia sunt exponenda.

Nota. Dogma de omniscientia Dei ad recte dirigendos mores efficacissimum est. Nam *a*) seria divinae omniscientiae consideratio piis solatium, impiis terrorem merito adfert. Novit enim Deus, quae recte agimus: singultus, lacrimas, vota, preces, fiduciam iustorum, luctam adversus vitia, actiones omnes, magnas et parvas, imo et potum aquae frigidae remuneratione sua non fraudabit. At neque vindictam evadent hypocritae: homines decipere possunt, non autem Omniscium, qui etiam occultissimas impiorum cogitationes cognoscit atque puniet. *b*) Omnes nostrae indigentiae, miseriae et adversitates Deo notae sunt; quapropter Christus dicit: *Scit pater vester, quia his omnibus indigetis* (2). Non ergo ideo ad orationem recurrimus, ut Deum de nostris necessitatibus et tribulationibus certiorem reddamus, sed ut nostram omnimodam dependentiam nostrumque nihilum contestemur, confidentiam in Deum exerceamus, et per frequentem ac sanctam cum ipso conversationem in virtutibus perficiamur. *c*) Ut Deo omniscio, quantum fieri potest, similiores reddamur, cognitiones nostras ab erroribus et praeiudiciis purgare, et continuo augere debemus. Quoniam autem mente nostra limitata non omnia perscrutari valemus, prae caeteris illas nobis cognitiones comparare debemus, quae ad ultimum finem nostrum obtinendum, et ad status nostri officia rite adimplenda necessariae, sive utiles

(1) Cf. Berti de disc. theol. t. 1, l. 4, c. 10.

(2) Matth. 6, 32.

Digitized by Google

sunt. *d*) Primarium scientiae divinae obiectum est ipse Deus, et secundarium sunt creaturae, quas Deus in ipsa sua essentia videt. Sic et primarium intellectus nostri studium sit, ut Deum recte cognoscamus, caetera vero in relatione ad Deum consideremus. Deum, resque divinas contemplare excellentissimum et utilissimum rationalis animae negotium esse, non solum omnes Ascetae docent, sed iam *Aristoteles* professus est dicens: « Dei actio, cum beatitudine praestet, contemplativa erit, et ex humanis ea erit felicissima, quae huic maxime est cognata. Qui mente operatur, et eam excolit, is cum optime affectus, tum Deo carissimus videtur esse (1). »

ARTICULUS VII.
De voluntate divina.

§ 36. Voluntas in genere definiri solet facultas adpetendi bonum et aversandi malum intellectualiter cognitum. Talem facultatem nobis inesse, sensus intimus testatur; sicut enim per intellectum bonum et malum discernere, sic per voluntatem illud appetere, et hoc aversari possumus. Si autem entia contingentia et creata, voluntate praedita existunt, quis hanc Deo, primae rerum omnium causae, denegabit? — Omnibus persuasum est, voluntatem esse magnam naturae spiritualis perfectionem: Deus ergo nullatenus ut ens perfectissimum concipi posset, si voluntate careret; hoc enim posito, ait Cl. *Tournely*, « Deus summe bonus non esset, qui summum bonum amare non posset, defectu scilicet voluntatis, cuius proprium est amare: summum enim et infinitum bonum amore summo et infinito, qui in solum Deum cadit, amari debet et exigit. » Itaque ipsa idea entis perfectissimi postulat, ut huic perfectissima quoque voluntas adscribatur. — Hanc S. Litterae ubique de Deo praedicant. Nam dicitur: *Omnia quaecunque voluit, Dominus fecit* (2). — Christus docet nos ad Deum orare: *Fiat voluntas tua* (3). Paulus scribit: *Probetis, quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta* (4); et: *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae* (5). Certissimum ergo est, ex ratione et revelatione, Deo competere voluntatem, de cuius 1° *indole*, 2° *obiecto*, 3° *divisionibus*, et 4° *affectibus* hic disserendum venit. Reliquae divinae voluntatis proprietates, seu perfectiones in sequentibus articulis pertractabuntur.

(1) Ap. Petav. de Deo l. 4 c. 1 n. 2.

(2) Ps. 134, 6. (3) Matth. 6. 10. (4) Rom. 12, 2. (5) Eph. 1, 11.

I. *De divinae voluntatis indole.*

§ 37. Sicut omniscientiam Dei, ita etiam voluntatem divinam utpote infinitam perfecte comprehendere nequaquam possumus. Nullus ergo putet, huius indolem adaequate explicari posse. Id tantum firmiter credendum et profitendum est, quod Deus tum per sanam rationem, tum per supernaturalem revelationem nobis de sua voluntate manifestare dignatus est. Quoniam autem facillime contingit, ut notiones, quas de voluntate humana habemus, etiam ad voluntatem divinam transferamus, et sic in erroneos conceptus prolabamur, hic praecipua saltem *discrimina* indigitanda sunt, quae inter voluntatem divinam et voluntatem humanam obversantur.

1. Voluntas humana consistit in potentia, per quam homo volitiones elicere potest, quae ideo in ipso accidentales sunt, et adesse vel abesse possunt. Non autem sic divina volun-

tas concipi potest; nam in ente simplicissimo et absoluto nihil accidentale datur; in ipso potentia ab actu non distinguitur, et volitio non potest dici a potentia volendi producta: ergo divina voluntas non consistit in potentia, sed in actu, seu est ipsum velle, et velle divinum est ipsum Esse divinum: sicut enim omnia attributa divina sunt ipsa essentia divina, ita etiam Voluntas Dei est Essentia Dei, « quia, ut ait *S. Augustinus* (1), Deus id, quod habet est. » Eodem modo etiam alii Patres et Doctores de divina voluntate loquuntur. *Iunilius* Africanus Episcopus (2) ait: « Deus simplex est, nec est in eo aliud essentia, quam voluntas. Unde et omnia nomina operationis eius, licet inter se definitionibus differant, apud ipsum tamen nulla differentia, vel diversitas invenitur.... Deus ideo natura, vel essentia facere dicitur, ne voluntas in eo quasi aliud aliquid demonstretur: et ideo voluntate, quia nihil operari compellitur, sed essentialiter vult et voluntate subsistit. » *S. Cyrillus Alex.* (3) ait: « Quia simplex est Deus, et omni compositione praestantior, non est ab ipso diversa voluntatis eius actio. » *S. Bernardus* (4) citans verba Ioannis: *Deus charitas est* (5), addit: « Nemo tamen existimet, me charitatem hic accipere qualitatem, vel aliquod accidens (alioquin in Deo dicerem, quod absit, esse aliquid, quod Deus non est), sed substantiam illam divinam. » *S. Thomas* (6) inquit: « Oportet, in Deo esse voluntatem, cum sit in eo intellectus: et sicut suum intelligere est suum esse, ita suum velle.... (7) cum voluntas Dei sit eius essentia: » et (8), rem totam dilucide explanat distinctione operationis, quae est in Deo, et effectus, qui producitur extra Deum; ait enim: « Potentia in rebus creatis non solum est principium actionis, sed etiam effectus: sic igitur in Deo salvatur ratio potentiae quantum ad hoc, quod est principium effectus, non autem quantum ad hoc, quod est principium actionis » (9).

2. Humana voluntas ab actu ad actum transit, modo hoc, modo illud eligit, hincinde quod nunc amplexa est, postea respuit, aut vicissim, et sic variis mutationibus obnoxia est. Sed divina voluntas non ab actu ad actum transit: sed omnia uno et simplicissimo actu vult; nulla ergo in ipsa volitionum successio datur, sed quod Deus semel vult, semper vult, ipsiusque voluntas omnino immutabilis est. Hanc divinae voluntatis immutabilitatem S. Scriptura testatur dicens: *Voluntas Domini permanebit* (10). *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet* (11). *Consilium Domini in aeternum manet: cogitationes cordis eius in generatione, et generationem* (12): per illas autem, sicut per consilia Domini, nonnisi volitiones Dei, seu decreta divinae voluntatis intelliguntur. Egregie in rem loquitur *S. Augustinus* (13) dicens: « Num dicetis falsa esse, quae mihi veritas voce forti in aurem interiorem dicit de vera aeternitate Creatoris, quod nequaquam eius substantia per tempora varietur, nec eius voluntas extra eius substantiam sit? unde non eum modo velle hoc, modo velle illud, sed semel, et simul, et semper velle omnia, quae vult, non ite-

(1) Tr. 99 in Ioan.
(2) L. 1 de part. legis div. c. 19.
(3) Dial. 5.
(4) Tract. de diligend. Deo, c. 12. n. 35.
(5) 1 Ep. 4, 8. (6) 1, q. 19, art. 1.
(7) Ad 3. (8) 1, q. 25, art. 1 ad 3.
(9) Cf. Petav. l. 5, c. 4, Tournely q. 17, a. 1, Staudenmayr § 66
(10) Prov. 19, 21. (11) Is. 46, 10.
(12) Ps. 32. 11.
(13) L. 12 Confess. c. 15

rum, et iterum, neque nunc ista, nunc illa, nec velle postea quod nolebat, aut nolle quod volebat prius, quia talis voluntas mutabilis est, et omne mutabile aeternum non est: Deus autem noster aeternus est. » *S. Thomas* (1) probat, « quod voluntas Dei est omnino immutabilis, » et circa hoc considerandum esse dicit, quod aliud est mutare voluntatem, et aliud est velle aliquarum rerum mutationem: hanc Deus vult in rebus creatis, sed uno, simplicissimo et aeterno decreto vult, ac ideo creaturae mutantur, voluntas autem Dei immutabilis manet

3. Humana voluntas dependens est a legibus, quibus subest, et a motivis, quibus ad actus suos incitatur: neque enim ideo aliquid bonum est, quia nos homines id volumus, sed voluntas nostra in bonum fertur, quod iam adest, et ab intellectu cognoscitur, vel saltem ut tale, quamvis erronee, iudicatur. Nullatenus autem sic divinam voluntatem concipere licet: haec enim est ipsa essentia Dei, atque ideo omnino independens. Nihil ergo divina voluntate prius, aut superius cogitari potest, non lex, cui subsit, non motivum, per quod ad actum incitetur; nulla enim est divinae voluntatis causa, sed ipsa est causa omnium rerum. Has Deus vult, non quia bonae sunt, sed bonae fiunt, quia illas Deus vult. Deus enim est undequaque ens primum; quapropter extra Deum nihil boni cogitari potest, nisi quod ipse per intellectum et voluntatem simplicissimo actu efficiat. Absonum idcirco est, divinae voluntatis causam investigare velle. Nam, ait *S. Augustinus* (2): « Qui quaerit, quare voluerit Deus mundum facere, causam quaerit voluntatis divinae. Sed omnis causa efficiens est; omne autem efficiens maius est quam id, quod efficitur. Nihil autem maius est voluntate Dei: non ergo eius causa quaerenda est. » *Idem* (3) ita disserit: « Causas voluntatis Dei scire quaerunt, cum voluntas Dei omnium, quae sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas Dei, est aliquid, quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit, quare fecit Deus coelum et terram? - respondendum est ei, quia voluit. Voluntas enim Dei est causa coeli et terrae, et ideo maior est voluntas Dei, quam coelum et terra. Qui autem dicit, quare voluit facere coelum, et terram? maius aliquid quaerit quam est voluntas Dei; nihil autem maius inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, et id, quod non est, non quaerat, ne id, quod est, non inveniat. » Eiusdem sententiae est *S. Thomas*, qui (4) dicit, « quod voluntas Dei nullo modo causam habet; » et (5) probat, « voluntatem Dei esse causam rerum: » et clarissime indigitatum inter voluntatem divinam et humanam discrimen exponit (6) dicens: « Voluntas Dei est causa omnium rerum. Et sic oportet, quod in tantum habeat aliquid esse, aut quodcunque bonum, in quantum est volitum a Deo. Cuilibet igitur existenti Deus vult aliquod bonum, unde cum amare non sit, nisi velle bonum alicui, manifestum est, quod Deus omnia, quae sunt, amat, non tamen eo modo, sicut nos. Quia enim voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea movetur sicut ab obiecto, amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius,

(1) I, q. 19, art. 7.
(2) De div. quaest. 83, quaest. 28
(3) De Genes. c. Manich. l. I, c. 2.
(4) I, q. 19, art. 5. (5) Ibid. art. 4.
(6) In I, q. 20, art. 2 in o.

sed e converso bonitas eius vel vera, vel aestimata provocat amorem, quo ei volumus et bonum conservari, quod habet, et addi, quod non habet, et ad hoc operamur. Sed amor Dei est infundens et creans bonitatem in rebus. »

Not. Plura alia discrimina. inter divinam et humanam voluntatem probe observanda in tractactionis decursu exponentur.

II. *De divinae voluntatis obiecto.*

§ 38. Divinae voluntatis obiectum duplex est, *primarium*, quod est ipse Deus, et *secundarium*, quod constituunt creaturae.

1. Sicut Deus seipsum ut bonum summum et infinitum perfectissime cognoscit, ita etiam seipsum perfectissime vult et amat. - In nostra equidem voluntate duplicem actum secernimus, vel enim appetimus, et quaerimus bonum, quod non habemus; vel delectamur, et quiescimus in bono, quod habemus. Prior actus in Deo respectu essentiae suae, cui nihil omnino deest, admitti nequit: posterior autem a nobis necessario divinae voluntati attribuitur. Id *S. Thomas* docet (1), dicens; « Voluntas in nobis pertinet ad appetitivam partem, quae licet ab appetendo nominetur, non tamen hunc solum habet actum, ut appetat, quae non habet, sed etiam ut amet, quod habet, et delectetur in illo: et quantum ad hoc voluntas in Deo ponitur, quae semper habet bonum, quod est eius obiectum. » Et sane ens perfectissimum a nobis concipi non potest nisi seipsum perfectissime volens et amans. Enti enim perfectissimo etiam perfectissima voluntas competit, quae in bonum summum et infinitum perfectissimo, seu infinito amore et complacentia fertur.

2. Secundario Deus vult et amat etiam omnes creaturas, Id ipsa S. Scriptura testatur dicens: *Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti* (2). Idem patet ex aliis locis, in quibus dicitur, quod *omnis creatura Dei bona est*, (3). *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona* (4). Omnes autem creaturae ex eo tantum bonae fiunt, quia, et in quantum Deus eas vult et amat. Idcirco S. Thomas (5) dicit: « Deus omnia existentia amat; nam omnia existentia, in quantum sunt. bona sunt. Ipsum enim esse cuiuslibet rei quoddam bonum est, et similiter quaelibet perfectio ipsius. Ostensum est autem supra (6) quod voluntas Dei est causa omnium rerum. Et sic oportet, quod in tantum habeat aliquid esse, aut quodcumque bonum, in quantum est volitum a Deo. Cuilibet igitur existenti Deus vult aliquod bonum: unde cum amare nihil aliud sit, quam velle bonum alicui, manifestum est, quod Deus omnia, quae sunt, amat. »

Not. 1. Nonnulli Theologi docent, Deum etiam creaturas possibiles amare, et quidem necessario amare, non quidem affectu efficaci, quia ad existentiam non perducuntur, sed affectu simplicis complacentiae, per quam Deus in veritate obiectiva et bonitate essentiali, qua etiam creaturae possibiles gaudent, sibi complacet; ita enim Deus vult et amat observantiam suorum mandatorum, quae tamen saepe deficit, atque salutem hominum, quam tamen multi non consequuntur (7). Aliter autem sentiunt, qui principia S. Thomae sequuntur. Iuxta haec enim in possi-

(1) 1, q. 19. art. 1, ad 2.
(2) Sap. 11, 25.
(3) 1 Tim. 4, 4 etc.
(4) Gen. 1, 31.
(5) 1. q. 20, a. 2
(6) Q. 19, a. 4.
(7) V. Tournely, q. 17, a 3, concl. 2.

Digitized by Google

bilibus Deus non cognoscit nisi omnipotentiam suam, et vires a se creatas, et sic certe vult et amat tum omnipotentiam suam, tum vires a se creaturis inditas, tum leges a se latas, tum finem hominibus a se praefixum; mere possibilia autem, quae omnino nihil sunt, sicut non cognosci, ita nec amari possunt (1).

Not. 2. Quaeri hic etiam solet, an Deus velit etiam *mala?* - Ad hanc autem quaestionem solvendam distingui debent mala *physica*, et mala *moralia*. Mala physica, qualia sunt inordinationes naturae, morbi, mors, et aliae huius vitae miseriae et calamitates, Deum velle, S. Scriptura testatur. Dicitur enim: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit* (2). *Ego Dominus... formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum* (3). *Bona, et mala, vita, et mors, paupertas, et honestas a Deo sunt* (4). Observare autem solent Theologi, Deum haec mala non velle ut talia, seu per se et directe, sed per accidens ratione alterius: mala enim physica in se mala non sunt, sed solum eatenus, quatenus homines affligunt, mala putantur et dicuntur; istiusmodi autem afflictiones Deus vult ut bonas, seu ad bonum finem directas, scilicet vel ad iustorum probationem, vel ad impiorum punitionem. Mala vero moralia, seu peccata Deus nullatenus vult; dicitur enim, *non Deus volens iniquitatem tu es* (5). Deus autem haec mala moralia permittit, seu non vult liberas hominum voluntates ab illis per omnipotentiam suam detinere; circa quod *S. Augustinus* (6) dicit: « Deum facere bene etiam sinendo fieri, quaecunque fiunt male: non enim hoc nisi iusto iudicio sinit, et profecto bonum est, quod iustum est ». Plura hac de re in tractatu de Providentia divina dicentur.

III. *De voluntatis divinae divisionibus.*

§. 39. Sicut Deus unico et simplicissimo actu omnia intelligit, ita uno ac simplicissimo actu voluntatis, a sua natura indistincto, vult quaecunque vult. Voluntas ergo Dei non in se multiplex est, ita ut realiter dividi possit, sed divisiones ipsius solummodo petuntur ex parte obiectorum, ad quae Dei voluntas fertur; vel ex parte modi, quo circa illa versatur, vel ex parte effectuum, quos operatur. In hoc sensu intelligendus est etiam Psaltes regius, cum plurali numero *voluntates* in Deo enuntiat dicens: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius* (7), per quas varias eiusdem simplicissimae voluntatis operationes indigitat, quemadmodum idem Propheta plurali numero, propter multos ac varios effectus et misericordias et iustitias in Deo appellat, licet reipsa una sit misericordia et una iustitia. Limitata nostra ratio intelligere nequit, quomodo Deus omnia uno et simplicissimo actu velit: ideo voluntatem divinam sub vario respectu consideramus et dividimus, ut de ipsa facilius disserere possimus. Divisiones autem divinae voluntatis, in scholis usitatae, sunt sequentes:

I. Prima divisio divinae voluntatis ex obiecto petitur, ad quod fertur. Distinguitur enim voluntas divina in *necessariam*, qua Deus seipsum (ens necessarium) amat, et in *liberam*, qua vult res alias (entia contingentia). Non autem voluntas, qua Deus seipsum amat, sic necessaria dicitur, ac si Deus a lege, aut causa aliqua

(1) Cf. § 31 (2) Amos 3, 6. (3) Isa. 45, 7. (4) Eccli. 11, 14.

(5) Ps. 5, 5. (6) In Enchir. c. 95. (7) Ps 110, 2.

priori, vel superiori ad illud necessitaretur, cum Deo nihil sit prius vel superius: sed voluntatem istam necessariam dicimus, quia nos necessario hanc divinae essentiae attribuimus, cum ens perfectissimum non aliter quam seipsum amans concipere possimus.

II. Voluntas divina dividitur etiam in *antecedentem*, et *consequentem*. Huius divisionis primum meminit S. *Chrysostomus*, (1) sub nomine primariae et secundariae voluntatis; deinde *Damascenus* (2), sub nomine proprio voluntatis antecedentis et consequentis; et post ipsum S. *Thomas* (3); ac demum Theologi omnes. Voluntas antecedens dicitur, quatenus fertur in obiectum secundum se consideratum, et praecisum a circumstantiis; consequens, quatenus fertur in obiectum omnibus suis circumstantiis vestitum. Sic Deus voluntate antecedenti vult omnes homines salvos fieri, et voluntate consequenti vult illos damnare, qui in peccato suo impoenitentes moriuntur. Haec duplex voluntas etiam in hominibus secerni potest: sic iudex voluntate antecedente vult omnem hominem vivere et felicem esse, et tamen voluntate consequenti vult homicidam suspendi: item mercator voluntate antecedente vult merces suas conservare, et voluntate consequente vult furente tempestate in mare proiicere merces suas. Dum autem in Deo haec duplex voluntas distinguitur, recte observat S. *Thomas* (4) quod haec « distinctio non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinae, in qua nihil est prius vel posterius, sed ex parte volitorum. » Deus enim uno et simplicissimo actu vult bonum: bonum autem est, hominem, attenta eius natura et considerato eius fine, salvari; sed bonum et iustum etiam est, peccatorem impoenitentem puniri (5).

III. Voluntas Dei etiam distinguitur in *absolutam*, qua Deus aliquid sine ulla conditione faciendum decernit et in *conditionatam*, qua aliquid, posita quadam conditione, faciendum decernit. Sic, e. g., absoluta fuit Dei voluntas creandi mundum; conditionata fuit Dei voluntas Israëlitas protegendi et felices reddendi, si mandata divina observarent: talis est etiam voluntas Dei salvandi homines, qua de re dicit *S. Thomas* (6): « Voluntatem antecedentem posse dici conditionatam, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinae, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quae exiguntur ad rectum ordinem ad salutem. »

IV. Divina voluntas dicitur *efficax*, quae cum effectu coniungitur, et *inefficax*, quae cum effectu coniuncta non est. Absoluta Dei voluntas semper est efficax, et de hac loquitur S. Scriptura, dum Deus dicit: *Omnis voluntas mea fiet*(7), et: *Num Dei possumus resistere voluntati* (8)? Conditionata vero voluntas, posita conditione, est efficax, non posita autem conditione, manet inefficax: de hac intelligenda sunt eloquia divina: *Mundare te volui, et non es mundata* (9). *Ierusalem... quoties volui congregare filios tuos... et noluisti*(10)? *Vos semper Spiritui sancto resistitis* (11). Cum autem quaedam voluntas Dei inefficax dicitur, nullatenus putandum est, ex defectu omnipotentiae divinae fieri, ut non sequatur effectus: sed hoc ideo contingit, quia Deus ipse non

(1) Hom. 1 in Ep. ad Ephes.
(2) L. 1 de Fide, c. 29.
(3) 1, q. 19, a. 6, ad 1, et alibi.
(4) 1, q. 19, a. 6, ad 1.

(5) Cf. l. 1 Sent. dist. 46, q. 1, art. 1.
(6) L. c. ad 2. (7) Isa. 46, 10.
(8) Gen. 50, 19. (9) Ezech. 24, 13.
(10) Matth. 23, 37. (11) Act. 7, 51.

absolute, sed conditionate effectum vult, ita, ut non posita conditione ipsemet effectum producere nolit.

V. Theologi distinguunt etiam voluntatem *beneplaciti*, et voluntatem *signi*. Voluntas beneplaciti est ipse actus divinae voluntatis, seu interna Dei volitio, unde est proprie et formaliter in Deo. Voluntas signi ea dicitur, qua Deus exteriori aliquo signo se aliquid velle declarat: haec igitur est aliquid exterius, quod solet inter nos esse signum, quod volumus aliquid; unde, quatenus est signum externum, non est in Deo, cum sit eius effectus, nec nisi metaphorice dicitur voluntas, sumpto signo, seu effectu voluntatis pro ipsa voluntate, eo fere modo, quo testamentum, quod est signum ultimae hominis voluntatis vocatur ultima hominis voluntas: sic ergo quando Deus ponit aliquid exterius, quod a nobis volentibus poni solet, puta praeceptum (dum enim aliquid praecipimus, signum est, quod id fieri volumus), istud exterius dicitur voluntas signi in Deo, sumpto signo pro ipsa voluntate significata. — Quinque communiter assignantur signa voluntatis divinae, nimirum *praeceptum*, *prohibitio*, *consilium*, *permissio, et operatio*, hoc versu comprehensa « *Praecipit*, *ac prohibet*, *permittit, consulit, implet.* » His enim quinque modis solemus significare, nos aliquid interius velle. Quando enim operamur aliquid, signum est manifestum, nos velle illud: item quando praecipimus, aut consulimus aliquid alteri, signum est nos illud velle ab hoc fieri; dum autem prohibemus, signum est nos velle id ab ipso non fieri; tandem quando permittimus aliquid a subdito nostro fieri, signum est, nos illud impedire nolle. — His quinque modis nonnulli cum *Estio* addunt sextum, quem appellant modum *praeparationis*: nempe ut voluntate praeparationis id velle dicatur Deus, quod etsi secundum se nec velit, nec faciat. aut facturus sit; vult tamen secundum causam praeviam et praeparantem, quia nimirum huiusmodi praeparatio soleat in nobis signum esse, quod eam rem facere velimus, e. g., qui minatur alicui mortem, aut gladium stringit in aliquem, dicitur eum velle occidere. Iste modus, qui *Honorato Tournely* levissimi momenti esse videtur, ab aliis maxime proficuus iudicatur ad varia S. Scripturae loca explicanda. Sic dicitur *Dominus voluisse occidere Moysen* (1), et alibi legitur *voluisse disperdere populum suum*, quod videlicet ea dixerit, aut fecerit, quae huiusmodi actionum causae, et praeparationes esse solent, etiamsi effectus non sequeretur. Sic enim Moyses ait ad populum: *Et iratus* Dominus *delere te voluit.... Timui...* iram *illius qua adversum vos concitatus*, *delere vos voluit* (2). Adversus Aaron quoque vehementer iratus voluit eum conterere: haec enim omnia de voluntate praeparationis intelligenda esse perspicuum est, quatenus comminatio, praeparatio quaedam est ad rem comminatam. — Observant etiam Theologi cum *S. Thoma* (3), quod quaedam voluntas signi nunquam incidit cum voluntate beneplaciti, sicut permissio, qua permittit mala fieri, nunquam enim Deus vult mala fieri; quaedam semper in idem incidit, sicut operatio; quaedam vero quandoque incidit, quandoque non, sicut praeceptum, prohibitio et consilium. Ipsa S. Scriptura exempla refert, in quibus alia fuit voluntas signi, alia voluntas beneplaciti: sic voluntate signi Deus praecepit Abraha-

(1) Ex. 4. (2) Deut. 9, 8 et 19.

(3) 1, q. 19, art. 12.

mo, ut immolet Isaacum, voluntate beneplaciti voluit, ut eius vita servaretur: voluntate signi urbs Ninive evertenda, voluntate beneplaciti conservanda erat. Nullatenus autem putandum est, quod hic contradictio, aut mendacium occurrat, quod Deo ipsi adscribendum sit. Nam, ut egregie observat *Thomas ex Charmes* (1), « voluntas signi semper significat aliquam voluntatem beneplaciti, sed non semper eam, quae prima fronte intellectui humano occurrit: » sic quando Deus praecepit Abrahamo, ut immolaret filium suum, vere et interne voluit, ut Abraham erga divinum mandatum promptam obedientiam ostenderet, quamvis ipsam immolationem Deus recusaret. Ita pariter cum Deus permittit peccata, vere et interne vult, ut homo non agat coacte, sed non vult, ut peccatum perpetret, quod alio signo prohibet. Deus etiam vere et interne vult ut ipsius mandata serventur, nam ideo etiam operatur, illa hominibus promulgando, sed non vult, ut eorundem observantia pathologico, seu necessario modo contingat. Ante oculos etiam habenda est distinctio in voluntatem absolutam et conditionatam; hanc enim saepe Deus manifestat, ostendens quid, posita quadam conditione, futurum esset; sic intelligenda est praedictio Ninivitarum ruinae, quae posita horum impoenitentia secuta fuisset. Denique animadvertendum est, Deum in S. Scriptura saepe loqui modo hominibus consueto: isti autem hincinde grave praeceptum imponunt, non tam ut impleatur, quam ut obedientia probetur, qua cognita illud revocant: simili modo verbis, aut signis graves poenas minantur, non ut eas infligant, sed ut subditos a malo deterreant: in neutro autem casu mentiri dicuntur, quoniam omnibus notum est, qua ratione talis loquendi et agendi modus intelligendus sit. Eodem modo Deus de contradictione, aut mendacio argui non potest, dum ad captum humanum humano modo loquitur, seu « metaphoricè, ut ait *S. Thomas* (2), significat, se velle id quod non vult voluntate proprie accepta; » secus omnia quae metaphorice dicta in S. Scriptura occurrunt, mendacia essent dicenda.

Nota. Divisiones hic expositas cognoscere oportet, ut ea, quae Theologi de divinae voluntatis decretis disserunt, intelligi queant. Non autem de istis divisionibus iusto magnificentius sentiendum, neque putandum est, per illas divinae voluntatis decreta penitus comprehendi et explicari posse. Infinite enim distat voluntas divina a voluntate humana, a cuius tamen operandi modo pleraeque divisiones desumptae sunt: Imo voluntas divina est ipsa essentia Dei, quae a nobis comprehendi nequit. Irrefragabile ergo manet dictum Apostoli: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit* (3)?—Firmiter idcirco insistendum est certis veritatibus, quas nobis Deus per sanam rationem, et multo magis per supernaturalem Revelationem manifestare dignatur, quamvis earundem intrinsecum nexum non perspiciamus, quem hincinde theologica systemata, et multiplices distinctiones non tam solvere, quam magis implicare videntur. De praefatis divisionibus *Antonius Genuensis* (4) scribit: « Divinae voluntati, in qua nec antecedens est, nec conse-

(1) T. 1, diss. 4. c. 2. q. 6. art. 2.
(2) L. c.
(3) Rom. 11, 33-34.
(4) Elem. th. dogmat. p. 141.

quens, aptari nullo modo possunt; quocirca cum de his et similibus rebus disseritur, praestat credere, et fateri ignorantiam, quam vacuis huiusmodi vocabulis videri velle intelligere, quod non intelligitur, nec intelligi ab ullo potest. » Observat deinde, quod Theologi in allatis divisionibus « praesidium aliquod inesse putabant ad explicandas difficultates providentiae, praedestinationis, reprobationis et gratiae Dei, » — et tandem subiungit: « Fatendum potius est; mentem humanam nec debere, nec posse arcana isthaec investigare, quae nobis credenda tantum Deus praecepit » (1).

IV. *De divinae voluntatis affectibus.*

§ 40. Inter affectus humanae voluntatis alii imperfectionem in se, ac ratione sui involvunt, uti ira, desiderium, dolor, desperatio etc., alii in se, ac intrinsece non sunt imperfecti, e. g. amor boni, gaudium de bono, etc. Prioris generis affectus voluntati divinae adscribi nullatenus possunt, quia a Deo ente perfectissimo vel ipsa imperfectionis umbra removenda est. Posterioris generis affectus de Deo praedicari possunt, quamvis non eo modo, quo nobis insunt; nam istiusmodi affectus, quos in nobis experimur, sunt motus non solum appetitus intellectivi, seu voluntatis, sed etiam appetitus sensitivi, et prout sunt appetitus sensitivi habent semper coniunctam aliquam transmutationem corporis, et maxime circa cor, quod est primum principium motus in animali, et in quantum huiusmodi, sunt *passiones*, quae certe Deo, corporis experti et spiritui perfectissimo, inesse non possunt, ut docet *S. Thomas* (2). Egregie hoc idem affirmat *S. Augustinus* (3), qui Deum alloquens inquit: « Amas nec aestuas; zelas et securus es; poenitet te et non doles; irasceris et tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium; recipis quod inveuis, et nunquam amisisti; nunquam inops et gaudes lucris; nunquam avarus et usuras exigis. » Et rursus (4) dicit: « Intelligimus Deum quantum possumus sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem.... sine ulla sui mutatione mutabilia facientem nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest omnimodo invenire quid sit, pie tamen cavet, quantum potest, aliquid de eo sentire, quod non sit. » In Deo ergo tales affectus, quales nobis hominibus insunt, cogitari non possunt, sed affectus in Deo non sunt nisi simplicissimus et immutabilis divinae voluntatis actus. Quapropter cum aliquos affectus nostris in speciem similes S. Scriptura Deo tribuere videtur, vel metaphorice dumtaxat, improprie, et quoad effectum intelligendi sunt illi, vel si etiam quoad affectum, ab ipsis prorsus omnes creatae imperfectiones animo sunt detrahendae. Ideo autem S. Scriptura, se ad captum nostrum demittens, Deo sicut membra corporea, ita varios affectus humanos adscribit, ut divinae voluntatis operationes facilius intelligere possimus. Clarius id patebit, si affectus, qui Deo tribui solent, in specie considerentur.

I. *Amorem* Deo vere et proprie inesse, nemo dubitat; Deus enim infinite amat seipsum; ens enim perfectissimum non aliter, quam seipsum perfectissime amans a nobis concipi potest: amor autem sui ipsius in Deo est simplicissimus et immutabilis actus, vi cuius Deus de infinita sua perfectione sibi complacet et infinite laetatur: et quia omnia, quae sunt

(1) Cf. Wiest, § 73 (2) I, q. 20, a. 1 ad 1.

(3) L. 1 Conf. c. 4. (4) L. 1 de Trinit. c. 5.

in Deo, ipsam Divinam essentiam constituunt, amor in Deo ipsa voluntas Dei, seu essentia divina recte nuncupatur; quapropter dicitur: *Deus charitas est* (1). — Deus etiam amat creaturas (§ 38, n. 2): divinus autem creaturarum amor non in sensibili affectione, vel inclinatione, sed in simplicissimo actu consistit, quo Deus in creaturis bonum vult, et efficit, et approbat (2). Nam, ait *S. Thomas* (3), « Hoc est proprie amare aliquem, velle ei bonum. » Propter summam autem divinae voluntatis efficaciam in Deo velle alicui bonum, et efficere bonum idem est; unde *S. Thomas* (4) dicit: « amor Dei est infundens et creans bonitatem in rebus. » Ideo etiam Deus magis vel minus amare dicitur, quo maiora vel minora bona creaturis confert. Clare id angelicus Doctor exponit (5), qui ad quaestionem: « Utrum Deus aequaliter diligat omnia? - Respondeo, ait, dicendum; quod cum amare sit velle bonum alicui, *duplici* ratione potest aliquid magis, vel minus amari; *uno modo* ex parte ipsius actus voluntatis, qui est magis, vel minus intensus: *et sic Deus non magis quaedam aliis amat*, quia omnia amat uno et simplici actu voluntatis, et semper eodem modo se habente; *alio modo* ex parte ipsius boni, quod aliquis vult amato; et sic dicimus aliquem magis alio amare cui volumus maius bonum, quamvis non magis intensa voluntate: *et hoc modo necesse est dicere, quod Deus quaedam aliis magis amat:* cum enim amor Dei sit causa bonitatis rerum, ut dictum est (6), non esset aliquid alio melius, si Deus non vellet uni maius bonum, quam alteri. » In eodem sensu dicit *S. Augustinus* (7): « Omnia diligit Deus quae fecit, et interea magis diligit creaturas rationales, et in illis eas amplius, quae sunt membra Unigeniti sui, et multo magis ipsum Unigenitum suum. » Christus quoque maximum Dei amorem ex maximo hominibus collato bono repetit, dicens, *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (8). Ex dictis iam patet, amorem Dei erga creaturas coincidere cum bonitate Dei externa, de qua infra.

2. *Odium* frequenter in S. Scriptura Deo adscribitur; dicitur enim et peccata, et peccatores odisse: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem* (9). *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem* (10). *Similiter odio sunt Deo impius, et impietas eius* (11). Ut autem Theologi ostendant, quomodo odium in Deo sit concipiendum, duplex odium, quod hominibus inesse solet, distinguunt, nimirum odium *abominationis*, quo quidpiam detestamur tanquam malum, et odium *inimicitiae*, quo volumus alicui malum ut ipsi malum. Hoc posito aiunt, odium abominationis proprie esse in Deo, quia peccatum ei vere displicet, et ipse illud tanquam simpliciter malum detestatur; — sed odium inimicitiae non esse proprie in Deo, sed metaphorice tantum, quia Deus peccatori non vult malum, ut ipsi malum, sed ut iustum; nam Deus puniens *non laetatur in perditione vivorum* (12), sed in sua iustitia, quia *iustus Dominus et iustitias dilexit* (13): sicut iustus iudex capite plectens homicidam, id non facit ex odio in ipsum, sed ex ordinato amore, quo magis diligit bonum publicum, quam privatum huius homicidae (14). — Notan-

(1) I Io. 4, 16. (2) Gen. 1, 31. (3) I, q. 20, a. 1, ad 3. (4) Ib. a. 2 in 0. (5) Ibid. a. 3 in 0. (6) Art. praec. (7) Ap. S. Th. l. c. (8) Io. 3, 16.

(9) Ps. 5, 7. (10) Ps. 44, 8. (11) Sap. 14, 9. (12) Sap. 1. (13) Ps. 10. (14) Billuart Diss. 8, a. 6. Tournely, Quaest. 18, Wiest § 140.

dum vero est, quod odium abominationis in Deo non sit passio, seu sensibilis aversatio mali, sed per illud intelligitur ipsa voluntas Dei, quae malum morale nec vult, nec efficit, nec approbat, sed prohibet: negative ergo potius in Deo odium est concipiendum, sicuti ipsum malum morale, seu peccatum in boni privatione consistit, quapropter *S. Thomas* (1) docet, actus odii formaliter et proprie in Deo non esse. — In S. Scriptura equidem Deus etiam ipsos peccatores odisse dicitur; sed per hoc non intelligitur odium inimicitiae, sed ipsa voluntas Dei, quae illis, qui a lege aberrant, bona negat, vel subtrahit, seu poenas infligit. — Sicuti enim Deus amare dicitur, dum bona vult et confert, ita odisse dicitur, dum bona negat, vel subtrahit. Sic intelligi potest, quomodo Deus eosdem peccatores simul odisse et diligere dicatur; quoniam his quaedam bona negat et subtrahit, quaedam vero concedit. Egregie idcirco *S. Augustinus* (2) in illa verba, *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem*, scribit: « Deus miro et divino modo et quando nos oderat, diligebat: oderat enim nos, quales ipse non fecerat; et quia iniquitas nostra opus eius non ex omni parte consumpserat, novit simul in unoquoque nostrum et odisse, quod feceramus, et amare, quod fecerat. » In eundem Psalmistae locum *S. Thomas* (3) dicit: « Nihil prohibet, unum et idem secundum aliquid amari, et secundum aliquid odio haberi. Deus autem peccatores in quantum sunt naturae quaedam, amat: sic enim et sunt, et ab ipso sunt. In quantum vero peccatores sunt, non sunt, sed ab esse deficiunt; et hoc in eis a Deo non est: unde secundum hoc ab ipso odio habentur. » — Ex dictis etiam sequitur, quod sicut Deus magis, vel minus amare dicitur, quo maiora, vel minora bona confert, sic etiam eo magis, vel minus odisse dicitur, quo maiora, vel minora bona negat, aut subtrahit, seu quo maiores, vel minores poenas infligit.

3. *Desiderium*, *spes*, et *desperatio* Deo nullatenus inesse possunt. Desiderium enim est rei absentis et non possessae: at Deus omnia possidet, et nulla prorsus re indiget; ergo non est, quod desideret: si quando vero in Scripturis desiderare aliquid videtur, desiderium illud nos respicit, seu pro captu nostro ipsam divinam voluntatem significat, quatenus bonum nostrum, nostramque salutem vult, et quantum in se est procurat. Pariter spes et desperatio cadere in Deum non possunt: tum quia spes versatur circa bonum absens et arduum; at nullum bonum a Deo absens est, quia omnia in se continet; nullum ipsi arduum et difficile, qui omnia potest: tum quia, qui sperat, debet agnoscere aliquem quasi superiorem et potentiorem, qui possit praestare id, quod speratur: Deus autem superiorem non habet (4).

4. Neque *timor*, neque *tristitia*, neque *ira*, neque *poenitentia* proprie sunt in Deo, quia omnes isti affectus imperfectiones in se continent, ab Ente perfectissimo prorsus alienas. Timor enim respicit malum proprium imminens; tristitia vero est de malo praesenti, vel praeterito: Deo autem nullum omnino potest accidere malum. Dum ergo Apostolus dicit: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei* (5), improprie pro captu humano loquitur, monens fideles, ne talia agant, per quae Spiritus Sancti gratiae amittantur, quoniam homines illis, a

(1) 1. c. Gent. c. 96. (2) Tract. 110 in Io.
(3) 1. q. 20, a. 2, ad 4

(4) Tournely l. c. (5) Ephes. 4, 30.

Digitized by Google

quibus contristantur, beneficia sua subtrahere solent. — Ira pariter et furor Deo proprie tribui non possunt: ira enim est appetitus vindictae cum spe ulciscendi ex tristitia procedens, sed tristitia, sicut et dolor, Deo repugnat, qui perfecte beatus est. Unde *S. Thomas* (1) ait: « Ira a Deo longe est secundum rationem suae speciei, non solum quia affectus tristitiae est, sed etiam, quia est appetitus vindictae propter tristitiam ex iniuria allata conceptam. » Cum ergo in S. Scripturis Deus dicitur irasci, in furore corripere etc., haec non in sensu proprio, seu quoad affectum, sed in sensu improprio, vel metaphorico, seu quoad effectus accipienda sunt: ideo *S. Augustinus* (2) inquit: « Cum Deus irasci dicitur, non eius significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis; sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta eius, quae non nisi iusta est, irae nomen accepit: » vel per iram Dei ipsa divina voluntas puniendi peccata intelligi potest, quae si valde graves poenas decernat, metaphorice furor appellatur, quia homines, furore abrepti, gravia mala inferre solent. Similiter poenitentia dolorem quemdam importat, ac consilii, seu voluntatis mutationem, cuius omnino Deus incapax est, adeoque poenitentia ipsius figurate, metaphorice, et quoad effectum exteriorem, quo id, quod Deus fecit, iterum immutatur, seu destruitur, intelligi debet, nullatenus vero, ac proprio sensu (Cf. § 26 Resp. ad Obi. 5).

5. *Zelotypia* est metus, quo metuimus, ne bona, quae possidemus, nobis eripiantur. Cum Deo omnipotenti nemo quidquam rapere possit praeter honorem ei debitum, zelotypia Dei proprie significat voluntatem divinam (ab omni metu et passione prorsus remotam) nemini gloriam, seu honorem suum dandi, et eandem invadentes severe puniendi, prout docet S. Scriptura: ***Ego Dominus... Gloriam meam alteri non dabo*** (3); et: ***Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios*** etc. (4). (***Wiest*** l. c.).

6. *Gaudium* Deo perfectissimum et infinitum competit, quia de perfectionibus et operibus suis ineffabili modo laetatur, ex quo immensa beatitudo exurgit, de qua inferius agendum erit.

Nota a) Sapientissime monet *S. Augustinus*, ad voluntatem divinam recte cognoscendam maxime necessarium esse, ut per sanctum amorem cum illa coniungamur; ait enim (5): « Si voluntatem Dei nosse quis desiderat, fiat amicus Deo. Quia si voluntatem hominis quisquam nosse vellet, cuius amicus non esset, omnes eius impudentiam et stultitiam deriderent: non autem quisquam efficitur Dei amicus, nisi purgatissimis moribus, et illo fine praecepti, de quo Apostolus dicit: ***Finis praecepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta*** (6). » — *b*) Ut simus perfecti, sicut Pater noster coelestis perfectus est, voluntatem divinam imitari debemus. Itaque sicut Deus primario se, ceu bonum summum et infinitum, vult et amat, et secundario creaturas, et has tantum propter semetipsum (7); sic etiam nos primario, et super omnia Deum, secundario vero, et quidem propter Deum creaturas, ac imprimis homines diligere debemus, sicut a Christo praeceptum est nobis (8).

(1) L. 1 c. Gent. c. 89. (2) Enchir. c. 33.
(3) Is. 42, 8. (4) Ex. 20, 5.
(5) De Gen. c. Manich. l. 1, c. 2.

(6) 1 Tim. 1, 5 (7) Prov. 16, 4.
(8) Matth. 22, 37 etc.

ARTICULUS VIII.

De libertate voluntatis divinae.

§ 41. 1. Voluntas Dei una et simplicissima est, et, prout ait *S. Thomas* (1), « uno et eodem actu vult se et alia. » Nos autem ratione obiecti voluntatem Dei dividimus in *necessariam*, et *liberam* (§ 39 n. 1); non possumus enim ens perfectissimum aliter concipere nisi seipsum volens et amans, et ideo hanc voluntatem necessariam nuncupamus, quamvis etiam ista ab omni priori lege, causa et conditione penitus immunis, et sicut ipsa essentia divina omnino independens sit (§ 6). Ens autem perfectissimum, quod nulla re indiget et sibi sufficientissimum est, etiam sine creaturis concipere possumus, quarum existentia a sola ipsius voluntate dependet, quapropter hanc voluntatem divinam, quae creaturas vult et efficit, liberam dicimus, et de hac iuxta nostrum concipiendi modum in isto articulo sermo est instituendus.

2. Quid sit libertas, facilius sentimus, quam verbis enuntiamus. Philosophi et Theologi vario modo libertatem definiunt. Optime procedere videntur, qui ad rectam libertatis notionem statuendam ad oppositum recurrunt. Opponitur autem libertati necessitas, tum externa, seu coactio, quae oritur ex vi physica, cui quis resistere nequit; tum interna, seu simplex naturae necessitas, quae oritur ab intrinseco principio, quo fit, ut agens non pro arbitrio, aliquid eligere, vel respuere possit. Ut actus vere liber sit, oportet, ut tum ab externa coactione, tum a simplici naturae necessitate immunis sit; atque ideo perfecta libertas omni iure dicitur immunitas ab externa coactione, et a simplici naturae necessitate, et haec *libertas indifferentiae* seu *arbitrii* nominari solet. Hanc nobis inesse, sensus intimus testatur; et cum in illa magnam naturae perfectionem agnoscamus, eandem multo magis enti perfectissimo, et omnium honorum auctori attribuendam censemus.

3. Cum a cognita nostra libertate ad contemplandam divinam libertatem adscendimus, caute *discrimina* attendere debemus, quae hanc ab illa secernunt. Nam *a*) humana libertas admodum limitata est; non potest enim homo omnia, quae vult perficere, quia frequentissime ad hoc vires ipsi desunt; limites autem virium sunt etiam limites exercitii libertatis: divina autem libertas tales limites nescit, quia Deus omnia potest, nec quidquam eius voluntati resistere valet. *b*) Humana libertas a bono deficere, et malum eligere, seu peccare potest; divina autem libertas, utpote infinite perfecta, a bono deficere, vel malum eligere, aut peccare non potest; « Deus enim, ait *S. Augustinus* (2), omnino peccare non potest, sicut negare seipsum non potest: homo autem potest peccare et Deum negare. » Nullatenus autem putandum est, hac ratione latius patere libertatem humanam, quam divinam; sicuti enim falsum cognoscere, seu errare posse non est perfectio, sed defectio intellectus humani, ita malum velle, seu peccare posse non est perfectio, sed defectio voluntatis humanae: a voluntate autem perfectissima omnis defectus procul est removendus, quo remoto, libertas perfectissima affirmatur. *c*) Homo ita se liberum sentit, ut actum vel ponere vel non ponere, et inter bonum et bonum eligere possit; ideo volitionem ipsam deliberatio, seu consultatio praecedere solet, et hincinde homo perplexus haeret, nesciens, an

(1) L. 1 c. Gent. c. 82.

(2) L. 22 c. Faust. c. 22.

in hanc, vel illam partem deflectendum sit. Sed haec perplexitas nullatenus necessario, seu essentialiter libertatem sequitur, quia etiam homo ea, quae evidenter optima cognoscit, sine longa deliberatione, et absque perplexitate libere decernit. Perplexitas ergo solum oritur ex infirmitate ingenii humani, quod non semper satis clare rationes perspicit, quas sequi praestat. — Cum autem Deus omniscius sit, et per intellectum infinitum simplicissimo actu omnia cognoscat, evidenter patet, Deum consultatione non indigere, et perplexitate implicari non posse. — Neque Deo tribuere possumus libertatem indifferentiae, seu arbitrii in hoc sensu, ac si adinstar hominum inter bonum et bonum eligat; non enim Deus, ut homines, extra, aut prius se bonum videt, ad quod ipsius voluntas inclinetur; nam, ait *S. Augustinus* (1), « Omnia bona a Deo bono, non a se. » Cum ergo Dei voluntas respectu creaturarum non appetat bonum, quod iam adest, sed omne bonum volendo efficiat, ita ut nihil boni sit, priusquam Deus illud velit; clare patet, in Deo electionem, qualis inter homines est, cogitari non posse. Ideo *S. Damascenus* (2) in Deo agnoscit liberum actum volendi, non tamen « electionem proprie sumptam, quoniam Deus non consultat. Est enim ignorantiae proprium consultare: quod si ignorantiae est consilium, erit etiam electio. Itaque Deus, qui simpliciter omnia novit, non consultat. » *d*) Exinde apparet summa libertatis divinae perfectio: voluntas enim nostra per bonum propositum et iam existens movetur, atque ideo ab hoc libertas nostra aliquo modo dependeus dici debet: Dei autem voluntas a nullo bono, extra se existenti, movetur, sed omnino independens omnis boni causa est. Etiam *S. Thomas* clare docet, non posse extra Deum motivum statui, quod moveat voluntatem divinam; ait enim (3): « Cum Deus alia a se non velit nisi propter finem, qui est sua bonitas, ut dictum est (4), non sequitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem eius, nisi bonitas sua. Et sic, sicut alia a se intelligit intelligendo essentiam suam, — ita alia a se vult volendo bonitatem suam » (5).

4. Voluntatem divinam perfectissima libertate gaudere

PROB. 1° *Ex S. Scriptura*, quae tum productionem totius Universi, tum gubernationem mundi physici pariter ac moralis a libero voluntatis divinae decreto repetit. Nam dicitur: ***Omnia, quaecumque voluit, Dominus fecit in coelo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis*** (6). Daniel admirans sempiternam Dei potestatem ac dominationem ait: *Iuxta voluntatem suam facit tam in virtutibus coeli, quam in habitatoribus terrae: et non est, qui resistat manui eius, et dicat ei: Quare fecisti* (7)? — Christus de supernaturali revelatione loquens, inquit: *Confiteor tibi Pater,... quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (8). Sub imagine patrisfamilias, operarios remunerantis inducitur Deus dicens: *Volo et huic novissimo dare, sicut et tibi. Aut non licet mihi quod volo facere* (9)? Paulus de Deo dicit: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae* (10): et: *Haec omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (11): in quae verba ita commentatur *S. Am-*

(1) Serm. 29. (2) L. 2 de orth. fid. c. 22.
(3) 1 q. 19 art. 2 ad 2. (4) Ad praec.
(5) Cf. Staudenm. § 68. n. 2.

(6) Ps. 134, 6. (7) Dan. 4, 32.
(8) Matth. 11, 25. (9) Matth. 20, 14-15.
(10) Eph. 1, 11. (11) 1 Cor. 12, 11.

Digitized by Google

brosius (1), « *prout vult*, id est, pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. »

PROB. 2° *Ex Ss. Patribus*, qui passim Deo libertatem adscribunt. Sic *Tertullianus* (2) ait: « Libertas, non necessitas competit Deo. » *S. Irenaeus* (3) inquit: « Non decet eum, qui super omnia Deus, cum sit liber, et suae potestatis, necessitati serviisse dicere, ut sit aliquid secundum concessionem praeter sententiam eius, alioquin necessitatem maiorem et dominationem facerent quam Deus, quando id, quod magis potest, antiquius est omnibus. » *Titus Bostrensis* (4) scribit: « Hominem Deus honoravit fabricans eum ad imaginem suam, ut sicut ipse libertate naturae bonus est, sic homo libertate propositi imitator Dei esset, non abstinens a peccato, quia desit naturae ipsi potestas; sed libertate propositi virtutem honorans. » *S. Hieronymus* (5) docet, hominem libertate donatum fuisse, ut sit imago Dei, ac dein addit: « Quod si talis fuisset, qui bonum non voluntate, sed necessitate perficeret, non esset Deo similis, qui ideo bonus est, quia vult, non quia cogitur. » *S. Augustinus* (6) inquit: « sola bonitate et liberrima voluntate fecit Deus, quidquid fecit. »

PROB. 3° *Ex ratione a*) Cuique persuasum est, libertatem magnam esse naturae intellectualis perfectionem; libertas ergo enti perfectissimo et omnium bonorum auctori denegari non potest. *b*) Libertas est immunitas a coactione, et ab intrinseco principio necessitante: in Deo autem, Ente supremo, independenti et omnipotenti, coactio locum habere nequit: neque in Deo, Ente simplicissimo principium internum, quod impellit, et potentia, quae impellitur, distingui possunt, cum voluntas divina sit ipsa essentia, et in purissimo actu consistat. Si ergo Deus vult bonitatem suam diffundere, et gloriam suam manifestare, haec ipsa volitio liberrima, ab omni priori lege, vel causa, principio, vel motivo omnino independens est; Deus enim nulla re eget, sed in se beatissimus est. Ideo *S. Augustinus* (7) inquit: « Non omnia quae fecit coactus est facere, sed omnia quaecumque voluit facere, fecit; causa omnium, quae fecit, voluntas eius est. Facis tu domum, quia si nolles facere, sine habitatione maneres; necessitas te cogit facere domum, non libera voluntas. Deus bonitate fecit, nullo, quod fecit, eguit: ideo *omnia, quaecunque voluit fecit.* » *c*) Nonnulli libertatem Dei ex absurdis probant, quae, illa negata, sequerentur: sic *Tournely* (8) ait: « Si ea, quae Deus efficit extra se, quadam compulsus necessitate faceret, nulla debita foret laus misericordiae, quam erga nos exercet, nulla gratiarum actio, nulla gratitudo ipsi rependenda propter beneficia ab ipso in nos derivata: nihil ab eo sperandum foret, nihilque petendum. Ad quid enim et nostrae ad eum preces, et Dei ad nos adhortationes et commonitiones, si fatali quadam necessitate bona, vel mala immitteret? » — Illa vero consectaria, quae ex negata divina voluntate sequuntur, non solum Revelationi, sed etiam communi hominum sensui repugnant (9).

Nota 1. Inter *ethnicos Philosophos et Poëtas*, teste Maximo Tyrio (10), multi divinam libertatem sustulerunt,

(1) L. 2 de Fide c. 3.
(2) Adv. Hermog. c. 16.
(3) L. 2 adv. haer. c. 5, n. 4.
(4) L. 2 c. Manich.
(5) Comment. in Ep. ad Philem. 5, 14
(6) L. 11 de Civ. D. c. 24.
(7) In Ps. 134, 6. (8) Q. 17, a. 4.
(9) Cf. Dieringer § 17, n. 3.
(10) Disp. 30, n. 179.

fabulati, Deos esse Parcis, fatoque obnoxios: eundem errorem etiam *Stoicos* propugnasse, graves scriptores ostenderunt. *Hermogenes*, ut Dei immutabilitatem defenderet, eius libertatem negavit, ut refert Tertullianus (1). — *Petrus Abaëlardus* docuit, Deum ex necessitate naturae agere, quia utpote summe bonus, nonnisi id, quod est optimum facere potest; sed a S. Bernardo, aliisque exagitatus palinodiam cecinit. Dei libertas iterum negata fuit a *Io. Wicleffo* Anglo, ut testatur Bossuetus (2); eiusdemque erroris reus agitur *Lutherus*, et praecipue *Calvinus*, ut refert Bellarminus (3). Denique *Spinozam* omnia ineluctabili necessitati subiicere, patet ex eo, quia in sua Ethica (4) adfirmat, eos qui putant, illa, quae Deus facit, fieri non potuisse, « idem esse, ac si dicerent, Deum posse efficere, ut ex natura trianguli non sequatur, aequales esse duobus rectis tres eius angulos. » Idem fere sentiunt recentiores Pantheistae, qui rationem personalitatis Deo abnegant, sine qua libertas concipi nequit.

Nota 2. Duplici modo a Philosophis libertas humana explicata fuit. Iuxta communiorem sententiam homo ita liber est, ut in libertatis exercitio haud necessario dependeat a motivis, sed positis etiam plurimis et validissimis motivis pro una parte, tamen in aliam deflectere possit. Alii autem cum *Leibnitio* et *Wolfio* docent, liberam voluntatem per rationes praevalentes, seu per motiva determinari, ita ut non possit non eligere id, pro quo agnoscit maiora motiva, seu quod optimum esse censet. Utraque sententia etiam ad explicandam libertatem divinam adplicata fuit. Alii proinde dixerunt, Deum ita liberum esse, ut nullatenus necessario sequatur maiora motiva; *Leibnitius* vero docuit, divinam voluntatem semper sequi maiora motiva, ita ut non possit non eligere id, quod optimum esse cognoscit, ex quo principio intulit, ex omnibus possibilibus mundis Deum illum elegisse et condidisse, quem optimum iudicavit. — Sed observandum est neutram sententiam apte adplicari ad divinam libertatem explicandam, quae ab humana infinite discrepat. De homine enim quaeri potest, an maiora motiva necessario sequatur, an non? — homo enim dependens est, legibus subiacet, et rationes agendi sibi praefixas habet; recte idcirco irrationabiliter, seu male agere dicitur, si quid absque motivo, — caeco modo agat, vel maiora motiva non sequatur. Aliter autem de Deo est sentiendum. Deus enim undequaque independens est, ens primum, et suprema omnium entium causa effectrix. Deus ergo legibus non subest, et motiva, seu rationes agendi ante se non habet, quas sequi teneatur. Quid enim Aeterno prius, quid Altissimo altius cogitari potest? Deus ergo alia a se non vult quia bona sunt, sed bona fiunt, quia Deus ea vult. Praeter Deum enim nihil concipi potest, nisi ea, quae ab ipso ceu prima omnium rerum causa efficiuntur: priusquam vero ab ipso efficiantur, nihil sunt, ergo etiam nihil boni sunt, et nullo modo motivum pro divina voluntate constituere possunt. Blasphemum ideo est dicere, Deum irrationabiliter, aut caeco modo agere, si non sequatur maiora motiva; Deus enim omnia independenti et simplicissimo modo per intellectum perfectissimum et perfectissimam voluntatem operatur, et ideo quaelibet

(1) L. adv. Hermog.
(2) Hist. Var. l. 11, c. 93.
(3) L. 3 de grat. et lib. arb. c. 15.
(4) P. 1, prop. 17.

Google

eius operatio a se, et per se sapientissima, atque optima est. — Alia quoque difficultas, quae propositae doctrinae opponitur, facile solvi potest. Aiunt enim: Si Deus absoluta libertate sine quocunque motivo omnia decernit, et omnia bona sunt, quia vult, poterit etiam innocentem damnare, et impium glorificare, atque id quoque bonum erit. — Absit autem, ut ex proposita doctrina tam perversa illatio fieri possit. Nam certum equidem est, Deum non a lege, vel motivo priori adactum fuisse ad iustorum remunerationem, et impiorum punitionem decernendam: sed certum pariter est ex Revelatione et ratione, uti inferius probabitur, Deum liberrima et aeterna voluntate iustorum remunerationem et impiorum punitionem decrevisse: et quia eius voluntas immutabilis est, immutabiliter etiam semper vult iustum remunerare et impium punire (1).

Nota 3. Difficillime a nobis concipitur, quomodo Deus simul liber sit et immutabilis. «Hic nodus, ait Cl. *Billuart* (2), est totius Theologiae intricatissimus, aenigma sacrum, cui plene solvendo impar est humana mens. Ecquis enim satis concipiat, quomodo stet libertas Dei cum eius immutabilitate, salvis utriusque iuribus? Vel enim actus liber potuit abesse a Deo, vel non: si primum, quomodo immutabilis? si secundum, quomodo liber? — En summa difficultatis, quae et praestantissima Theologorum ingenia torquet, et in varias opiniones abire cogit. » — *a*) Nonnulli indirecte tantum difficultatem e medio tollendam esse censent. Ex revelatione enim, et ex ratione iam satis probatum est, Deum et immutabilem et liberum esse; duas ergo veritates certissimas habemus, quarum modum intrinsecum, seu nexum perspicere non valemus: recta autem Philosophia docet, propter ignorantiam modi, seu nexus facta certa, seu veritates certas negari non posse. Tum libertatem, tum immutabilitatem Dei ergo firmiter credere debemus, quamvis horum divinorum attributorum intimam unionem imbecilli mente nostra non comprehendamus: «Nos, ait Cl. *Bossuet* (3), duo veluti unius catenae extrema manibus compreheusa tenemus, etsi omnes intermedios annulos non videamus.» *b*) Variis modis Theologi etiam directe difficultatem solvere studuerunt. Sic *Nic. Herminier* pro certo statuit, libertatem quidem, quatenus facultas activa est, perfectionem esse, et divinae essentiae attributum, ipsum tamen actum liberum, quatenus talis est, nullam perfectionem Deo addere; unde infert, potuisse in Deo non esse, quin ulla ipsi mutatio accideret; mutatio enim in eo solum posita est quod subiectum acquirat, vel deperdat aliquam perfectionem. Actum autem liberum perfectionem non esse multiplici argumento probare se posse confidit, et praecipue ex eo, quia Deus etiam sine actu, qui liber concipitur, e. g. sine voluntatis decreto mundum creandi, aut conservandi, infinite perfectus, et in se beatissimus est, et exinde concludit, Deum etiam in se immutabilem, et tamen simul liberrimum esse, quia absolute loquendo actus liber vere abesse posset. — Sed contra hoc systema Theologi varia opponunt: in illo enim libertas ut facultas activa distinguitur ab actu libero, cum tamen voluntas divina non in potentia, sed in actu consistat: nullatenus etiam admitti potest, actum liberum Dei, seu ipsum libertatis exer-

(1) Cf. Klüpfel l. 1, § 17, not. 2 et 3.
(2) Diss. 7, art. 4.
(3) Tract. de lib. arb. c. 4.

citium perfectionem non esse, cum quidquid est in Deo, summa et infinita perfectio sit: aut quis negabit, ipsam volitionem divinam creandi mundum, redimendi homines etc., summe bonam esse, et perfectionis nomine insigniri debere? — Ex his, aliisque rationibus Theologi systema istud repudiandum esse censent (1). *c*) Aliam viam ad enodandam difficultatem ingrediuntur *Thomistae*, quibus etiam adsentiunt *Berti*, *Tournely*, *Perrone* et alii. Actio Dei libera, inquiunt isti, duplici modo considerari potest, vel ut est in se, et comparatur ad Deum; et tunc nullo modo distinguitur a Deo; ac propterea necessaria est et immutabilis: secundo modo eadem actio considerari potest, ut respicit externum opus, atque ad ipsum refertur; et sub hoc veluti adspectu eadem actio Dei mutabilis est et libera, quatenus eius obiectum contingens est, mutabile et liberum. Actus itaque liber nihil omnino addit Deo intrinsecum, distinctum a necessario, sed est ipsemet actus necessarius, prout tamen creaturas connotat atque ad eas dicit habitudinem non necessariam. Quod autem idem actus et liber simul sit et necessarius, oritur ex summa et infinita Dei eminentia et simplicitate, ob quam simplicissimo modo ea in Deo inveniuntur, quae sunt divisa in creaturis (2). Sed etiam haec sententia suos adversarios habet. Cl. *Liebermann* eam recensens ait: « Credat haec, qui sibi persuadere poterit, libertatem in actu necessario reperiri, aut actus libertatem ex obiecto determinandam, non ex agentis voluntate » (3). Negari etiam non potest, primo adspectu absonam videri sententiam, quae eundem actum simul necessarium et liberum statuit. Haec vero apparens difficultas evanescit, si attenditur, voluntatem divinam, quae una et simplicissima est, solummodo ratione *obiecti* a nobis in necessariam et liberam dividi: voluntas autem, qua Deus seipsum amat, necessaria dicitur, non quasi a causa priori, aut lege superiori ad illud impellatur, sed quia in ente perfectissimo a nobis necessario concipitur: caeterum etiam haec voluntas, sicut ipsa essentia divina, omnino independens est, et qua talis nullatenus opponitur actui libero, cuius summa perfectio in omnimoda independentia consistit. *d*) Hisce addi potest, immutabilitatem per se et essentialiter libertati non opponi; nam etiam homo, qui constanter et immutabiliter bono inhaeret, non ideo a libertate sua excidit. Ex sola hominis infirmitate contingit, ut vel in bono constans non sit, vel in melius commutetur: utrumque autem in Deo locum non habere manifestum est. Putant equidem nonnulli quod saltem *posse voluntatem suam mutare* ad essentiam libertatis pertineat: sed si de humana libertate id adstruitur, aliter sentiendum est de divina. Cum enim omnia, quae Deus vult, ex hoc ipso bona, imo optima sint, in Deo posse voluntatem suam mutare idem esset ac posse deficere a bono et optimo. Sicut ergo libertas divina non obscuratur, cum dicitur, eam non posse deficere, seu non posse peccare, ita etiam libertas divina non minuitur, asserendo, voluntatem divinam mutari non posse, seu eam immutabilem esse.

Nota 1. Ad imaginem Dei conditi, etiam libero arbitrio praediti sumus. Ut autem dignae reddamur divinae libertatis imagines, nunquam in malum deflectere, sed bono constanter

(1) Cf. Tournely q. 8, p. 217 et seq.
(2) Gazzaniga diss. 6, c. 4, n. 173, etc.
(3) P. 110 ed. Mogunt.

inhaerere debemus. Qui beatum se putat, quod facultatem habeat male agendi, miser est: miserior est ac servilem agit vitam, qui male agit: nam *qui facit peccatum, servus est peccati* (1). Infelici ergo servitute premitur peccator, quamvis forte splendido insidens solio auream in capite coronam gerat; felicissima autem libertate gaudet iustus, tametsi forte ferreis sit catenis onustus (2).

ARTICULUS IX.
De Omnipotentia Dei.

§ 12. 1. Per omnipotentiam intelligitur vis agendi infinita, qua Deus omnia contingentia efficit, et etiam omnia possibilia, ad existentiam perducere valet. Haec omnipotentia limites non habet nec quoad obiectum, quia tum ad omnia contingentia, quae actu existunt, tum et ad omnia possibilia, quae existere possunt, extenditur: nec quoad modum, quia nulla materia, nulloque adiutore indiget, et sine laboris et temporis impendio omnia unico voluntatis nutu ita perficere valet, ut a nulla alia potentia hebetari, vel impediri possit.

2. Iuxta nostrum concipiendi modum omnipotentiam Dei ab eius intellectu et voluntate mentaliter, seu virtualiter distinguimus, ita ut in operationibus divinis intellectus dirigat, voluntas imperet, et potentia exequatur: ideo etiam iuxta nostrum conceptum latius patet obiectum omnipotentiae, quam voluntatis, quia, ut ait *Liebermann* (3), « Deus omnia potest, quae vult, sed non omnia vult, quae potest; potentia respicit omnia possibilia, voluntas actu efficienda. » — Sed quia omnia attributa divina realiter inter se non distinguuntur, sed sunt ipsa essentia divina simplicissima; hoc idem sicut de intellectu et voluntate Dei, ita etiam de omnipotentia divina dicendum est. Quapropter *S. Thomas* (4) ait: « Potentia non ponitur in Deo ut aliquid differens a scientia et voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, in quantum scilicet potentia importat rationem principii exequentis id, quod voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit, quae tria Deo secundum idem conveniunt; vel dicendum quod ipsa scientia, vel voluntas divina secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiae. » Et (5) inquit: « In Deo est idem potentia, et essentia, et intellectus, et voluntas. » Ideo Ss. Patres hincinde scientiam Dei ceu omnipotentem rerum omnium causam statuunt (§ 29 n. 2) et frequentius omnipotentiam in divina voluntate constituunt (6). Sic *Clemens Alex.* (7) ait: « Quanta est Dei potentia!.... sola voluntate operatur, et eius solum velle factum esse consequitur. » Etenim addit *Theodoretus* (8), « Quod caeteris artificibus est materia et instrumenta, nec non tempus et labor, et scientia et diligentia, hoc universorum Deo voluntas est. » *S. Gregorius Nyss.* (9), ait: « In natura divina cum voluntate ita concurrere potestatem, ut Dei potestatis mensura sit ipsa voluntas. » *S. Ambrosius* (10) inquit: « Voluntas Dei potestas est. » *S. Augustinus* (11) dicit: « Hanc esse voluntatem omnipotentis Dei, qui certe non ad aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest: » quae verba, ut recte observat *D. Staudenmayr* (12), non ita solum intelligenda sunt quod suppo-

(1) Io. 8, 34. (2) Cf. Friot, § 74.
(3) C. 3, § 3, obs. 2.
(4) I, q. 25, a. 1 ad 4 (5) Ib. a. 5, ad 1.
(6) V. Petav. l. 5, c. 8 (7) In Protrept.
(8) Serm. 4, c. Gent.
(9) In Hexaem. p. 6, edit. Paris.
(10) L. 5 Comment. in Luc. (11) L. 21 de civ. D. c. 7. (12) § 55 n. 7, nota 4.

sita iam omnipotentia Deo sufficit velle, et quod ideo, quaecunque vult, potest, sed per ea in velle divino ipsa omnipotentia constituitur. Hoc clare apparet ex eo, quia idem S. Doctor sententiam suam invertens, seu negative eandem proferens, ait (1): « Dixi, hoc solum omnipotentem non posse, quod non vult.... Quia non vult, non potest, quia et velle non potest.... Volens enim est Deus, quidquid est.... Si ergo potest esse, quod non vult, omnipotens non est: est autem omnipotens; ergo quidquid vult, potest. » Igitur quia omnipotentia realiter a scientia et voluntate Dei non distinguitur, non potest omnipotentiae obiectum magis extensum quam voluntati divinae assignari, sed Deus sicut omnia cognoscit et omnia potest, ita omnia vult. Omnia enim, quae a nobis sub ratione entis concipiuntur, vel in potentia, vel actu existunt: i. e. vel possibilia, vel actu existentia sunt. Deus omnia cognoscit et vult, et cognoscendo ac volendo efficit: sed alia Deus cognoscit, et vult ut actu, seu realiter existentia; alia vero Deus cognoscit et vult solum in potentia, seu ut possibilia, ubi Deus cognoscit et vult ipsam suam essentiam infinite efficacem et potentias a se creatas: et sic ipsa cognitio et volitio divina — infinite efficax — recte omnipotentia divina nuncupatur; nam ait S. *Thomas* (2). « Quandocunque actus est aliud a potentia, oportet quod actus sit nobilior potentia: sed actio Dei non est aliud ab eius potentia, sed utrumque est essentia divina» (3).

3. Obiectum divinae omnipotentiae sunt omnes res, et quidem possibiles; neque enim se extendit ad impossibilia. Caute autem hic duplicis generis impossibilia distinguere oportet: alia enim sunt *physice impossibilia*, quae vires naturae superant, et notis naturae legibus repugnant, et alia sunt *metaphysice impossibilia*, quae absolute repugnant, vel ex parte sui, vel ex parte Dei. Prioris generis impossibilia ab obiecto divinae omnipotentiae non excluduntur. Nam ea, ad quae limitatae naturae vires non sufficiunt, ab infinito naturae auctore perfici posse, qui legibus non subest, quas naturae, et non sibi imposuit, ipsa sana ratio docet, et exinde possibilitatem miraculorum probat (Theol. gen. § 65). Deum ea, quae a nobis physice impossibilia dicuntur, perficere posse S. Scriptura per facta stupenda commonstrat. Nam naturaliter ex terra non prodit corpus humanum: sed ecce *formavit Dominus Deus hominem de limo terrae* (4). Naturaliter lignum ardens comburitur: sed ecce Moyses vidit rubum ardere, et non comburi (5). Naturaliter lignum praecisum non fructificat; sed ecce virga Aaron in tabernaculo contra naturae ordinem reperitur amygdalas protulisse (6). Naturaliter una substantia in aliam converti nequit; sed ecce Christus in Cana Galilaeae aquam in vinum transmutavit (7). — Ideo Ss. Patres unanimi consensu docent, ea, quae physice impossibilia sunt, divina virtute perfici posse. Sic *S. Chrysostomus* (8) inquit: « Naturae affectionibus naturae opifex non servit, quoniam naturae necessitati non subest Deus in iis, quae efficit, cum sit naturae totius conditor: ad omnem vero mutationis speciem natura liberae voluntati facientis obsequitur. » *S. Augustinus* (9) diserte tradit, duplici

(1) Serm. 214 in tradit. Symb. 2.
(2) L. c. a. 1 ad 2.
(3) Cf. Petav. l. 5, c. 5, n. 7.
(4) Gen. 2, 7.
(5) Ex. 3, 2.
(6) Num. 17, 8
(7) Io. 2.
(8) Or. de Abrah.
(9) L. 9 de Gen. ad litt. c. 17.

by Google

modo Deum in natura operari, nimirum per vires a se rebus inditas, quae naturalem ordinem servant, et « alio modo dedit, ut hoc non haberent in motu naturali, sed in eo, quo ita creata essent, ut eorum natura voluntati potentiori amplius subiaceret. » Idem (1) loquens de multiplicatione panum ait: « Deus secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum ordinemque naturae, ut non maiora sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. » *S. Petrus Damianus* (2) scribit: « Qui naturae dedit originem, facile, cum vult, naturae tollit necessitatem. Nam qui rebus praesidet conditis, legibus non subiacet conditoris: et qui naturam condidit, naturalem ordinem ad suae deditionis arbitrium vertit: quicumque creata quaelibet dominanti naturae subesse constituit, suae dominationis imperio naturae obsequentis obedientiam reservavit » (3).

4. Quae metaphysice impossibilia sunt, seu quae absolute repugnant vel ex parte sui, vel ex parte Dei, nullatenus ad obiectum divinae omnipotentiae referri possunt: haec autem nihil ideo de infinita sua perfectione deperdit, quod facile ostendi potest. *a*) Primo enim Deus efficere non potest contradictoria, e. g. circulum quadratum, vel ut 2 et 2 sint 5, etc.: haec autem contradictoria nihil sunt, et ne concipi quidem possunt, quia ideae se invicem tollunt: contradictoria ergo efficere idem esset ac nihil efficere: ast potentia, quae nihil efficit, nulla est potentia, sed potius impotentia: nulla ergo potentia Deo denegatur, cum dicitur, ipsum contradictoria efficere non posse, verum omnis impotentia ab eo removetur. Ideo *Ugo Victorinus* (4) inquit: « Summe potens est, qui potest omne, quod possibile est, nec ideo minus potest, quia impossibilia non potest; quia impossibilia posse non esset posse, sed non posse. Itaque omnia potest Deus, quae posse potentia est; et ideo vere omnipotens est, quia impotens esse non potest. » *b*) Ex eadem ratione ad divinam omnipotentiam non spectat efficere, ut, quae facta sunt, facta non fuerint: si enim hoc efficeretur, verum esset, quod factum contigerit, et simul verum esset, quod non contigerit, et sic apertissima contradictio in qua affirmatio et negatio se invicem tollunt, ac proinde nihilum prodiret: haec porro contradictio in Deum ipsum relaberetur, qui verum negaret, et sic a veritate deficeret, atque ens in non ens convertendo, non potentiam, sed impotentiam monstraret. Egregie ideo *S. Augustinus* (5) hac de re disserens inquit: « Quisquis ita dicit: Si omnipotens est Deus, faciat, ut quae facta sunt, facta non fuerint, non videt, hoc se dicere, si omnipotens est, faciat, ut ea, quae vera sunt, falsa sint. Potest enim facere, ut aliquid non sit, quod erat; — velut cum aliquem, qui coepit esse nascendo, facit non esse moriendo. Quis autem dicat, ut id, quod iam non est (quia iam praeteriit), faciat non esse? — verum est illud fuisse; — hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati. » *c*) Deus etiam non potest velle et perficere malum morale, non potest peccare, non potest mentiri, etc. etc. Non autem ideo omnipotentiae divinae quidquam subtrahitur; malum enim morale non est

(1) Tract. 24 in Io. (2) Opusc. 36, c. 11.
(3) Cf. Petav. l. 5, c. 7, n. 12-15.

(4) L. 1 de sacr. fid. P. 1, c. 22.
(5) L. 26 c. Faust. c. 5.

nisi privatio boni; nulla est autem potentia, quae negationem, seu nihil efficit, atque ideo nulla potentia Deo denegatur, cum dicitur, eum peccare non posse. Sicuti enim errare posse non est perfectio, sed defectio intellectus, ita peccare posse non est perfectio, sed defectio voluntatis: haec ergo omnipotens est, quia deficere, seu peccare non potest. Id docet S. *Petrus Damian.* (1), dicens: « Indubitabili fide credendum est, Deum omnia posse, sive faciat, sive non faciat. Nam quod malum est, debet potius dici nihil, quam aliquid, atque ideo nihil praeiudicat, si dicamus, Deum omnia posse, licet mala omnia non possit, cum mala non intra omnia, sed extra omnia potius debeant supputari.» Idem sentit *S. Thomas*(2) asserens, « quod peccare est deficere a perfecta actione, unde posse peccare est posse deficere in agendo, quod repugnat omnipotentiae: et propter hoc Deus peccare non potest, qui est omnipotens. » *d*) Denique Deus non potest velle et perficere ea, quae naturae et perfectionibus ipsius repugnant, e. g. non potest moveri, mutari, dormire, se destruere; etc. Ast etiam exinde omnipotentia divina nullatenus restricta censenda est. Deus est enim Ens infinite perfectum: ergo quidquid naturae divinae repugnat, infinitae perfectionis defectum insinuat; ad defectum vero efficiendum nulla potentia concipi potest. Deus ergo ideo ea, quae naturae ipsius repugnant, facere non potest, quia ipsius voluntas, quae suam naturam suasque perfectiones infinite amat, omnipotens est, et deficere non potest. Idcirco S. *Ambrosius*(3) scribit: « Impossibile quid Deo? — non quod virtuti arduum, sed quod naturae eius contrarium est: impossibile istud non infirmitatis, sed virtutis et maiestatis. » Et *S. Augustinus* (4) inquit: « Potestas Dei non minuitur, cum dicitur, mori fallique non posse: sic enim hoc non potest, ut, si posset, minoris esset potestatis. Recte quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori et falli non potest. Dicitur omnipotens faciendo quod vult, non patiendo, quod non vult.» Idem clarissime exponit (5), dicens: « Deus omnipotens est, et cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, et quod ait Apostolus *negare seipsum non potest*(6). Quam multa non potest, et omnipotens est! et ideo omnipotens est, quia ista non potest. Nam si mori posset, non esset omnipotens; si mentiri, si falli, si fallere, si inique agere, non esset omnipotens. » Recte autem observat *S. Thomas* (7) quod cum de his, quae metaphysice impossibilia sunt, seu absolute repugnant ex parte sui, aut ex parte Dei sermo instituitur « convenientius dicitur, quod ea non possunt fieri, quam quod Deus ea non possit facere. »

5. Deum omnipotentem esse, est dogma catholicum: quod

Prob. 1° *ex Ss. Litteris.* Deus ipse dixit Abrahamo: *Ego Deus omnipotens* (8). In psalmis omnipotentia Dei frequenter collaudatur; dicitur: *Verbo Domini coeli firmati sunt: et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Congregans sicut in utre aquas maris: ponens in thesauris abyssos. Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoreantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata*

(1) Opusc. 36, c. 10. (2) 1. q. 25, a. 3, ad 2.
(3) L. 6, ep. 37. (4) L. 5 de Civ. Dei, c. 10.
(5) In serm. de Symbolo ad Catech. c. 1.
(6) 2 Tim. 2, 13 (7) 1, c. a. 3 in 0.
(8) Gen. 17, 1.

Digitized by Google

sunt. Dominus dissipat consilia gentium... Consilium autem Domini in aeternum manet (1). *Benedictus Dominus Deus Israël qui facit mirabilia solus* (2). In Genesi legitur: *Numquid Deo quidquam est difficile* (3)? — Iob ait ad Deum: *Scio, quia omnia potes* (4). — Mardochaeus exclamat: *Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est, qui possit tuae resistere voluntati* (5). Deus inquit: *Omnis voluntas mea fiet* (6). De divina Sapientia dicitur: *Cum sit una, omnia potest* (7); et: *Virtuti brachii tui, quis resistet?... Sed misereris omnium, quia omnia potes* (8). In N. T. eadem veritas praedicatur. Angelus ait: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum* (9). Christus dicit: *Apud Deum omnia possibilia sunt* (10). Paulus inquit: *Voluntati eius quis resistit* (11)? *Qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis, ipsi gloria* (12).

PROB. 2° *ex Traditione*. Ecclesia in Symbolo Apostolico, et in Nicaeno-Constantin. profitetur fidem « *in Deum Patrem omnipotentem*, » et in Symbolo Athanasiano: *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus*. Ss. Patres frequenter docent, Deum omnia posse, et quidem cum summa facilitate posse. — *Tertullianus* (13) ait: « Deus non alia ratione credendus est, quam ut omnia posse credatur » *Origenes* (14) dicit: « Incorporeum esse Deum, et omnipotentem et invisibilem profitemur. » *S. Gregorius Nyss.* (15) inquit: « Longe est ab opinione, quam de Deo habemus, aliquid ei impossibile esse. » *S. Chrysostomus* (16), cum innumerabiles esse dixisset Angelorum coetus, « has omnes tamen virtutes, ait, productas a Deo facilitate tanta, quantam nulla cuiusquam persequi possit oratio. Nam illi satis ad omnia fuit tantummodo velle: atque uti voluntas nullum nobis affert laborem, ita nec illi tot, ac tantas condidisse virtutes. » *S. Cyrillus Alex.* (17) quaerit: « Quid non perficiat vel volens, et quidem facillime? » — *S. Augustinus* (18) exclamat: « Quid de Deo desperandum, cui difficile nihil est? Qui sic facit magna, quomodo parva... Quid difficile facit, qui verbo facit? Qua facilitate creat Angelos ultra coelos, ea facilitate luminaria in coelis, ea facilitate pisces in mari, ea facilitate arbores et animalia in terra, ea facilitate magna, qua parva. » Sed addit *S. Fulgentius* (19): « Nisi omnipotens esset, non una, eademque facilitate summa atque ima fecisset. »

PROB. 3° *Ex ratione*. *a*) Deus est ens perfectissimum, quo maius concipi nequit. Si autem omnipotens non esset, « maius aliquid Deo iam posset cogitari. Maius namque est omnipotentiam habere, quam qualemcunque potentiam, cui aliquid desit de omnipotentiae plenitudine, » ut recte concludit *Richardus Victorinus* (20). *b*) Hanc eandem omnipotentiam Dei etiam illa ratio demonstrat, quod propter summam simplicitatem id omne sit Deus, quod habere dicitur: unde *Cassiodorus* (21) ait: « Solus omnipotens Deus est, cui hoc est esse, quod sapere, hoc est posse, quod vivere,

(1) Ps. 32, 6. etc.
(2) Ps. 71, 18.
(3) Gen. 18, 14
(4) 42, 2.
(5) Esther 13, 9.
(6) Is. 46, 10.
(7) Sap. 7, 27.
(8) Ibid. 11, 22-24.
(9) Luc. 1, 37.
(10) Matth. 19, 26.
(11) Rom. 9, 19.
(12) Ephes. 3, 20, etc.
(13) L. de Resur. carn. c. 11.
(14) In Gen. Hom. 2, n. 2.
(15) L. Catech. c. 1.
(16) Ser. 2 de Incompreheus. c. Anomaeos.
(17) L. 3 in Io. c. 2.
(18) Serm. 72 de temp. c. 6.
(19) L. de fide ad Petr. c. 3.
(20) L. 1 de Trin. c. 21.
(21) L. de anima, c. 9.

Digitized by Google

hoc est velle, quod facere. » Ideo potentia illius ipsa eius est essentia: est autem infinita Dei essentia: ideo et infinita potentia: eiusmodi autem est omnipotens: nam si aliquid facere non posset, infinita non esset, siquidem deesset ei quippiam et certo genere circumscriberetur. *c*) Deus est prima omnium rerum causa effectrix, quia omnia entia contingentia rationem suae existentiae non habent nisi in ente a se. Totum ergo Universum luculentissimum divinae omnipotentiae argumentum est; quomodo enim omnipotentia illi denegabitur, qui omnia produxit? — Egregie *S. Augustinus* (1) ait: « Ille plane omnipotens vere solus dicitur, qui vere est, et a quo solo est, quidquid aliquo modo est vel spiritale, vel corporale. » Etiam Ethnicos lumine naturali omnipotentiam divinam agnovisse, testatur *Iustinus M.* qui (2) dicit: « Gentes omnes, quae idolis credunt, persuasum habere, omnia Deos facere posse, quemadmodum et Homerus illorum Poëta dixit: - Dii porro omnia possunt, et facile. » Et *S. Augustinus* (3) inquit: « Non dico, da mihi Christianum, da mihi Iudaeum; sed da mihi Paganum, idolorum cultorem, daemonum servum, qui non dicat, Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare omnipotentem Deum non potest» (4).

Nota 1. Negari tamen non potest, *Ethnicos* haud perfectam divinae omnipotentiae ideam habuisse; nam ipsi etiam *gentiles philosophi* creationem ex nihilo non admiserunt, sed plerique materiam aeternam statuerunt, ex qua divina virtute mundus formatus sit, et alii Deum ineluctabili fato subiecerunt, atque ita sicut libertatem, sic et omnipotentiam divinam limitarunt. *Plinius* (5) ait: « Imperfectae hominum naturae praecipua solatia esse, ne Deum quidem omnia posse; nam neque potest mortales aeternitate donare, aut revocare defunctos, etc. » Inter *Israëlitas* negatae omnipotentiae divinae haud immerito accusantur, qui in deserto ausi sunt dicere: *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto* (6)? *Manichaei*, qui duos Deos sibi contrarios statuerunt, eo ipso potentiam summi Numinis limitarunt. Inter aberrantes etiam numerandi sunt *ex Protestantibus* illi, qui negant, Deum unam substantiam in aliam transmutare posse. De hoc errore a nonnullis accusatur *Calvinus*, sed vindicatur a *Petavio* (7), qui illius verba citat dicentis: « Rerum omnium conversionem fieri posse a Christo, nos quoque fatemur. » Hoc autem ipsius discipuli non fatentur, sed negant, ut dogma de transubstantiatione impugnent. Cum his consentire etiam *Lutheranos* testis est *Moshemius* (8), qui dicit: « Omnipotentia divina est vis illimitata voluntatis divinae, omnia illa solo voluntatis suae actu perficiendi, quae vel physice, vel moraliter possibilia sunt: » ex qua definitione inferendum erit, Deum ea perficere non posse, quae vel physice, vel moraliter impossibilia sunt. Ideo inferius invehit in illos, « qui putant, se quoque ad impossibilia extendere potentiam divinam, » quin physice impossibilia a metaphysice impossibilibus distinguat: ac demum addit: « In Ecclesia Romana tamen strenue defenditur, Deum facere posse contradictoria, seu in se impossibilia, atque rerum naturae adversa. Hanc enim

(1) L. 26, c. Faust. c. 5.
(2) L. de Resurr. (cit. ap. Damasc. in Eccl.)
(3) S. 139 de temp. c. 2.
(4) Cf. Petav. l. 5, c. 5.
(5) L. 2 Hist. Nat. c. 7. (6) Ps. 77, 19.
(7) L. 5, c. 6, n. 17.
(8) Elem. Theol. dogm. P. 1, sect. 1, cap 1, § 7.

sententiam mittere non possunt, quia alias transubstantiationem defendere nequeunt. » Falso enim haec profert Moshemius. Nullus enim Catholicorum affirmat, Deum facere posse contradictoria, seu metaphysice impossibilia, quae repugnant ex parte sui, aut ex parte Dei, uti patet etiam ex *Petavio*(1), quem pro sua criminatione citat Moshemius, sed id solum Petavius (2) cum caeteris catholicis Theologis propugnat, quod Deus physice impossibilia facere possit, et hoc naturae Auctori sine blasphemia denegari non potest.

Nota 2. In alium errorem nonnulli prolapsi sunt dicentes, Deum non alia facere posse, quam quae facit. Id iam *Origenes* docuisse fertur. *Petrus Abaëlardus* publice propugnavit, Deum nihil posse facere praeter ea, quae fecit; et *Guilelmus Parisiensis* aperte negavit, posse Deum condere plures mundos. - Sed haec sententia contraria est S. Scripturae, quae clare testatur, Deum ea quoque facere posse, quae non facit. Nam S. Ioan. Baptista inquit: *Dico vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae* (3). Christus ait: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum* (4)? Deus ergo praestare potuit, quod actu non praestitit. Hoc idem Ss. Patres docent, *Tertullianus* (5) ait: « Non autem, quia omnia potest facere, ideo credendum est, illum fecisse etiam quod non fecerit: sed an fecerit, requirendum. » *Theodoretus* (6) inquit: « Deus universorum, quae vult, omnia potest. Divinae siquidem voluntati facultas adiuncta est. Neque tamen rerum creationem sua potestate commensus est, sed quae voluit, ea fecit. » *S. Chrysostomus* (7) de eo loquens, quod Deus 40 diebus diluvii aquas immisit: « Quid enim, inquit, nonne poterat, si vellet, vel in uno die totam pluviam immittere? quid una die dico? etiam uno momento. » *S. Augustinus* (8) ait: « Tunc in clarissima luce sapientiae videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa, et immutabilis, et efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit, et non velit; nihil autem velit, quod non possit. » Et (9) scribit: « Quia Dominus Lazarum suscitavit, sine dubio potuit; quia vero Iudam non suscitavit, nunquid dicendum est, non potuit? potuit ergo, sed noluit; nam si voluisset, etiam hac potestate fecisset. » Ex sententia adversariorum maxima absurda sequi, egregie ostendit *S. Petrus Dam.* (10) ita disserens: « Si nihil potest Deus eorum, quae non vult, nihil autem nisi quod vult, facit; ergo nihil omnino potest eorum facere, quae non facit. Consequens est itaque, ut libere fateamur, Deum idcirco hodie non pluere, quia non potest: idcirco languidos non erigere, quia non potest; ideo non occidere iniustos, ideo non ex eorum oppressionibus liberare Sanctos. Haec et alia multa idcirco Deus non facit, quia non vult; et quia non vult, non potest; sequitur ergo, ut quidquid Deus non facit, facere omnino non possit. Quod profecto tam videtur absurdum, tamque ridiculum, ut non modo omnipotenti Deo nequeat assertio ista congruere, sed ne fragili quidem homini valeat convenire: multa siquidem sunt, quae nos non facimus,

(1) L. 5, c. 5 et 6. (2) L. c.
(3) Matth. 3, 9. (4) Matth. 26, 53.
(5) Adv. Prax. n. 10. (6) Serm. 4 c. Gent.
(7) Hom. 24. in Gen. (8) In Enchir. c. 95.
(9) In l. de nat. et grat. c. 7.
(10) Opusc. 36, c. 1.

Digitized by Google

et tamen facere possumus. » Omnino ergo admittendum est, Deum etiam alia facere posse, quam quae facit. Quamvis enim omnipotentia a voluntate divina realiter non distinguatur, et ideo posse et velle in Deo idem sint; Deus tamen non vult omnia ut actu existentia, sed vult alia ut possibilia, et vult omnipotentiam suam. Porro cum Deus prorsus independens sit, nulla omnino ratio assignari potest, qua ad omnia, quae potest, actu efficienda adigatur (1).

Nota 3. Omnipotentiae divinae maxime repugnare videtur, quod non omnis voluntas divina impleatur, quod huic homines resistere, eiusque consilia inefficacia reddere possint; ideo enim S. Scriptura hominibus perversis, et in malo obstinatis acclamat: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri ita et vos* (2). *Despexistis omne consilium meum* (3): *Mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis* (4). — Ad hanc difficultatem tollendam prae oculis habendae sunt divinae voluntatis divisiones, et praecipue distinguenda est voluntas Dei absoluta et conditionata. - Voluntas Dei absoluta semper impletur, et nemo illi resistere potest: id probant S. Scripturae eloquia: *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet* (5). *Num Dei possumus resistere voluntati* (6)? *Deus, cuius irae nemo resistere potest* (7). *Tu es Deus in coelo, et dominaris cunctis regnis gentium, in manu tua est fortitudo... nec quisquam tibi potest resistere* (8). Voluntas Dei absoluta et efficax etiam circa liberas hominum actiones semper impletur, neque homines impedire valent, quin etiam per liberas suas actiones consilia divina exequantur. Ideo dicitur: *Omnes habitatores terrae apud eum in nihilum reputati sunt: iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus coeli, quam in habitatoribus terrae: et non est, qui resistat manui eius* (9). *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud*(10). Paulus cum dixisset de Deo *cuius vult, miseretur, et quem vult, indurat* (11), addit: *voluntati enim eius quis resistit*(12)? Negari ergo non potest, Deum, si absolute velit, etiam in liberas hominum voluntates, ita omnipotentiam suam exercere posse, ut illae huic nullatenus resistant. Quare *S. Augustinus* (13) ait: « Neque veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creaturae voluntatis omnipotentis impeditur effectus: » et (14) pergit: « Quis enim tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, non posse convertere? » — Quia autem Deus vult, hominem liberum esse, et libere agere, exinde fit, ut ipse quoque non velit actum, nisi posito libero consensu hominis: et haec est voluntas Dei conditionata, quae non semper impletur, non ex defectu potentiae divinae, sed quia Deus non absoluta voluntate effectum decernit. Cum autem homines divinae voluntati resistere dicuntur, id intelligendum est de voluntate signi, quia divinis non obediunt consiliis et praeceptis, quae sunt signa divinae voluntatis. — Caeterum voluntas Dei nihilominus semper impletur, quatenus est causa universalis, quod ita explicat *S. Thomas* (15): « Cum vo-

(1) Cf. S. Thom. 1, q. 25, art. 5.
(2) Act. 7, 51. (3) Prov. 1, 25.
(4) Ezech. 24, 13. (5) Is. 46, 10.
(6) Gen. 50, 19. (7) Iob 9, 13.
(8) 2 Paral. 20, 6. (9) Dan. 4, 32.
(10) Prov. 21, 1. (11) Rom. 9, 18.
(12) Ibid. v. 19. (13) Enchir. c. 96.
(14) Ib. c. 98. (15) 1, q. 19, a. 6.

luntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est, quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium: sicut peccator, qui quantum est in se, recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinae voluntatis, dum per eius iustitiam punitur. » — « Sic voluntas Dei semper invicta est, » ut ait *S. Augustinus* (1); « Vinceretur autem si non inveniret, quid de contemptoribus faceret: » et iterum (2): « Nemo leges omnipotentis evadit; sed aliud est facere, quod lex iubet, aliud est pati, quod iubet » (3).

Nota 4. Seria divinae omnipotentiae consideratio utilissima est. Nam *a*) ait *Catechismus romanus* (4), « nulla res tam ad fidem et spem nostram confirmandam valet, quam si fixum in animis nostris teneamus, nihil non fieri a Deo posse: quidquid enim deinceps credere oporteat, quamvis magnum et admirabile sit, rerumque ordinem ac modum superet, illi tamen facile humana ratio, postquam Dei omnipotentis notitiam perceperit, sine ulla haesitatione assentitur: quin potius, quo maiora sint quae divina oracula doceant, eo libentius fidem eis habendam esse existimat. Quod si boni etiam aliquid expectandum sit, nunquam animus rei magnitudine, quam exoptat, frangitur; sed erigit sese atque confirmat, saepe illud cogitans, nihil esse, quod ab omnipotenti Deo effici non possit. » *b*) Si adversitatibus circumdamur, persecutionibus agitamur, et tribulationum pondere velut opprimimur, divinae omnipotentiae consideratio nos consolari, a desperatione praeservare et animum nostrum erigere debet. Qui enim unico verbo tenebras in lucem convertit, tenebras etiam angustiarum nostrarum depellere, et nos ab omni calamitate eruere potest. Ad ipsum ergo mentem elevantes, dicamus cum Davide: *Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es* (5); et cum Paulo *Si Deus pro nobis, quis contra nos* (6)? Sed etiam ad humilem et fervidam orationem confugientes dicamus cum Christo *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc a me; sed non quod ego volo, sed quod tu* (7). *c*) Fides de omnipotentia Dei monet etiam non esse trepidandum, ubi non sit timor, sed unum Deum timendum esse, in cuius potestate nos ipsi, nostraque omnia posita sunt; ait enim Salvator noster: *Ostendam vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam* (8).

(1) L. de Spir. et litt. c. 33.
(2) De agone Chr. c. 7.
(3) Cf. Tournely, quaest. 17, art. 6 Dieringer, c. 2 § 17, e. g.

ARTICULUS X.
De Sapientia Dei.

§ 43. I. Sapienter agere dicitur, qui ad finem bonum apta media applicat. Sapientia ergo cum scientia non est confundenda; haec enim in solo intellectu, illa vero in intellectu simul et voluntate residet: quippe ad sapientiam scientia seu cognitio finis boni, et aptorum ad hunc obtinendum mediorum equidem necessaria est, sed sola non sufficit, verum quam maxime requiritur, ut voluntas finem bonum vere intendat, et ad eundem obtinendum apta media actu eligat et applicet. Homines, qui semper per apta media ad finem bonum tendunt

(4) P. 1, c. 2, q. 13.
(5) Ps. 22. 4.
(6) Rom. 8, 31.
(7) Marc. 14. 36.
(8) Luc 12, 5. — Cf. Frint, § 71.

sapientes dicimus, eosque praestantissima entis rationalis perfectione praeditos merito aestimamus. - Sapientiam vero, quae etiam in spiritibus creatis invenitur, multo magis eorundem auctori, Deo, Enti perfectissimo et quidem in infinito gradu inesse, recto iudicamus. Ens enim perfectissimum etiam perfectissimo modo agens concipimus, ex quo concludimus, Deum optimos fines per convenientissima media velle et assequi. Et hanc ipsam perfectionem, qua Deus optimos fines per convenientissima media vult et adsequitur, *Sapientiam divinam* nominamus, cuius conceptus continet simul tum perfectissimam cognitionem, tum efficacissimam volitionem finium optimorum et mediorum convenientissimorum (1). Igitur in sapientia Dei intima consensio, seu essentialis unio scientiae divinae et voluntatis divinae (omnipotentis) clarissime elucet (2).

2. Infinite distat sapientia humana a divina; et ne haec cum illa confundatur, *discrimina* attendere oportet, quae inter utramque intercedunt. Nam *a*) homines variis modis a vera sapientia deficere possunt, dum vel limitata eorum ratio rectum finem, aut apta media non cognoscit, vel corrupta eorum voluntas in malum inclinatur, unde fit, ut eorum sapientia degeneret in prudentiam carnis, quae per apta media malum finem intendit, aut in superstitionem, quae bonum finem per mala media promovere nititur. Nullo modo autem deficere potest sapientia Dei, qui bonos fines cunctis rebus praefigit, et nonnisi bona et apta media applicat. — *b*) Humana sapientia, quantacunque sit, per varia obstacula a consecutione finis impediri potest: divina autem sapientia effectum, quem intendit, semper infallibiliter consequitur, quia Deo omnipotenti nil resistere valet. Ideo de Sapientia dicitur: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (3). Hincinde equidem fines partiales creaturis praefixi non obtinentur, e. g. cum fruges degenerant, campi devastantur etc. sed apparentes istae naturae inordinationes a divina sapientia ad nobiliorem finem diriguntur: prudentiae vero et sapientiae etiam inter homines consentaneum censetur, ut finis ignobilior negligatur ad nobiliorem finem promovendum. — *c*) Homines *sibi* fines praefigunt, quia variis bonis indigent, quae per congrua media assequi nituntur; in ipsis ideo finis intentus est motivum, seu causa, ob quam media applicant. Non autem idem de Deo dici potest. Deus enim, qui non est *indigens aliquo* (4), non sibi, sed creaturis fines praefigit, neque isti fines dici possunt motiva, seu causae, per quas voluntas divina ad adplicanda media impellatur, sed Deus uno eodemque simplicissimo actu vult finem et media. Id docet *S. Thomas* (5) dicens: « Sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in causa; ita velle finem non est ei causa volendi ea, quae sunt ad finem: sed tamen vult ea, quae sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc. » *d*) Homines, ut finem quemdam consequantur, aptorum mediorum adplicatione opus habent: non sic autem Deus. Cum enim voluntas Dei efficacissima sit, sufficit ei finem velle, ut hic etiam iam actu obtineatur: sic Deus sine solis

(1) Cf. Wiesl. § 83. Dobmayr § 45
(2) Cf. Klee p. 58. Liebermann l. 3, c. 3, § 1.

(3) Sap. 8, 1. (4) Act. 17, 25.
(5) 1, q. 19, art. 5 in c.

aestu, sine pluvia, sine labore hominum panes procreare et homines alere posset. Deus ergo non ex necessitate, sed ex liberrima voluntate causis intermediis utitur, quae ad fines suos diriguntur: et Deus haec media non ideo vult, quia apta sunt, sed ideo apta fiunt, quia Deus ea vult. — *e*) Denique homines leges et regulas sibi praefixas habent, quas observare debent, ut ordinate et sapienter agant: Deus autem nullas leges, aut regulas observandas habet, sed ipse omnium legum et regalarum fons et origo est. Omnia ergo iam ex eo ipso bene ordinata fiunt, cum finibus suis cohaerent, et ad unitatem, seu ad finem totalem tendunt, quia Deus illa sic, et non aliter decernit, voluntas enim Dei ipsa sapientia est. Neque alio modo nos ordinem et harmoniam in creaturis cognoscimus, nisi quia, et in quantum illas nostro principio cognoscendi, quod est Deus, conformes videmus.

3. Deum infinite sapientem esse

Prob. 1.° *ex S. Scriptura*, quae frequentissime Dei sapientiam laudat: *Apud ipsum est sapientia, et fortitudo; ipse habet consilium, et intelligentiam* (1). *Quam magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti* (2). *Magnus Dominus noster, et magna virtus eius: et sapientiae eius non est numerus* (3). *Deus virens... praeparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit coelos* (4). *Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper et est ante aevum* (5). — *Tecum sapientia tua, quae novit opera tua, quae et affuit tunc cum orbem terrarum faceres* (6). *Soli sapienti Deo... honor, et gloria* (7). Ideo autem Deus solus sapiens dicitur, quia omnis sapientia, quae in entibus intelligentibus creatis invenitur, a Deo tanquam e suo fonte emanat. Hac de causa dicitur: *Dominus dat sapientiam: et ex ore eius prudentia, et scientia* (8); et: *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat: et dabitur ei* (9).

Prob. 2.° *ex consideratione operum divinorum*, quae omnia divinam nobis sapientiam manifestant. Sive enim aspiciamus splendida astra, magnifico ordine perpetuo circumvoluta, et mutuo nexu cohaerentia; sive consideremus hanc terram, tot in ipsa animalia et tam varia, tot arbores et plantas variis coloribus ornatas, variis odoribus praeditas, variis fructibus refertas; sive oculos convertamus ad hominem, in quo natura materialis cum spirituali imperscrutabili modo coniuncta est, et cuius sensus corporei ad fines suos mirifice coaptati sunt; sive inspiciamus minima insecta, quorum fere invisibilia membra optimo ordine constructa et copulata sunt: ubique pulcherrimus ordo et admirabilis scopo-congruentia cernitur, et nihil est, quod Dei omnipotentiam, bonitatem et sapientiam non praedicet, et sic ad eius gloriam dirigatur. Ipsi impii, qui Dei fines destruere conantur, eius gloriam promovent, dum condignas poenas luentes divinam iustitiam manifestant. Omnia ergo videmus revera ad illum finem primarium dirigi, quem sapientissimus Creator toti Universo praefixit, cum *universa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum* (10). Ipsa S. Scriptura ideo frequenter mirum ordinem in rebus creatis conspicuum descri-

(1) Iob 12, 13. (2) Ps. 103, 24.
(3) Ps. 146, 5. (4) Ier. 10, 10-12.
(5) Eccli. 1, 1. (6) Sap 9, 9.
(7) Rom 16, 27. (8) Prov. 2, 6.
(9) Iac. 1, 5. (10) Prov. 16, 4

bit, ut infinitam Dei sapientiam ostendat (1). Eodem argumento SS. Patres utuntur. *S. Basilius* (2) dicit: « Nos creaturae pulcritudinem solerter animadvertentes per eam, velut per quasdam litteras, magnam Dei circa omnia providentiam et sapientiam legendo cognoscere: » et (3) protestatur, « consideratione totius Universi haud opus esse, sed hominem in se ipso, tanquam in parvo mundo sapientiam Creatoris cernere. » *S. Ambrosius* (4) ait: « Omnia penetrat divina sapientia, implet omnia; idque locupletius ex irrationabilium sensibus, quam ex rationabilium disputatione colligitur. Validius est enim naturae testimonium, quam doctrinae argumentum. Cuique animanti cognitum est, quemadmodum suam tueatur salutem, si virtus suppetit, resistendo, si velocitas, fugiendo, si astutia, praecavendo. Quis eas usum medendi, herbarumque docuit habere notitiam? Homines sumus, et saepe specie herbarum fallimur,... melior enim magistra veritatis natura est» (5). Eodem modo infinita Dei sapientia elucet ex opere Redemptionis, atque ideo Paulus: *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam* (6) vocat, et inquit, se *in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi.. ut innotescat.. multiformis sapientia Dei* (7). Haec eadem in se una, et in effectibus multiformis sapientia Dei etiam ex aliis divinis operibus ostendi potest, quod in decursu Theologiae dogmaticae patebit.

Prob. 3.° *ex ratione*. Perfecta sapientia est, ubi intelligentia summa est cum voluntate optima, et virtute operandi infinita coniuncta. In Deo autem est intellectus infinitus, seu omniscientia, voluntas perfectissima et omnipotens, ergo etiam sapientia infinita. Neque ab hac Deus ullo modo deficere potest. Cum enim voluntas Dei sit omnis bonitatis fons et origo, et omnia bona fiant eo ipso, quia Deus ea vult; patet, Deum non posse nisi bonum finem, et bona media velle: et cum ex eadem ratione nihil boni sit, nisi Deus id velit; nullo modo id, quod Deus non vult, melius dici potest; atque ideo quidquid Deus vult, non solum bonum, sed et optimum omni iure dicitur. Porro Deus mediis non indiget, quia eius velle per se efficacissimum est, et si quae media adplicare velit, haec per ipsam volitionem divinam convenientissima et aptissima redduntur: ex quo sequitur, fines a divina sapientia praefixos certissime obtineri. (Cf. § praec. not. 3). Sapientia ergo divina, quae fines optimos per convenientissima media consequitur, vere infinita est, seu talis, qua maior concipi nequit, et qualem enti perfectissimo inesse, ipsa ratio postulat. Etiam gentiles Philosophi summam Dei sapientiam agnoverunt. *Plato* et *Pythagoras* Deo soli sapientiam, hominibus autem amorem tantum sapientiae, seu Philosophiam attribuerunt (8). *Aristoteles* quoque ait: « Deum solum esse sapientem » (9). *M. T. Cicero* ex pulcherrimo mundi ordine summam Dei sapientiam probans, addit: « Coelestem admirabilem ordinem, incredibilemque constantiam... qui vacare mente putat, is ipse mentis expers habendus est. »

Nota 1. Quamvis sapientia divina ex plurimis operibus divinis nobis conspicua reddatur, nullatenus tamen eam in omnibus, quae agit, perfecte

(1) Iob 28, Ps. 103, Sap. 7 et 8. Eccli. 24, etc.
(2) Hom. de grat. action.
(3) Hom. in illud. Attende tibi ipsi.
(4) 9 Hexaem. cap. 4.

(5) Cf. S. Athanas. c. Gent. c. 34-37. Greg. Naz. Or. 34. Minuc. Fel. Octav. c. 17.
(6) 1 Cor. 1, 2. (7) Ephes. 3, 8-10.
(8) Diog. Laërt. Prooem. c. 8.
(9) in prooem. Metaph.

comprehendere possumus; sublimior enim est, quam ut limitata nostra ratione eam ubique rimari ac perscrutari valeamus. Ideo de Sapientia dicitur: *Abscondita est ab oculis omnium viventium* (1). *Sapientiam Dei praecedentem omnia, quis investigavit* (2)? *Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terrae: non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiae eius* (3). Paulus exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius* (4)! Gravissimae huius veritatis memores, consilia et opera divina infirmae ac fallacis rationis nostrae tribunali subiicere non praesumamus, et si hincinde non intelligimus, cur et quomodo Deus haec, vel illa agat, aut permittat, ignorantiam nostram fateamur, omnia autem a Deo sapientissime ordinari firmiter credamus.

Nota 2. Sapientiam Dei non agnoverunt, aut quod verius est, agnoscere noluerunt *Epicuraei*, qui mundum hunc casu fortuito exortum docuerunt, et *Stoici*, qui eundem fatis regi existimarunt. Inter divinae sapientiae adversarios recte numeratur *Spinoza*, qui (5) docet, omnia ex necessitate divinae naturae determinata esse ad certo modo existendum et operandum. Divinam sapientiam etiam recentiores Pantheistae admittere nequeunt, qui cum *Hegelio* rationem personalitatis Deo abnegant. Difficultates, quae contra divinam sapientiam moveri solent, in tractatu de Dei providentia solventur.

Nota 3. Ex cognita sapientia divina varia documenta moralia fluunt. Nam *a)* in rebus adversis cogitare oportet, Deum sapientissimum ad finem optimum sapientissime omnia nostra disponere, atque hinc erecta in Deum fiducia sortem nostram, quaecunque sit, tranquille ferre, et cum plena animi acquiescentia semper dicere debemus: *Domini voluntas fiat* (6). *b)* Si rerum creatarum pulcritudine oculi nostri abripiuntur, non illis ad instar pecudum inhaereamus, sed mentem altius elevantes, divinam sapientiam, quae omnis ordinis et pulcritudinis fons est et origo, admiremur et adoremus. *c)* Sed non solum admirari, verum etiam imitari divinam sapientiam oportet. Semper itaque ad bonum finem per bona aptaque media tendere debemus. Finis autem noster Deus est; nam, ut loquitur *S. Augustinus* (7): « Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. » Ut autem Deo fruamur, opus est, ut mandata divina perfecte et constanter observemus. Ideo dicitur: *Initium sapientiae timor Domini* (8) et: *Dilectio Dei honorabilis sapientia* (9). Longe ergo a sapientia remotus est, qui Deum non diligit, et mandata eius non custodit; nam *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (10).— Egregie ideo *S. Augustinus* (11) dicit: « Si sapientia Deus est, per quem facta sunt omnia, sicut divina auctoritas veritasque monstravit, verus philosophus est amator Dei. Sed quia res ipsa, cuius hoc nomen est, non est in omnibus, qui hoc nomine gloriantur: (neque enim continuo verae sapientiae sunt amatores, quicunque appellantur philosophi!) » (12).

(1) Iob 28, 21. (2) Eccli. 1, 3.
(3) Is. 40, 28. (4) Rom. 11, 33.
(5) Prop. 29.
(6) Act. 21, 14.
(7) L. 1 Conf. c. 1, ad Deum.
(8) Eccli. 1, 16.
(9) Ibid. v. 14.
(10) Sap. 1, 4.
(11) L. 8 de Civ. Dei, c. 1.
(12) Cf. Staudenmayr § 65, p. 333-345.

Digitized by Google

ARTICULUS XI.
De Sanctitate Dei.

§ 44. 1. Sanctitas in genere consistit in immunitate ab omni malo morali, seu peccato, et in efficaci ac constanti recti bonique amore. Idcirco homines eo maiori sanctitate pollere dicimus, quo magis a peccatis et imperfectionibus remoti, bonis operibus autem et virtutibus ornati sunt. Iuxta hanc notionem sanctitas, quae Deo enti perfectissimo et infinito tribuenda est, definiri potest: perfectissima immunitas a quolibet peccato, imo a qualibet imperfectionis umbra, et infinitus boni rectique amor. « Hoc attributum, ait *Liebermann*, ut cuilibet obvium est, arctissimam habet cum sapientia connexionem; non est tamen unus utriusque conceptus. Sapientia magis in actione consistit, et in Deo concipitur tanquam electrix operum illius, et rerum omnium moderatrix, attingens a fine usque in finem fortiter suaviterque disponens omnia. Sanctitas est ipsa Dei moralis perfectio, ipsa pulcritudo Dei, et decor ineffabilis praestantissimae naturae. Sapientia quasi effusam et exundantem Dei bonitatem repraesentat; at sanctitas lux ipsa est divinitatis intemerata, puritas et castimonia integerrimae voluntatis. Utriusque imaginem quamdam in sole reperimus: illa lumen quodammodo est solis splendidissimum, omnia collustrans et radios diffundens undequaque; haec sol ipse dici potest sua claritate coruscans, et in se ipso inexhausto lumine dives » (1). — Quamvis autem sic concinne ostendatur, quomodo sapientia Dei ab eius sanctitate distinguatur in conceptu nostro, cavendum tamen est, ne realis distinctio adstruatur; omnia enim attributa divina sunt ipsa simplicissima essentia Dei.

2. Maxima sunt *discrimina*, inter sanctitatem divinam et sanctitatem humanam probe observanda. *a*) Sanctitas enim humana per varia exercitia, per multa certamina et frequentes inordinatarum passionum abnegationes acquirenda est; ideo homini, qui moralem perfectionem adsequitur, virtus inesse dicitur: haec autem tali in sensu de Deo praedicari nequit, quia in eius natura simplicissima et perfectissima nihil est quod abnegandum, aut superandum sit: neque Deus ad sanctitatem obtinendam mediis, vel exercitiis indiget, cum eius essentia a se et per se ipsa sanctitas sit. Ideo *S. Cyrillus Alex.* (2) ait: « In rebus creatis, utpote, quae in deteriora mutari possunt, et conversionibus a melioribus ad turpiora cedere, fructus erit religiosae mentis, et in virtutem propensae, bonum (morale, seu sanctitas). At in divina et omnia excedente substantia non ita res se habet. Sublata enim mutatione omni et conversione, neque loco huic ullo relicto, deinceps fructus erit immutabilis substantiae bonum, quemadmodum et in igne calor et in nive frigus. » *b*) In homine sanctitas accidentalis est, adesse vel abesse, crescere vel minui potest: in Deo sanctitas essentialis est, et omnino immutabilis, omnis incrementi, vel decrementi expers. Ideo *S. Ambrosius* (3) in verba Christi: *Estote perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est*: « Ille, inquit, secundum plenitudinem maiestatis suae perfectus est: nos autem perfecti sumus secundum virtutis accidentis profectum. » *S. Augustinus* (4) ait: « Deus nec

(1) Lib. I, c. 3, a. 3, § 2.
(2) L. 5 in Ioan.
(3) L. 5 de virtutum perfect. c. 3.
(4) Tract. 14 in Io.

crescit, nec minuitur. Si enim crescit, perfectus non est; si minuitur, Deus non est. » *S. Anselmus* (1) ait: « Creator aeternaliter a se ipso est bonus, et essentialiter... et voluntate bonus: homo ad similitudinem Creatoris factus voluntate bonus; sed in hoc differens, quod Creator non vult, nec potest esse, vel velle aliud, quam esse bonus; voluntas enim et potentia est illi essentia. » *c*) Homines sancti fiunt, si mandata sibi imposita perfecte observant, vitando quae prohibita et faciendo quae praecepta sunt, atque idcirco sanctitas humana in conformitate cum lege morali consistit. Nullatenus autem ita sanctitas Dei concipi potest. Deus enim, primus et summus Legislator, Legislatorem se priorem, aut superiorem non babet; quare etiam officium, ex imperativo descendens, in ipso nullo modo statui potest. Non ideo ergo Deus sanctus est, quia leges observat, sed omnia, quae vult, sanctissima sunt, non alia ex ratione, nisi quia vult. Ideo *Dionysius* (2) agens de infinita Dei perfectione, dicit, quod Deus sit « αὐτοτελής, i. e. per se absolutus et perfectus, et a seipso, non ab alio determinatus. » Et *S. Anselmus* (3) ait: « Illa (summa essentia) est bona per se, et nihil aliud est bonum, nisi per illam. » — Admitti ergo non potest definitio sanctitatis divinae, qua dicitur « consensus voluntatis liberrimae perfectissimus cum sapientissimis intellectus legibus » (4) in infinita enim Dei simplicitate non potest intellectus praecipiens, et voluntas huic obediens concipi; et praeterea iuxta nostrum concipiendi modum leges non a solo intellectu, sed praecipue a voluntate Legislatoris prodeunt; intelligi autem nullo modo potest, quomodo voluntas, seu simplicissima essentia divina sibi ipsi leges imponat. Etiam alia definitio, qua sanctitas divina dicitur: « Immutabilis voluntas perfectionibus suis conformiter agendi » (5), nonnisi recte intellecta approbari potest. Cum enim perfectiones divinae non sint priores aut superiores voluntate divina, sed haec cum illis sine ulla reali distinctione unum sit cum simplicissima essentia divina; certe illa concordia voluntatis divinae cum reliquis perfectionibus non ita intelligi potest, ac si voluntas divina in suis actibus a reliquis perfectionibus dependeat, et has ut normas sequi debeat; sed ita solum concipienda est, quod divina voluntas, quae cum reliquis perfectionibus unam Essentiam constituit, ex hac ratione infinite perfecte agens, sit sanctitas ipsa, et omnis sanctitatis fons et origo.

3. Deum infinite sanctum esse

Prob. 1° *ex S. Scriptura*, in qua sanctitas Dei saepissime praedicatur. Deus ipse inquit: *Sancti estote quia ego Sanctus sum* (6). *Non est Sanctus, ut est Dominus* (7). Deus dicitur: *Sanctus in omnibus operibus suis* (8). Angeli adorant Deum dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum* (9). Sanctitas Dei etiam hominibus tanquam praecipuum Deum adorandi motivum, proponitur: *Confiteantur nomini tuo magno quoniam terribile, et sanctum est* (10); *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum eius: quoniam sanctum est* (11); *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto eius: quoniam sanctus Dominus Deus noster* (12).

(1) Medit. 19, c. 5.
(2) De div. Nom. c. 13.
(3) Monol. c. 68, 65.
(4) Dobmayr § 46, Frint § 75.
(5) Wiest § 86, Liebermann l. c.
(6) Lev. 11, 44. (7) 1 Reg. 2, 2.
(8) Ps. 144, 17. (9) Isa. 6, 3. (10) Ps. 98, 3.
(11) Ibid. v. 5. (12) Ibid. v. 9.

Sacerdotes orant: *Sancte Sanctorum omnium Domine, conserva in aeternum impollutam domum istam* (1). In N. T. Christus Deum Patrem sanctum appellat (2), et ait: *Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est* (3). S. Petrus Christianis scribit: *Secundum eum qui vocavit vos Sanctum: et ipsi in omni conversatione sancti sitis: Quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum* (4). In Apoc. Bestiae victores canunt: *Iustae, et verae sunt viae tuae... Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es* (5). Et sicut summa sanctitas, ita et perfectissima ab omni malo morali immunitas de Deo praedicatur: *Dei perfecta sunt opera, et omnes viae eius iudicia: Deus fidelis, et absque ulla iniquitate iustus et rectus* (6). *Non Deus volens iniquitatem tu es* (7). *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum: et respicere ad iniquitatem non poteris* (8). *Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae* (9), ubi ex contextu, et modo loquendi biblico lux integritatem, et tenebrae vitiositatem moralem designant. S. Scriptura ergo satis clare sanctitatem Dei praedicat; neque audiendi sunt, qui dicunt, nomine Sancti, aut sanctitatis solummodo gloriam et maiestatem Dei designari; nam in V. et N. T. sanctitatem Dei imitari iubemur, quod de gloria et maiestate Dei intelligi haud potest: facile autem conceditur ex ipsa sanctitate infinita Dei gloriam et maiestatem praecipue elucere.

Prob. 2° *ex Revelationis divinae oeconomia*, quae tota ad sanctitatem inter homines promovendam tendit. Ideo sane Deus sanctissimas leges promulgavit, fortissima tum amoris, tum spei, tum timoris motiva adiecit, atque copiosissimas gratias praeparavit, ut homines a vitiis cunctis removeantur, et omnibus virtutibus repleantur. Exinde facile colligitur, quantum sit in Deo peccati odium, quantusque boni et recti amor, seu quanta sit sanctitas Dei!

Prob. 3° *ex Traditione*. Ecclesia enim semper Cerdonianos, Marcionitas, Manichaeos, Priscillianistas, et alios, qui Deum auctorem mali, seu peccati asseruerunt, ut haereticos damnavit, et eosdem Ss. Patres insectati sunt, velut *Tertullianus*, *Clemens Alex.*, *Irenaeus*, *S. Basilius* (10), et *S. Augustinus*, qui (11) ad Sixtum ait: « Iniquitatem, quam rectissime Veritas improbat, damnare novit ipse, non facere. » Ss. Patres etiam positive summam Deo sanctitatem tribuunt, seu Deum sanctitatem ipsam esse dicunt. *Dionysius* (12) ait: « Sanctitas et omnino immaculata munditia Deus est: » et (13) asserit quod Deus « perfectionem excedat omnem, et a nullo capiatur, aut comprehendatur; imo vero finem omnem superet, et terminum, atque infinitatem omnem finiat. » *S. Ambrosius* (14) ait: « Duplex est forma perfectionis, alia medios, alia plenos numeros habens; alia hic, alia ibi; alia secundum hominis possibilitatem, alia secundum perfectionem futuram. Deus autem iustus per omnia, sapiens super omnia, perfectus in omnibus. » *S. Gregorius Nyss.* (15) inquit: « Aliena est a divina natura in malitiam propensio; sed omne quod bonum sit, hoc etiam velle necesse est: volentem autem omnino etiam posse; porro cum possit, non

(1) 2 Machab. 14, 36. (2) Io. 17, 11.
(3) Matth. 5, 48. (4) 1 Ep. 1, 15, etc.
(5) Apoc. 15, 3-4. (6) Deut. 32, 4.
(7) Ps. 5, 5. (8) Hab. 1, 13
(9) 1 Io. 1, 5.

(10) Hom. quod Deus non sit auctor peccati.
(11) Ep. 191. (12) De div. Nom. c. 12.
(13) C. 13. (14) L. 3 de offic. c. 2.
(15) In Catech.

otiosam esse, sed omnem boni electionem ad effectum producere. » Denique Ecclesia fidem suam de sanctitate Dei ostendit per Trisagion: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, quod ab initio solum in Missis solemnibus canebatur, sed a saeculo sexto usque nunc in qualibet Missa dicitur.

Prob. 4° *ex ratione*. *a*) Sanctitatem in ente intellectu et voluntate praedito, maxime necessariam et nobilissimam perfectionem esse, penitus persuasum est rationi, quae tantum moraliter bonum potest aestimare, malum autem morale cogitur semper reprobare et contemnere: ratio ergo non potest aliter ens perfectissimum concipere, nisi summa sanctitate praeditum, qua sublata, ipse Deus e medio tolleretur. Quae ergo existentiam Dei Entis perfectissimi probant, etiam summam eius sanctitatem demonstrant. *b*) Si peccatum est transgressio legis, in Deo, Ente primo, independenti, et nulli legi subiecto, peccatum cogitari nullo modo potest: omnia autem per se bona, imo optima et sanctissima dicenda sunt, quae perfectissima voluntas, omnis bonitatis ac sanctitatis principium et norma decernit. *c*) Vera sanctitas praecipue in dilectione Dei consistit. Ideo homo eo sanctior est, quo perfectius Deum super omnia, et reliqua in Deo et propter Deum amat. Id testatur S. Paulus dicens: *Plenitudo ergo legis est dilectio* (1); et *Super omnia autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* (2). Deus autem seipsum infinite amat, et reliqua omnia vult et amat propter se: ergo infinite Sanctus est; et omni iure infinitus sui amor ipsa infinita Dei sanctitas dici potest (3).

(1) Rom. 13, 10. (2) Colos. 3, 14.
(3) Cf. Ludov. Argent. Confer 23 a. 1.
(4) Ex. Talm. cod. Berachot.
(5) In refutat. Surae 6 et 10.

Nota 1. Adversarii propositae doctrinae sunt *gentiles Philosophi et Poëtae* mythicam Theologiam sectantes qui immania scelera Diis affinxerunt, uti e. g. Iovem adulterum, Iunonem superbam, Venerem impudicam, Mercurium furem praedicarunt, et eo devenerunt, ut per eadem scelera Deos colendos esse putarent. *Marcionitae* et *Manichaei* duo summa principia statuentes etiam Deum malum admiserunt, bona aversantem et mala producentem. *Talmudistae* fabulantur, Deum deflere peccata, quae commisit in templum, urbem sanctam et populum (4). *Mahometes* in Alcorano tradit, Deum esse velociorem ad dolum, quam Meccanos, et homines peccare ex impulsu Dei necessitantis, ut testatur *Maracius* (5). *Calviniani* cum auctore suo *Calvino* accusantur, quod Deum auctorem peccati faciant, quia decretum reprobationis absolutum propugnant, ita ut reprobi ad peccata sicut electi ad bona opera a Deo praedestinentur. Reclamant quidem huic accusationi; « Verum, ait *Wiest* (6), cum unanimi consensu doceant, Deum efficaciter velle malum fieri, non video, qua ratione de impacta sibi iniuria conquerantur, vel si res non ita se habeat, utantur vocibus et dictionibus, quibus suspicio erroris ab iis amovetur. » Denique inter aberrantes, recensendus est *Schleiermacher*, qui (7) docet regnum morale a peccato ordiri, et per peccatum explicari, ac Deum ipsum haec ita ordinasse (8).

Nota 2. Extant in divinis litteris loca nonnulla, quae videntur evincere, Deum peccata velle et promovere. Dicitur enim Deus homines *indurare*(9), *excaecare*(10); *errare fa-*

(6) § 86 in nota.
(7) In sua Dogmatica T. 1 § 62 etc.
(8) Cf. Staudenmayr § 70, p. 400.
(9) Ex. 7, 3. (10) Is. 6, 9 etc.

cere (1); ***Tradere in immunditiam*** (2); ***in reprobum sensum*** (3). — Sed in his locis S. Scriptura loquitur per synecdochen, ponens effectum pro causa, nempe peccata pro gratiae subtractione. Deus enim dicitur homines indurare, obcaecare etc., non positive inspirando malitiam, sed negative non concedendo gratias uberiores, quibus deficientibus homines obcaecantur, indurantur, et in peccata ruunt. Deus autem hanc gratiarum subtractionem vult, non tanquam causam peccatorum sequentium, sed tanquam poenam peccatorum praecedentium, et in hoc ipso sanctitatem suam ostendit, dum gratiarum suarum abusum, et peccata aversatur ac punit. — Si in S. Scriptura Deus dicitur praecipere incestum (4); maledictionem (5); mendacium (6); aut definire venditionem Iosephi (7); et proditionem Christi (8); haec intelligenda sunt de permissione peccatorum, quia praevidens Deus inclinatam hominum ad peccandum voluntatem, permittit eam impleri, non autem de mandato Dei proprie dicto; si enim mandatum fuisset, inquit *S. Augustinus* (9) non peccassent obtemperando; peccarunt autem, cum idcirco divinam in se vindictam provocaverint. Ideo autem Deus in S. Bibliis dicitur ordinare, vel definire peccata, quia malas hominum actiones, quas non efficit, sed permittit, ad bonum finem dirigit, nimirum vel ad punitionem peccatorum, vel ad probationem iustorum, ut vel illorum conversio promoveatur, vel horum merita augeantur. Ideo *S. Augustinus* (10) ait: « Deus usque adeo omnipotens est et bonus, ut de malo etiam benefaciat: » et (11): « Melius iudicavit de malis benefacere, quam nulla mala esse permittere. »

(1) Is. 63, 17. (2) Rom. 1, 24.
(3) Ibid. v. 28. (4) 2 Reg. 12, 11 etc.
(5) 2 Reg. 16, 10. (6) 2 Par. 18, 21.
(7) Gen. 45, 8. (8) Act. 4, 28.

Nota 3. Infinitam sanctitatem Dei non solum admirari et adorare debemus, sed eandem etiam imitari iubemur (12). Quoniam autem omnino impossibile est, ut infinitam Dei sanctitatem adtingamus, summo tamen studio nobis adlaborandum est, ut ad maiorem continuo perfectionem tendamus, et de die in diem Deo similiores acceptioresque reddamur. In stadio enim virtutis non progredi regredi est. Continuo ergo vigilandum et orandum, atque legitime pugnandum est, ut inordinatae passiones vincantur, vitia non magna solum sed et parva devitentur, officia impleantur, virtutes et bona opera exerceantur, atque sic sanctitas illa acquiratur, quae ad aeternam salutem requiritur, dicente Apostolo: *Sequimini... sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (13).

ARTICULUS XII.
De veracitate, et fidelitate Dei.

§. 45. Ad sanctitatem, quam ut omnium virtutum complexum concipimus, etiam veracitas et fidelitas in servandis promissis pertinet. Nullatenus enim illum sanctitate pollere putamus, qui vera non loquitur, sed per mendacia alios fallit, aut qui ea, quae promiserat, adimplere recusat. Cum autem sanctitas Dei infinita sit, ex hoc ipso rectissime inferimus, Deo O. M. summam quoque *veracitatem*, et in adimplendis promissionibus *fidelitatem* adtribuendam esse. Et haec duo attributa divina, quae fidei et spei nostrae fundamenta constituunt, hic explicare et probare oportet.

(9) Ap. Tournely, p. 455.
(10) Enchir. c. 11. (11) C. 27.
(12) Matth. 5, 48. 1 Petr. 1, 15.
(13) Hebr. 12, 14.

1. *De Veracitate Dei.*

§ 46. 1. Verax ille dicitur, qui exterius per verba aut signa nil aliud manifestat, nisi quod interius animo sentit. Veracitas ergo obiective in conformitate dictionis cum cognitione consistit, et subiective est constans voluntas nonnisi vera dicendi seu manifestandi. Notione hac ad Deum adplicata, *Veracitas Dei* recte dicitur illa perfectio, qua Deus ubique et semper veritatem sequitur, et entibus rationalibus nonnisi vera manifestat. — Inter homines equidem contingere potest, ut etiam qui veracitatis virtute pollet, non semper vera loquatur, quia ratio humana aberrare, et falsum pro vero habere potest. Id autem nullo modo locum habet in Deo, qui omniscius est, et cuius intellectus infinitus a veritate deficere, seu aberrare nequit. Sicuti autem Deus falli non potest, ita etiam fallere non vult, atque ideo omnia, quae Deus loquitur, aut quomodocunque manifestat, infallibiliter vera sunt.

2. Deum veracissimum esse, et falsa proferre, seu mentiri non posse

Prob. 1° *ex S. Scriptura*, quae sat frequenter hanc Dei perfectionem praedicat: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur* (1): *Domine Deus tu es Deus, et verba tua erunt vera* (2). Christus ad Patrem ait: *Sermo tuus veritas est* (3), et *Deus verax est* (4). *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax* (5). Deus *non mentitur* (6); *impossibile est mentiri Deum* (7). Equidem haec argumentatio, ex S. Scriptura petita, circulo vitioso laborare videtur, quia infallibilis S. Scripturae auctoritas necessario iam veracitatem Dei supponit: sed quia haec axiomatum loco in Theologia habetur, et rationi per se innotescit, non immerito S. Bibliorum testimonia proferuntur, quibus Deus ipse protestatur, se nonnisi vera manifestare velle, et mentiri non posse.

Prob. 2° *ex ratione. a)* Deus est Ens simplicissimum in quo nulla contradictio inveniri potest. Sed si Deus falleret, seu mentiretur, in intellectu divino esset cognitio veritatis, et in voluntate supponendus esset actus, cognitioni, seu intellectui, ac proinde ipsi essentiae divinae repugnans, et falsitatis manifestationem decernens: talis autem repugnantia, seu contradictio in ente simplicissimo et perfectissimo, in quo omnia attributa ipsam essentiam constituunt, locum habere nequit; quapropter ipsa ratio pronuntiat, impossibile esse mentiri Deum. *b)* Ex intimo sensu nobis persuasum est rationem nostram a Deo creatam, et destinatam esse ad cognoscendam veritatem. Sed si Deus hominibus falsa, seu mendacia revelaret et credenda proponeret, simul rationis finem vellet et simul nollet, quae contradictio in Deo absolute impossibilis est, *c)* Lex moralis cuilibet praecipit, ut mendacia fugiat, et nonnisi vera loquatur; ideo quicunque sanae mentis est, magni aestimat hominem veracem, et vilipendit hominem mendacem. Sed legis moralis omnisque bonitatis principium, fons summumque exemplar est voluntas divina. Ergo bonum est, veritatem amare et nonnisi vera loqui, quia Deus veritatem amat et nonnisi vera loqui vult, et malum est a veritate recedere et mendacia proferre, quia Deus quae vera non sunt, etiam manifestare non vult. *d)* Veracitas Dei optime etiam ex universali hominum consensu probatur: quamvis enim multi de facta divina revelatione dubitaverint, aut eam pror-

(1) Num. 23, 19. (2) 2 Reg. 7, 28.
(3) Io. 17, 17. (4) Io. 3, 33.
(5) Rom. 3, 4. (6) Tit. 1, 2.
(7) Hebr. 6, 18.

sus negare praesumpserint; nunquam tamen inventus est quisquam, qui Deum auctorem esse mendacii, seu falsa ab ipso proferri asseruerit. Ipsi gentiles Philosophi veracitatem Dei agnoverunt, e. g. *Proclus, Alcinous, Simplicius*, qui docuerunt, quod Deus ita sit omnis veritatis principium, sicut sol luminis (1). Iudaei et Christiani eloquia divina semper ut infallibiliter vera habuerunt, et quamvis non pauci inter istos extiterint, qui dicta divina male intelligerent, et perverse exponerent, nullus tamen asseruit, Deum errasse, aut fefellisse. Ita menti humanae, ceu axioma certissimum inditum est Deum summe veracem esse, eumque nec falli, nec fallere posse (2).

Nota 1. Deus non solum summe verax, sed et ipsa Veritas est: quapropter Christus de seipso ait: *Ego sum via, veritas, et vita* (3). Quomodo autem Deus rectissime ipsa Veritas dicatur, egregie cum *S. Thoma* (4) ostendit *D. Billuart* (5) dicens: « Triplex distingui potest veritas. Prima in essendo, et est proprietas entis, secundum quam habet esse ratum, fixum, et tale, quod sit conforme intellectui divino res cognoscenti prout debent esse: atqui esse divinum non solum est conforme suo intellectui, sed est ipsummet suum intelligere: ergo non solum est in Deo veritas in essendo, sed est Ipse veritas. — Secunda in cognoscendo, est conformitas cognitionis cum re cognita: atqui cognitio, seu intelligere divinum non solum perfectissime attingit omnia ut sunt, sed ipsum etiam est mensura omnium rerum, omnium intellectuum et omnium intellectionum, et ipsius nulla est mensura: ergo non solum est in eo veritas cognitionis, sed Ipse est prima et summa veritas. — Tertia in dicendo, quae dicitur veracitas, est conformitas dictionis cum cognitione: impossibile est autem Deum mentiri, ut ait Apostolus (6), eo quod sit prima et essentialis veritas. »

Nota 2. *a)* Si Deus veracissimus est, et nec falli, nec fallere potest, omnia, quae ipse loquitur, manifestat, aut revelat, certissima et infallibilia sunt, et ideo firmissima fide suscipi, et teneri debent; nam de illis dubitare sacrilegium est: ideo Christus ait: *Qui non crediderit, condemnabitur* (7). *b)* Veracitatem Dei etiam imitari debemus, nonnisi vera loquentes, mendacia autem cautissime fugientes. Ideo legitur: *Loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo* (8); et *Os, quod mentitur, occidit animam* (9). Veracitatis praestantiam gentilis Philosophus *Pythagoras* agnovit, qui, quaesitus, quidnam potissimum homines similes Diis faciat? respondit: « Cum vera loquuntur » (10).

II. *De Fidelitate Dei.*

§ 47. Fidelitas Dei est illa divina perfectio, qua Deus promissiones a se factas certissime ac infallibiliter adimplet.

Deum fidelissimum esse

Prob. 1° *ex Ss. Litteris*, in quibus summa Dei fidelitas saepe praedicatur, ut homines ad ea, quae a Deo promissa sunt, firmiter speranda excitentur. Dicitur: ***Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, iustus et rectus*** (11). ***Ipse est Deus fortis et fidelis, custodiens pactum, et misericordiam diligentibus se*** (12). ***Testimonium Domini***

(1) Ap. D. Huet quaest. Al. l. 2, c. 2, n. 17.
(2) Cf. Berti l. 2 c. 7. (3) Io. 14, 6
(4) Q 16, a. 5. (5) Diss. 6, a. 5, § 2.
(6) Hebr. 6. (7) Marc. 16, 16.
(8) Zach. 8. 16. (9) Sap. 1, 11.
(10) Cf. Wiest § 188.
(11) Deut. 32, 4.
(12) Ibid. 7, 9.

fidele (1). *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis* (2). Fidelitatem Dei indefectibilem etiam Christus contestatur dicens: *Coelum, et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt* (3). *Fidelis enim est, qui repromisit* (4). *Ille fidelis permanet, negare seipsum non potest* (5). *Si confiteamur peccata nostra: fidelis est Deus, et iustus, ut remittat nobis peccata nostra* (6).

Prob. 2° *ex ratione. a)* Fidelitas Dei facile infertur ex eius veracitate et omniscientia. Deus enim veracissimus non esset, nisi etiam fidelissimus esset in adimplendis promissis. Cum enim Deus omnia, sicut praeterita et praesentia, ita et futura cognoscat, promittens, se facturum esse, quod tamen reapse facturus non esset, profecto mentiretur: sicuti ergo Deus mentiri non potest, ita etiam ab adimplendis promissionibus suis deficere nequit. *b)* Fidelitas Dei confirmatur etiam ex eius omnipotentia et immutabilitate. Homines enim hincinde vel ob supervenientia impedimenta non possunt, vel ob mutatam suam voluntatem nolunt ea quae promiserant, adimplere. Deus autem omnipotens, et ipsius voluntas immutabilis est: ergo semper potest, et semper vult, quae promisit, adimplere.

Nota 1. Fidelitas Dei praecipuum spei nostrae fundamentum constituit. Ex cognito enim hoc attributo sequitur obligatio nostra, bona a Deo nobis promissa certo expectandi. Ut haec spes, tam necessaria ad salutem, et tam efficax ad gratias divinas obtinendas in nobis excitaretur, Deus promissiones fecit, easque non raro etiam iureiurando confirmare dignatus est: ideo in V. T. frequenter legitur: *Vivo ego, dicit Dominus*; et in N. T. Christus saepe ait: *Amen, amen dico vobis:* Haec autem ad fidelitatem Dei in promissis ostendendam, et ad spem nostram confirmandam ordinari testis est Paulus, qui scribit: *Deus quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iuravit per semetipsum. Homines enim per maiorem sui iurant: et omnis controversiae eorum finis ad confirmationem est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis haeredibus immobilitatem consilii sui, interposuit iusiurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam, ac firmam* (7).

Nota 2. De fidelitate Dei in promissis hincinde dubitare incipiunt, qui in multiplicatis suis orationibus non exaudiuntur. Satis clare enim Deus orantibus omnia promisit: Christus enim ait: *Petite, et dabitur vobis* (8); et: *Omnia quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient vobis* (9). A tam magnificis promissionibus Deus deficere videtur, dum plurimas preces ad se fusas non exaudit. Sed ne tale quid de Deo cogitemus, observandum est, promissiones divinas conditionibus alligatas esse, quibus oratio praedita esse debet, ut exaudiri mereatur. Ex harum conditionum defectu contingit, ut oratio nostra inefficax maneat; quod egregie declarat *S. Augustinus* dicens: « Ideo non exaudimur, quia vel mali, vel mala, vel male petimus. » Et sane ipsa S. Scriptura testatur, illos, qui *mali*, seu peccatores sunt, et a via iniquitatis recedere nolunt, a Deo non exaudiri; nam de peccatoribus in tri-

(1) Ps. 18, 8. (2) Ps. 144, 13.
(3) Matth. 24, 35. (4) Hebr. 10, 23.
(5) 2 Tim. 2, 13. (6) 1 Io. 1, 9.

(7) Hebr. 6, 13 etc. (8) Matth. 7, 7.
(9) Marc. 11, 24.

Digitized by Google

bulatione positis ait: *Tunc invocabunt me, et non exaudiam: mane consurgent, et non invenient me: eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint* (1). Similiter non exaudimur, si *mala* seu talia petimus, quae voluntati divinae et saluti nostrae contraria sunt: haec petentibus merito dicitur: *Nescitis quid petatis* (2); nam a Deo bono nonnisi bona speranda esse, ipsa ratio docet, et Christus ipse promissionem suam petentibus factam declarans ait: *Pater vester, qui in coelis est, dabit bona petentibus se* (3). Denique saepe oratio nostra non exauditur, quia *male*, i. e. non cum requisita humilitate, confidentia, et devotione petimus; quapropter Apostolus dicit: *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis* (4): Idem orantem monet, ut *postulet in fide nihil haesitans; qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur: non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino* (5).

Nota 3. Ad huius attributi divini imitationem in promissionibus faciendis sinceri et prudentes, atque in illis adimplendis fideles simus. Nam aliquid promittere absque voluntate seria implendi, mendacium est; aliquid promittere, cui implendo pares non sumus, amentia, et cum conscientia suae impotentiae id facere, dolus est; datam fidem revocare inconstantia et iniustitia est.

ARTICULUS XIII.
De Iustitia Dei.

§ 48. 1. Iustitia latiori sensu omnium virtutum complexum, seu ipsam moralem perfectionem significat: e. g. quando Christus ait: *Quaerite ergo primum regnum Dei, et iustitiam eius* (6); et: *Beati, qui esuriunt, et sitiunt iustitiam* (7); in hoc sensu homines, qui officia sua adimplent, et vitam legibus divinis conformem agunt, iusti dicuntur, ut: *Dominus diligit iustos* (8). *Iusti haereditabunt terram* (9). *Iustorum semita quasi lux splendens procedit* (10). Sed iustitia in sensu strictiori specialem virtutem designat, quae distinguitur in *commutativam* et *distributivam*. Commutativa est virtus, qua redditur alteri, quod ei debitum est pro accepto, aut ablato: distributiva est virtus, qua Principes et Praelati iuxta subditorum dignitatem et capacitatem officia et onera imponunt, et sic, recto ordine servato, bonum societatis promovent, ac praeterea debita pro meritis praemia et condignas pro delictis poenas decernunt. Haec ideo iustitia subdividitur in *remuneratoriam*, quae debita pro meritis praemia, et in *vindicativam*, quae condignas pro delictis poenas decernit.

2. Iustitia in latiori sensu sumpta, in Deo est ipsa sanctitas infinita de qua iam actum est. — Si autem iustitia in sensu strictiori ut specialis virtus consideretur, Theologi omnes conveniunt, Deo non posse adscribi iustitiam *commutativam*; cum enim Deus omnium Creator et absolutus Dominus sit, non potest in creaturis respectu ipsius dominium, seu ius exigendi, aut in Deo obligatio dandi, vel reddendi cogitari: quapropter *S. Thomas* (11) de iustitia commutativa ait: « Haec non competit Deo quia Apostolus ait: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei* (12)? » Nonnulli quidem dicunt, in aliquo sensu iustitiam

(1) Prov. 1, 28. (2) Matth. 20, 22. (3) Matth. 7, 11. (4) Iac. 4, 6. (5) Iac. 1, 6-7. (6) Matth. 6, 33. (7) Ib. 5, 6. (8) Ps. 145, 8. (9) Ps. 36, 29. (10) Prov. 4, 18. (11) I, q. 21, a. 1. (12) Rom. 11, 35.

commutativam de Deo praedicari posse, quia nostra bona opera ex gratiae auxilio facta aliquam cum praemio proportionem acquirunt: sed in sensu stricto id admitti nequit, tum quia opera nostra bona non ex natura sua, sed ob promissiones divinas ex sola benignitate factas, praemium merentur, tum quia ipsa gratia, per quam illa fiunt, est gratuitum donum Dei; quamobrem *S. Augustinus* (1) inquit: « Quaecumque sunt bona opera mea, abs te mihi sunt, et ideo tua magis, quam mea sunt. » — Iustitia *distributiva* omnino de Deo praedicanda, sed cum humana non confundenda est. Nam Principes et Praelati officia et onera iuxta dignitatem et capacitatem subditorum distribuere debent, quia bonum societatis per apta media promovere obligantur, atque ideo iustitiam violant, minus idoneis magni momenti officia committentes, aut nimis gravia onera subditis imponentes. Deo autem neque ex lege, neque ex pacto ulla obligatio inest: Deus ergo bonum creaturarum per apta media producit et conservat, non quia tenore iustitiae ad hoc obligatur, sed quia liberrime vult, et quia eius voluntas infinita sapientia est. Potest autem haec ipsa sapientia divina, quae pulcherrimum ubique ordinem conservat, iuxta nostrum concipiendi modum, iustitia distributiva appellari. Ideo *S. Thomas* (2) ait: « Sicut ordo congruus familiae, vel cuiuscunque multitudinis gubernatae demonstrat huiusmodi iustitiam in gubernante: ita ordo universi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quam in rebus voluntariis, demonstrat Dei iustitiam. Unde dicit *Dionysius* (3): Oportet videre in hoc veram Dei esse iustitiam, quod omnibus tribuit propria secundum uniuscuiusque existentium dignitatem, et uniuscuiusque naturam in proprio salvat ordine et natura. » — Ad iustitiam vero distributivam praecipue spectat remuneratio bonorum et punitio malorum, et hanc iustitiam remuneratoriam et vindicativam Deo inesse, ex revelatione et ratione constat. Nonnulli Theologi contendunt, quod Deus absolute teneatur punire impios, idque sit de conceptu Dei essentiali: sic *Honor. Tournely* (4) ait: « Existimamus, Deum sanctum et iustum, qui necessitate suae naturae peccatum odio habet et aversatur, non posse peccatum omnino impunitum dimittere, quamvis liberrimus sit quoad modum, mensuram, gradum, durationem poenae, imo personam, a qua poenam illam repetit. » — Omni iure autem haec sententia ab aliis Theologis reiicitur, quia conceptui Dei, Entis primi et independentis repugnat, ut lex aut quaecumque ratio prior statuatur, per quam voluntas divina ad puniendum peccatum obligetur. Ita *Laur. Berti* (5) admittit, quod Deus necessario odio habeat peccatum: «at, inquit, non est verum, ex odio consequi necessario vindictam, si id quod odio habetur, possit sine vindicta deleri: nulla iudici supremo accedit ratio debiti, per quam teneatur de culpa vindictam sumere. » Omnem legem divina voluntate priorem, aut superiorem negat etiam S. Thomas (6) dicens: « Deus quod secundum suam voluntatem facit, iuste facit; sicut et nos, quod secundum legem facimus, iuste facimus, sed nos quidem secundum legem alicuius superioris, Deus autem sibi ipsi est lex. » Idem (7) expresse dicit, quod institia Dei sit ipsa voluntas divina. Recte ergo iustitia divina definitur: immutabilis

(1) In Ps. 37. (2) 1, q. 21, a. 1.
(3) De div. Nom. c. 8. (4) Q. 19, a. 1.

(5) Disc. theol. l. 28, c. 1. (6) L. c. ad 2
(7) 3 q. 46, a. 2.

et efficacissima Dei voluntas merita remunerandi, et peccata puniendi.

3. Esse in Deo iustitiam, seu immutabilem et efficacissimam voluntatem merita remunerandi, et peccata puniendi

PROB. 1° *ex S. Scripturae effatis*, in quibus Deus iustus dicitur, aut eius iustitia laudatur: *Omnes viae eius (Dei) iudicia: Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, iustus et rectus* (1). *Iustus Dominus, et iustitiam dilexit* (2). *Paravit in iudicio thronum suum, et ipse iudicabit orbem terrae in aequitate, iudicabit populos in iustitia* (3). *Iustitia plena est dextera tua* (4). *Iustitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos*(5). *Iustus es, Domine: et rectum iudicium tuum* (6). *Iustus Dominus in omnibus viis suis* (7). *Iustus es, Domine, qui es, et qui eras, sanctus, qui haec iudicasti* (8). — S. Scriptura etiam frequentissime contestatur, Deum remunerare bonos, malos vero punire. Abraham ad Deum ait: *Absit a te, ut rem istam facias, ut occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius, non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram* (9). *Iustum et impium iudicabit Deus* (10). *Cum ergo sis iustus, iuste omnia disponis; ipsum etiam, qui non debet puniri, condemnare exterum aestimas a virtute tua*(11). Deus *inspector est cordis,... reddetque homini iuxta opera sua* (12). De Deo iudice dicitur: *Tunc reddet unicuique secundum opera eius*(13). Paulus annuntiat diem *iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam: iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio*(14). In specie iustitia remunerativa de Deo praedicatur: *Dicite iusto... quoniam fructum adinventionum suarum comedet*(15). *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam* (16). *Non enim iniustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius* (17). *Bonum certamen certavi.... in reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex* (18). Iustitia vindicativa Deo adscribitur: *Vae impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei* (19). *Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium*(20). *Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem et iniustitiam hominum*(21). Deus ait: *Mihi vindicta: ego retribuam* (22).

PROB. 2° *ex S. Scripturae exemplis*. In primis Deus iustitiam suam erga Spiritus, hominibus praestantiores, ostendit; nam, *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*(23). Angelos vero bonos visione beatifica (24) remuneravit. — Quod homines attinet, Deus iam *in periodo patriarchali* suam iustitiam remunerativam in iusto *Noë* conservato, in fideli *Abrahamo*, magnis benedictionibus repleto, in timorato *Iacobo*, apud Labanum bene-

(1) Deut. 32, 4. (2) Ps. 10, 8.
(3) Ps. 9, 8 etc (4) Ps. 47, 11.
(5) Ps. 84, 14. (6) Ps. 118, 137.
(7) Ps. 144, 17. (8) Apoc. 16, 5.
(9) Gen. 18, 25. (10) Eccl. 3, 17.
(11) Sap. 12, 15. (12) Prov. 24, 12.

(13) Matth. 16, 27. (14) Rom. 2, 5 etc.
(15) Is. 3, 10. (16) Ps. 17, 25.
(17) Hebr. 6, 10. (18) 2 Tim. 4, 7.
(19) Is. 3, 11. (20) Ps. 5, 6 etc.
(21) Rom. 1, 18. (22) Rom. 12, 19.
(23) 2 Petr. 2, 4. (24) Matth. 18, 10

Digitized by Google

dicto, et contra fratris iram protecto, in innocenti *Iosepho*, usque ad solium regium exaltato, et in patienti *Iobo* ostendit, cui septuplum bonorum redditum est. Iustitia autem Dei vindicativa tum in punitione primi peccati a *protoparentibus* commissi, tum in *diluvio*, tum in interitu *Sodomae* et *Gomorrhae* conspicua facta est.— *In periodo mosaica* iustitiam divinam, sub qua Moyses constitutionem sanxit, tota nationis historia commonstrat: Israëlitae enim, legem divinam fideliter observantes, felices fuerunt; quoties autem a mandatorum divinorum observantia temere recesserunt, magnas calamitates experti sunt. (Cf. *Th. gen.* art. 4, § 99, et seq.) Eadem iustitia divina in liberatione populi israëlitici, et in plagis *Aegypti*, in *Saule* ob inobedientiam reiecto, et *Davide* ob innocentiam exaltato, in pio *Ezechia* liberato, et blasphemi *Sennacheribis* exercitu profligato, in *Daniele* e lacu leonum erepto, et eius calumniatoribus a leonibus devoratis, atque in multis aliis factis clarissime apparuit. *In periodo christiana* Apostolis primisque fidelibus, qui Christum verbis et operibus intrepide confessi sunt, non bona temporalia, sed bona spiritualia, copiosae gratiae, et extraordinaria quoque charismata collata, et aeterna bona promissa sunt; iustitia autem vindicativa in morte Ananiae et Saphirae, in obcaecatione Elimae, et praecipue in eversione urbis Hierosolymae, et gentis iudaicae dispersione se manifestavit (1).

Prob. 3° *ex Ss. Patribus*. *Tertullianus*(2) ait: « Usque adeo iustitia etiam plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, et Patrem, et Dominum; Patrem clementia, Dominum disciplina; Patrem potestate blanda, Dominum severa; Patrem diligendum pie, Dominum timendum necessario. » *S. Chrysostomus* (3) dicit: « Si quis Deus, ut profecto est, sequitur, eum etiam iustum esse; nisi enim sit iustus, ne Deus quidem est. Quod si iustus est, unicuique pro meritis reddit: atqui videmus, non omnes pro meritis recipere: proinde necessario alteram nobis repositam retributionem speremus, ut cum pro meritis unusquisque receperit, appareat iustitia divina. » *S. Augustinus* (4) inquit: « Deum iustum negare, sacrilegum est, et de eius iustitia dubitare amentia; » et (5) docet, iustitiae divinae nihil subtrahi, hominemque semper, aut obsequendo, aut patiendo, institiae leges implere; ait enim: « Si non reddit faciendo quod debet, reddet patiendo, quod debet. » Denique passim Ss. Patres in suis sermonibus iudicia Dei, virtutis praemia et peccati poenas describunt, ut fideles a vitiis deterreant, et ad pietatis studium impellant.

Prob. 4° *ex ratione*. *a*) Omnibus hominibus intime persuasum est, bonum et iustum esse, ut actiones bonae remunerentur, malae vero puniantur. Abhorret ideo mens humana a poena innocenti infligenda, et a praemio pro impia actione conferendo. Nihil autem bonum, sanctum, et iustum est, nisi quod Deus vult, quia eius voluntas est ipsa Bonitas, Sanctitas et Iustitia, et omnis boni, sancti et iusti fons et origo. Ipse ergo sensus intimus, cui lucet aeterna veritas, in hoc inextinguibili lumine agnoscit immutabilem Dei voluntatem bonos remunerandi et malos puniendi, seu agnoscit iustitiam divinam, et de

(1) Cf. Dobmayr § 18, n. 3.
(2) L. 2, c. Marcion. c. 13.
(3) Hom. Daemones non gubern. mund. n. 5.
(4) De lib. arbitr. l. 1, c. 1.
(5) Ibid. l. 3, c. 15.

Digitized by Google

hac dubitare non potest. Hinc etiam fit, ut post actionem bonam grata in nobis sensio oriatur, et conscientia nos favore divino dignos pronuntiet; at post actionem malam ingrata sensio exurgat, conscientia remordeat, et animus ultricem supremi Numinis manum pertimescat. Sensiones istae, quas, teste Historia, etiam Gentiles, barbarique populi experti sunt, satis ostendunt, sicut existentiam Dei, ita etiam iustitiam divinam per se hominibus notam esse. *b*) Finis, quem Deus ipse hominibus praefixit, est moralitas, et huic correspondens felicitas. Ut autem haec harmonia moralitatis et felicitatis actu perficiatur, ratio practica postulat non solum Deum omniscium, qui sciat, et omnipotentem, qui possit, sed etiam iustissimum, qui velit actionibus bonis competens praemium tribuere, et actiones malas condigna poena afficere. Sicut ergo certum est, Deum velle hominis finem, seu moralitatis et felicitatis harmoniam, ita etiam indubitatum est, Deum velle remunerare bonos et punire malos, quia contradictio in Deum cadere nequit. *c*) Voluntas Dei sanctissima omne bonum amat, et omne malum aversatur. Sed amare in Deo est velle, seu dare alicui bonum (§ 40, n. 1), et odium in Deo est negare, aut subtrahere gratiam, seu poenam infligere (ibid. n. 2.) Ergo Deus quemlibet bene agentem remuneratur, et quemlibet peccantem punit. Ideo etiam nonnulli dicunt, iustitiam divinam non esse nisi ipsam Dei sanctitatem exterius (per leges, iudicia, praemia et poenas) manifestatam (1).

Nota 1. Quantum iustitia divina eam, quae ab hominibus exercetur, antecellat, ex variis momentis facile colligitur. *a*) Homines enim ea, quae ab aliis aut bene, aut male peraguntur, saepe penitus ignorant, interna non penetrant, et in humanis actionibus diiudicandis frequenter falluntur: Deum vero nihil latet: *Omnia autem nuda, et aperta sunt oculis eius* (2); ipse scrutatur corda et renes (3); et in diiudicandis hominum meritis et demeritis aberrare non potest: ideo in S. Bibliis iustitia divina etiam *veritas* appellatur; e. g.: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi* (4); quem in locum *S. Thomas* (5) dicit: « Ponitur ibi veritas pro iustitia. » *b*) Homines infirmi sunt, neque semper condigno modo merita remunerari, aut delicta punire possunt; non raro etiam accidit, ut humanae iustitiae vindicta, aut a deliquentibus declinetur, aut ab aliis impediatur. — Deus vero omnipotens hominum merita non solum in hac vita temporalibus et spiritualibus bonis, sed etiam in altera vita immensis atque aeternis gaudiis remunerare valet. Et quot modis Deus omnipotens peccata hominum ulcisci potest? *Multa sunt flagella peccatoris* (6). Deus enim peccatorem iam in hac vita per temporalium et spiritualium bonorum subtractionem, eius animam per conscientiae remorsus, taedia moeroresque, eiusque corpus per omnis generis morbos, dolores, aerumnas calamitatesque punire, et in altera vita *potest et animam, et corpus perdere in gehennam* (7). Nullus quoque peccator ultricem manum Omnipotentis effugere valet (8). Neque est, qui ex illa eripiat (9). *c*) In iudiciis humanis non semper iustitiae et aequitatis leges observantur; dantur merita, quae praemium non recipiunt, et delicta,

(1) Frint, § 78, Klee p. 75, Staudenmayr. § 71. (2) Hebr. 4, 13. (3) Ier. 17, 10.
(4) Ps. 84, 11. (5) 1, q. 21, art. 2

(6) Ps. 31, 10 (7) Matth. 10, 28.
(8) Ps. 138, 7 etc. (9) Ps. 49, 22.

quae poenam non experiuntur: ex inordinata affectione, aut partium studio hinc inde uni praemium datur, quod magis merenti negatur, et poenae quandoque non tam ex iustitiae amore, quam ex ira et vindictae studio infliguntur. — Longissime ab his differunt *iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa* (1). Deus enim *iudicabit orbem terrarum in iustitia, et populos in aequitate* (2). Ne minima quidem actio praemio frustratur, sicuti nec minimum peccatum poenam evadit; Christus enim ait: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae.... amen dico vobis non perdet mercedem suam* (3); et: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii* (4). Nulla etiam inordinata affectio, aut passio in Deo locum habet, et ideo *non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum, et operatur iustitiam, acceptus est illi* (5). Si ergo Deus praemia promittit, et elargitur, aut poenas minatur, et infligit, id non fit nisi ex sapientissimo consilio, ut sanctitatem suam manifestet, et ut homines, quos liberos esse vult, per fortissima motiva ad nobilissimum suum finem consequendum impellat. *d*) Denique iustitia humana, quae circa externas solum actiones exercetur, et intra vitae huius terminos continetur, satis plerumque comprehendi et diiudicari potest. Sed iustitia Dei qui probat corda et renes, qui effectum magis pensat, quam censum, et qui non solum in hac vita, sed potissimum in altera vita praemia poenasque dispensat, incomprehensibilis est. Quapropter Psalmista ad Deum ait: *Iudicia tua abyssus multa* (6); et Apostolus exclamat: *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius* (7) Dei! - Ideo nobis haec investigare et diiudicare non licet, sed quidquid ordinaverit Deus, dicendum a nobis est cum Propheta: *Universa, quae fecisti nobis, in vero iudicio fecisti* (8). « Neque enim, ait *S. Augustinus* (9), dubitandum est esse iustum, etiam quando facit, quod hominibus videtur iniustum. »

Nota 2. Iustitiam divinam inter Gentiles negarunt *Epicuraei*, qui Deum ad hominum actiones non attendere dictitabant; et inter Christianos, teste Tertulliano (10), *Marcionitae*, qui iustitiam a Deo removebant, quia natura bonus, optimus est. Huc referendi sunt, qui, duce *Calvino*, docuerunt, Deum absoluto decreto ante praevisionem peccatorum pro lubitu suo quosdam ad interitum et aeterna supplicia praedefinivisse. Accusantur a pluribus negatae iustitiae divinae vindicativae *Sociniani* et *Arminiani*: « Verum si eorum sententiam rite ponderemus, ait Wiest, (11), negarunt tantum, Deum necessitari ad puniendum. » *Thom. Hobbes*, Deum vindicem non negat, sed eum tanquam tremendum tyrannum proponit, qui ideo solum punit, quia irresistibili potentia gaudet. Denique nonnulli cum *Conr. Dippelio, Tindalio, August. Eberhardo* aiunt, Deum esse meram charitatem (12) et bonitatem, quae nec offendi, nec irasci, nec punire potest: haec eadem sententia multis arridet corruptis hominibus, qui inordinatis suis cupiditatibus inservire, et tamen inulti manere desiderant. — Sed errant, qui ita sentiunt. Nam verum equidem

(1) Ps. 18, 10. (2) Ps. 97, 10.
(3) Matth. 10, 42. (4) Matth. 12, 36.
(5) Act. 10, 34-35. (6) Ps. 35, 7.
(7) Rom. 11, 33. (8) Dan. 3, 31.
(9) Serm. 22 de verb. Ap.
(10) L. 2 adv. Marc. c. 11. (11) § 97.
(12) 1 Io. 4, 6.

est, quod Deus, Ens supremum et independens, omnipotens et immutabile non possit offendi ea ratione, qua homines offenduntur, ita ut damnum aliquod ei inferatur, ut reddatur imperfectior, aut in statu suae felicitatis turbetur; sed tamen Deus potest alia ratione offendi, scilicet omissione officiorum, quae ei debentur, seu transgressione legum, quas ipse praescripsit. Homo enim, qui Deo Enti supremo servire recusat, voluntatem suam voluntati perfectissime non subiicit, et ut inordinatis suis cupiditatibus indulgeat, leges divinas conculcat, vere Deum contemnit, et quamvis ei non noceat, tamen per hunc contemptum, quantum in se est, veram ei iniuriam infert, et sic rectissime eum offendere dicitur. Hanc porro hominis malitiam poena dignam esse, non solum Revelatio docet, sed etiam ipse sensus intimus dictat. Admittimus etiam, Deum nullatenus posse humano more irasci; sed ideo nullatenus negari potest, quod iam demonstratum fuit, Deum (sine ira, et sine alia passione) immutabilem voluntatem habere, sicut bonos remunerandi, ita et malos puniendi. Equidem in S. Scriptura frequenter de bonitate Dei sermo est, et Deus charitas dicitur; sed si una perfectio divina exaltatur, altera neque negatur, neque minuitur, quoniam quaelibet perfectio divina infinita est. Dein quemadmodum Deus dicitur *charitas*, ita quoque alibi dicitur *sanctitas* (1), et *ignis consumens* (2). Iam vero sicuti ex hoc loco concludi nequit, in Deo non dari *charitatem*, seu amorem erga creaturas, ita etiam ex citato loco Ioannis nequit concludi in Deo non dari iustitiam punitivam, sed utrumque Deo attribuendum est. Porro amor Dei omnium primo tendit in ipsum Deum utpote ens perfectissimum, adeoque omnium maximo amore dignum; quae vero extra Deum sunt, Deus amat propter se, et pro gradu bonitatis quem habent: nullo modo autem convenit sanctitati divinae, amare peccatum: ergo detestatio peccati non obstat amori, quo Deus fertur in creaturas, atque amor Dei erga creaturas omnino consistere potest cum iustitia punitiva, seu punitione peccati (3). Caeterum de nexu iustitiae et misericordiae divinae inferius sermo instituetur, et reliquae difficultates, quae iustitiae divinae opponi solent, partim in tractatu de providentia divina, partim in tractatu de statibus alterius vitae, in quo in specie de praemiis iustorum et poenis impiorum agitur, solvendae sunt.

Nota 3. Seria divinae iustitiae consideratio ad moralitatem promovendam utilissima est. *a*) Iustitiae divinae severitas praecipue peccatoribus ante oculos ponenda est, ut ad poenitentiam excitentur. Hac consideratione *Ionas* Ninivitis salutarem incussit timorem, eosque ad poenitentiam adduxit: eadem Iudaeorum animos commovit *Ioannes Baptista* inquiens *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum poenitentiae... Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (4). Ex eadem ratione Christus Iudaeis acclamavit: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis* (5). *b*) Iustitiae divinae consideratio illud etiam utilitatis habet, ut a peccatis futuris nos deterreat: cum enim recogitat aliquis, quantam iustitia divina vindictam in hac vita de peccatis

(1) I Petr. 1, 15. (2) Hebr. 12, 29.
(3) V. Wiest, § 177. (4) Matth. 3, 7 etc.
(5) Luc. 13, 5.

non raro sumpserit, et quale supplicium impiis post hanc vitam destinaverit, tum affectus carnalis, qui amore legis divinae a peccato nondum cohibetur, timore saltem poenae compescitur. Quapropter Psaltes regius Deum ita precatur: *Confige timore tuo carnes meas: a iudiciis enim tuis timui* (1). *c*) Iustitia Dei remunerativa piis solatio sit, oportet; nam si in hac vita premuntur et opprimuntur inique, spem habent certissimam, in altera vita vexatae innocentiae mercedem se relaturos esse ab illo Deo, qui exaltat humiles, et legitime certantibus immarcescibilem coronam elargitur.

ARTICULUS XIV.

De bonitate Dei.

§ 49. Triplex a Theologis bonitas distingui solet, nimirum *naturalis*, quae in ipsa naturae perfectione consistit; *moralis*, quae est liberae voluntatis cum recta ratione conformitas; et *relativa*, quae est propensio aliis impertiendi bona, aut eos provehendi ad statum perfectiorem. — Cum bonitas illa, quae naturalis dicitur, nihil aliud sit, quam naturae perfectio, patet, Deo hoc sensu infinitam inesse bonitatem, quia infinite perfectus, et omnis bonitatis prima causa est. Ideo Christus ait: *Nemo bonus nisi solus Deus* (2). Deus enim solus a seipso, et per essentiam bonus est, et reliqua omnia solum bona fiunt in quantum participant de bonitate Dei: quapropter *S. Augustinus* (3) inquit: « Omnia bona a Deo bono, non a se. Qui fecit haec super omnia bonus est, quia nullus eum fecit bonum, sed a se ipso bonus est. » Et *S. Thomas* (4) dicit: « Oportet, quod cum bonum sit in Deo, sicut in prima causa omnium, sit in eo excellentissimo modo, et propter hoc dicitur summum bonum. » — Sed de hac bonitate Dei, quam naturalem, seu physicam dicunt, seu de infinita Dei perfectione iam (§ 7) actum est, sicut et de morali eius bonitate, seu infinita sanctitate (§ 44). Superest ergo, ut *de bonitate Dei relativa* hic agatur. Haec coincidit cum amore Dei erga creaturas, quia in quantum Deus has amat, in tantum eis bona vult et confert (§ 40 n. 1): unde Dei bonitas relativa etiam *Charitas*, seu *Amor Dei* dici potest, ex quo tanquam ex suo principio et fonte bona cuncta procedunt. Sed dantur etiam alia nomina, quibus bonitas relativa insigniri solet: dicitur enim *benevolentia*, dum affectu voluntatis constat, et *beneficentia*, dum factis se ostendit: dicitur *gratia*, dum immerentibus bona concedit, et *liberalitas*, dum copiosa beneficia dispensat: dicitur demum *misericordia*, dum miseris, ac praecipue peccatoribus compatitur, eisque subvenit; *patientia*, seu *longanimitas* dum illatas iniurias, seu peccata tolerat, haud statim de istis vindictam sumens; *clementia*, seu *magnanimitas*, dum illatas iniurias, seu peccata condonat, promeritasque poenas remittit. — In huius attributi divini pertractatione 1° *de bonitate Dei relativa* in genere, 2° *de misericordia divina erga peccatores*, ac demum 3° *de nexu misericordiae divinae cum iustitia divina* agetur.

Nota. Bonitas divina in toto Universo conspicua est, et erga omnes creaturas in coelo et in terra se manifestat. Pro nobis autem summi momenti est, ut cognoscamus bonitatem et misericordiam, quam Deus erga genus humanum, etiam postquam in peccata lapsum est, ostendit. Haec divinae bonitatis, et misericordiae o-

(1) Ps. 118 120. (2) Luc. 18, 19. (3) Serm. 29. (4) I, q 6, a. 2 in c.

Digitized by Google

pera in Theologiae dogmaticae decursu fusius exponentur, hic autem obiter tantum indigitantur, ut perfectio divina, de qua agimus, clarius nobis illucescat.

I. *De bonitate Dei relativa.*

§ 50. 1. Etiam inter homines dantur, qui erga alios se non solum benevolos, sed et beneficos et liberales ostendunt, et haec eorum bonitas tanquam praeclara virtus, et magna perfectio aestimari et laudari solet. Cum autem sana ratio dictet, quamlibet veram perfectionem in summo et infinito gradu Deo ceu Enti perfectissimo inesse, ex hoc ipso principio eadem ratio quodammodo adigitur ad summam et infinitam erga alios bonitatem Deo adscribendam. Summopere autem cavendum est, ne bonitas divina cum humana confundatur, sed *discrimina*, quae inter hanc et illam obversantur, probe attendenda sunt. Nam *a*) bonitas humana limitata et infirma est, a causis externis impediri, aut a propria impotentia hebetari potest; neque homo omnibus benefacere valet, sed saepe, quod uni tribuitur, alteri subtrahendum est. Dei autem bonitas limites nescit, et cum sit omnipotentiae iuncta, a nemine impediri, nec difficultatem aliquam incurrere potest; ipsa ad omnes creaturas extenditur, quae quidquid sunt, ab ipsa habent; neque a Deo uni quidpiam subtrahendum est, si aliis maxima quoque bona elargiri velit. *b*) Bonitas humana dependens est, legibus subiacet, atque ideo per defectum, aut per excessum peccare, et aut in avaritiae, aut in prodigalitatis vitium degenerare potest. Bonitas autem divina independens est, legibus nullis subiacet, sed sibi ipsi summa est lex, atque ideo nec defectum pati, nec modum excedere, nec iustitiam laedere potest; quia independens voluntas divina sicut omnis iustitiae, ita omnis bonitatis prima causa, fons et origo est. *c*) Homines per motiva ad bene agendum incitantur; priusquam enim aliquid actu velint, iam dici potest: bonum est, ut hoc decernant, faciant, conferant etc. Non autem ita de Deo disserere licet. Cum enim Deus undequaque sit Ens primum, independens, et omnium rerum suprema causa, nihil potest esse bonum, priusquam Deus illud velit: nunquam ergo Deus aliquid vult, quia bonum est, sed omnia bona fiunt, quia Deus vult. Id satis clare docet *S. Augustinus* (1) dicens: « Omnia bona a Deo bono, non a se. » Et *S. Thomas* (2) ait: « Unumquodque dicitur bonum bonitate divina sicut primo principio exemplari, effectivo et finali totius bonitatis. » Clare hoc idem *S. Thomas* docet (3): « Quia voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea movetur sicut ab obiecto; amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius, sed e converso bonitas eius vel vera vel aestimata provocat amorem quo ei volumus et bonum conservari, quod habet, et addi quod non habet, et ad hoc operamur. Sed amor Dei est infundens et creans bonitatem in rebus. » Si ergo Deus est omnis boni causa, non potest bonum quoddam causa, seu motivum esse, quod voluntatem divinam ad agendum impellat.

2. Deum infinite bonum, seu beneficum et liberalem esse

Prob. 1° *ex operibus divinis*. Bonitas enim divina inprimis elucet ex opere creationis, quo Deus verbo virtutis suae coelum et terram, et omnia, quae in eis sunt, ex nihilo ita

(1) L. c. (2) 1, q. 6, a. 4 in o.

(3) 1, q. 20, a. 2 in o.

produxit, ut omnes creaturae sicut omnipotentiae et sapientiae, ita et bonitatis suae testes sint; nam *vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona* (1). Inter creaturas autem visibiles Deus se maxime liberalem erga hominem ostendit cuius corpori organico, mira concinnitate constructo, animam intellectu et libera voluntate praeditam insufflavit, eamque imagine sua ornavit: quam hominis formationem admirans Psalmista exclamat: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria, et honore coronasti eum: et constituisti eum super opera manuum tuorum* (2). Et sane homo a beneficiis divinis se undique circumdatum cernit. Corpora enim coelestia ipsi lumen affundunt: terra innumeras arbores plantasque producit, quarum aliae oculos coloribus aliae nares odore aliae gustum suavitate aliae medicinales corpus aegrotum recreant; animalia plurima partim ad alimentum, partim ad servitium, partim ad delectationem hominis destinata sunt. Quid dicam? Angelis suis quoque Deus mandavit, ut homines custodiant in viis suis (3). Maximum autem privilegium hominis est, quod ad serviendum Deo, ac fruendum Deo destinatus sit. Ad quem nobilissimum finem, ut homo perveniat, Deus non solum lumen rationis in ipso accendit, et legem inscripsit in cordibus eius, sed eundem etiam per extraordinariam et supernaturalem Revelationem instruere dignatus est. Imo *multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime... locutus est nobis in Filio* (4) suo Unigenito, quem nobis ut Magistrum, Ducem et Redemptorem dedit, ex quo dono infinito infinita Dei bonitas clarissime patescit. Idcirco Christus loculentissimum divinae bonitatis argumentum proponens ait: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam* (5).

PROB. 2° *ex S. Scriptura*, in qua bonitas Dei frequenter collaudatur. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius* (6). *Suavis Dominus universis: et miserationes eius super omnia opera eius...* (7). *Oculi omnium in te sperant, Domine: et tu das escam illorum in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione* (8). *Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti* (9). *Quam bonus, et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus* (10). Ut autem Deus specialem suam erga homines bonitatem manifestet, eorundem Pater vocari non dedignatur. Ideo Moyses populo israëlitico, Deum exaltans, acclamavit: *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te* (11)? *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se* (12). *Tu, Domine, pater noster, redemptor noster, a saeculo nomen tuum* (13). Frequentius in N. T. Deo patris nomen, bonitas, et cura respectu hominum adscribitur (14). Imo Deus suam erga homines bonitatem tenerrimo matris amori praefert dicens: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui* (15). Denique Deum

(1) Gen. 1, 31. (2) Ps. 8, 6-7.
(3) Ps. 90. (4) Hebr. 1, 1 etc.
(5) Io. 3, 16. — Cf. Tit. 2, 11, Rom. 8, 32.
(6) Ps. 105, 1. — Cf. Ps. 106, 117, 135.
(7) Ps. 144, 9. (8) Ibid. v. 15 etc.
(9) Sap. 11, 25. (10) Sap. 12, 1.
(11) Deut. 32, 6. (12) Ps. 102, 13.
(13) Isa. 63, 16. (14) Matth. 5, 15, c. 6, v. 9 et 15, c. 23, 9. Rom. 8, 15, Ephes. 4, 6. 1 Cor. 8, 6. (15) Isa. 49, 15.

omnium bonorum largitorem esse, testatur Paulus: *Ipse dat omnibus vitam, et inspirationem, et omnia* (1); atque Iacobus: *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum* (2).

Prob. 3° *ex ratione*. Bonitas Dei relativa a priori demonstrari nequit; haec enim ex conceptu Dei haud necessario infertur tum quia Deus infinite perfectus esset, etiamsi nihil creasset, tum quia nullum motivum cogitari potest, quo Deus, Ens primum et independens, ad aliquid creandum, aut concedendum adigatur. A posteriori vero summam Dei bonitatem erga creaturas, et praecipue erga homines ratio quoque agnoscit. Nam dummodo oculos aperiamus, plurima entia ad nostrum commodum a Deo producta esse cernimus, ex quibus, teste *Huetio* (3), iam antiqui Philosophi *Plato*, *M. T. Cicero*, aliique summam Dei erga homines bonitatem rectissime intulerunt. Sed Deus non solum creaturas finitas et transitorias in commodum hominis procreavit, sed — quod est maximae bonitatis argumentum — homini etiam concessit, ut summo et infinito bono, quod est Ipse, frui possit. Ideo sane Deus homini se se per intellectum cognoscendum et per voluntatem amandum praebuit: verus autem et purus amor efficit, ut de cognitis amati perfectionibus in corde gaudeamus. Dum ergo Deum recte cognoscimus et sincere amamus, de infinitis eius perfectionibus gaudere, atque ita summo bono frui possumus: et hoc modo vere pro gradu amoris, seu moralitatis correspondens felicitatis gradus exurgit, ac Deus, dum perfectum erga se amorem, seu perfectam moralitatem praecipit, summe bonus erga hominem ostenditur. — In hac equidem vita perfecte Deo frui non possumus, quia tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis infirmi sumus: sed beatissimam summi Boni fruitionem etiam in altera, seu in aeterna vita pro nobis destinatam esse, innuit iam nobis innatum summae et aeternae felicitatis desiderium, quod Deus naturae nostrae non indidisset, nisi illud, posita moralitatis conditione, etiam exsatiare vellet. Ex hoc autem ipsa ratio cognoscit, Deum summe beneficum esse erga hominem, quem ad aeternam summi et infiniti Boni fruitionem destinavit, qua nil melius suaviusque cogitari potest.

Nota 1. Omnia attributa divina sunt ipsa essentia Dei: eadem ergo voluntas Dei, quae est infinita Bonitas, est simul infinita Sapientia, et infinita iustitia, atque ideo Bonitas, sapientiae et iustitiae iuncta operatur. Quamvis ergo Deus multa bona hominibus sine praeviis eorum meritis benignissime conferat, alia tamen sapientissime et iustissime solis eorum meritis concedit. Idcirco Deus speciali modo dicitur diligere iustos (4), humilibus dare gratiam (5), sperantes in se protegere (6), misericordes largiter remunerari (7), vincentibus dare manna absconditum (8) etc. etc. Ex hisce et similibus promissionibus divinis elucet tum bonitas divina, quae se diffundere cupit, tum sapientia divina, quae finem homini praefixum promovet, tum iustitia divina, quae bona promissa merentibus certissime concedit, immeritis autem negat. Ex eadem ratione Deus, qui omnes indigentias nostras cognoscit, et unico nutu nobis sem-

(1) Act. 17, 25. (2) Iac. 1, 17. (3) Q. Alnet. l. 2. (4) Ps. 145, 9 (5) Iac. 4, 6. (6) Ps. 90. (7) Luc. 6, 38. (8) Apoc. 2, 17 etc

Digitized by Google

per subvenire valet, sapientissime ac iustissime vult a nobis precibus exorari, ut mentem ad superna elevantes cum ipso uniamur et virtutibus imbuamur. Ideo in S. Scriptura passim divina effata occurrunt. *Invoca me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me* (1). *Tu, Domine suavis, et mitis, et multae misericordiae omnibus invocantibus te* (2). *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate* (3). *Petite, et dabitur vobis: quaerite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis* (4). Omnes autem istae exhortationes et promissiones, quid sunt nisi clarissima divinae bonitatis argumenta? « Deus non nos hortaretur ad petendum nisi dare vellet », ait *S. Augustinus* (5). Inter homines dantur, qui petentibus subveniunt, sed vix invenies quemdam, qui praeceptis et promissionibus quoslibet miseros et pauperes provocat ad petendum.

Nota. 2. Bonitatem Dei relativam indirecte saltem sustulerunt *Stoici*, aliique, qui Deum fato subiecerunt, ex quo sequitur ipsum omnia dura necessitate, non libera bonitate efficere. *Epicuraei* omnia casui adscribenda esse, et Deum in otio residentem res huius mundi non curare docuerunt. *Hobbesius* Deum ceu despotam proposuit pro solo arbitrio sine sapientia et bonitate agentem. *Bayle* ex variis, quae in mundo observantur inordinationibus ac malis, bonitatem divinam impugnare, aut saltem dubiam reddere tentavit. Difficultates autem istae in tractatu de providentia divina enodabuntur.

Nota. 3. *a*) Bonitatem suam erga nos Deus per plurima beneficia manifestat, quae nobis quoad corpus et animam confert. Haec beneficia sedulo recolere, pro illis frequenter gratias agere, illis solum ad Dei gloriam uti, et per illa continuo magis magisque amore divino accendi debemus. *b*) Bonitatem divinam etiam imitari oportet. Ideo S. Ioannes scribit: *Charissimi, diligamus nos invicem: quia charitas ex Deo est* (6): et iterum: *Si sic Deus dilexit nos: et nos debemus alterutrum diligere* (7). Sed, *non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate* (8).

(1) Ps. 49, 15. (2) Ps 85, 5.
(3) Ps 144, 18 (4) Luc. 11, 9.
(5) Ap. S. Bonav. serm. 5 ind. civ.

(6) 1, 4, 7. (7) V. 11.
(8) 1, 10. 3, 18.

II. *De misericordia Dei.*

§ 51. 1. Misericordia sumitur vel pro illo tristitiae affectu, qui in nobis ex aliena miseria excitatur, vel pro efficaci voluntate alienam miseriam sublevandi. Priori sensu misericordia non est in Deo, sed posteriori tantum. Id docet *S. Thomas* (9) dicens: « Misericordia est Deo maxime attribuenda, tamen secundum effectum, non secundum passionis affectum. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod misericors dicitur aliquis, quasi habens miserum cor: quia scilicet afficitur ex miseria alterius per tristitiam, ac si esset eius propria miseria: et ex hoc sequitur quod operetur ad depellendam miseriam alterius sicut miseriam propriam, et hic est misericordiae effectus. Tristari ergo de miseria alterius non competit Deo: sed repellere miseriam alterius hoc maxime ei competit. » — Maxima autem, vel ut rectius loquamur, unica miseria hominis in peccato consistit, per quod a fine suo recedit, moralitatem laedit et felicitatem amittit, ac propter offensam Deo illatam poenis se dignum reddit. Misericordia divina itaque prae-

(9) 1, q. 21, a 3 in o.

cipue erga homines peccantes consideranda venit. Hanc autem ratio sibi relicta nobis explicare et demonstrare non valet. Quamvis enim ratio per experientiam edocta quodammodo divinam patientiam et longanimitatem cognoscere possit, qua magni hincinde peccatores diu tolerantur, et non solum promeritas poenas haud experiuntur, sed etiam temporalibus bonis replentur; nullatenus tamen certo determinare valet, an, et quomodo Deus post commissam culpam placari possit, seu an et quomodo illatas sibi iniurias remittere velit (Cf. *Th. gen*, § 59). Ad revelationem ergo recurrendum est, per quam de infinita Dei misericordia certiores reddamur.

2. Iuxta doctrinam Revelationis infinita Dei misericordia triplici potissimum actu se manifestat. Deus enim peccatores diu quandoque tolerat, tempus ad resipiscendum eis concedens: praeterea iisdem non solum bona temporalia, sed etiam gratias supernaturales clementissime elargitur, quibus ad poenitentiam excitantur: ac demum vere poenitentes benignissime suscipit, peccata eis remittit, et amore suo ipsos participes reddit.

Talem misericordiam Deo vere inesse

Prob. 1° *ex Ss. Litteris V. T.* in quibus quamvis lex timoris proponatur, tamen persaepe Dei misericordia, patientia et clementia erga peccatores praedicatur: *Dominator, Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multae miserationis* (1). Moyses populo Israëlitico dicit: *Deus misericors Dominus Deus tuus est* (2). Deus ipsa misericordia dicitur: *Adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia mea* (3). *Miserator et misericors Dominus: longanimis, et multum misericors, non in perpetuum irascetur: neque in aeternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem coeli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras* (4). *Apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius* (5). *Miserator, et misericors Dominus: patiens et multum misericors. Suavis Dominus universis: et miserationes eius super omnia opera eius* (6). Eandem infinitam Dei misericordiam contestantur Prophetae: *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas et revertatur ad Dominum, et miserebitur eius, et ad Deum nostrum: quia multus est ad ignoscendum* (7). Israëlitis nomine Dei acclamant: *Quiescite agere perverse, discite benefacere... si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus velut lana alba erunt* (8). *Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat* (9). *Nunc ergo dicit Dominus: convertimini ad me in toto corde vestro... quia benignus et misericors est, patiens et multae misericordiae, et praestabilis super malitia* (10). *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poeniten-*

(1) Ex. 34, 6. (2) Deut. 4, 31.
(3) Ps. 58, 18. (4) Ps. 102, 8 etc.
(5) Ps. 129, 7. (6) Ps. 144, 8 etc.
(7) Isa. 55, 7.
(8) Ibid. c. 1, v. 16 etc.
(9) Ezech. 33, 11 (10) Ioel. 2, 12-13.

tiam (1). *Parcis autem omnibus quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas* (2). Hanc divinam misericordiam experti sunt *Israëlitae*, quotiescunque per veram poenitentiam ad Deum conversi sunt, *David*, dum contrito corde dixit: peccavi, *Ninivitae* et alii.

Prob. 2º *ex Ss. Litteris N. T.*, in quibus misericordia Dei maximis encomiis exaltatur. Christus clementiam laudat Patris coelestis, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos* (3). Petrus ait: *Deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire sed omnes ad poenitentiam reverti* (4). Paulus scribit: *An divitias bonitatis eius, et patientiae, et longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit* (5)? et Deum vocat: *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis* (6). Christus aperte professus est: *Non egent, qui sani sunt medico sed qui male habent. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam* (7): ideo (8) se comparat pastori, qui amissam ovem sedulus quaerit, inventam humeris suis imponit, et gaudens domum reportat. Misericordiam Dei (9) erga peccatores proponit sub imagine Patris, qui filium prodigum redeuntem benignissime suscipit, et paternis bonis iterum participem reddit. Maximum autem divinae erga homines in peccata lapsos misericordiae argumentum est, quod Deus *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (10), ut per eius sanguinem et mortem a peccatis purgati vitam consequamur aeternam. Divinae erga peccatores clementiae testes in N. T. adduci possunt *Magdalena* (11): *Zachaeus* (12): *Mulier samaritana* (13): *Latro in cruce* (14): *Petrus* (15): *Thomas* (16): *Paulus* (17), et alii.

Prob. 3º *ex Ss. Patribus*, qui in laudanda divina misericordia frequentes sunt. *S. Chrysostomus* (18) exclamat: « Num grave aliquid, et molestum a nobis requirit Deus? — Contritionem vult cordis, compunctionem mentis: confessionem casus, sedulitatem continuam; et non solum largitur vulnerum curam, sed et eum, qui antea innumeris peccatorum sarcinis gravabatur, iustum efficit. O misericordiae magnitudineml o bonitatis excellentiam! » — *S. Augustinus* (19) inquit: « Aurum etsi volueris, non habebis forte: Deum cum volueris habebis: quia et antequam velis, venit ad te: et cum adversa voluntate esses, vocavit te; et cum conversus esses, terruit te, et cum territus confitereris, consolatus est te. » Idem (20) scribit: « Maior est Dei misericordia, quam omnium hominum miseria. » *S. Hieronymus* (21) ait: « Quamvis se teneat Deus, ut non misereatur, tamen vincit illum misericordia sua. » *S. Gregorius M.* (22) dicit: « Revocemus ante oculos mala quae fecimus: pensemus, ex quanta Dei benignitate toleremur: consideremus, quae sunt pietatis eius viscera, ut non solum culpas indulgeat, sed coeleste regnum poenitentibus etiam post culpas remittat, atque ex omnibus medullis cordis dicamus singuli, dicamus omnes: *Deus meus misericordia mea!* »

Nota 1. Infinitam Dei misericordiam non agnovit *Cain*, qui post com-

(1) Sap. 11, 24. (2) Ibid. v. 27.
(3) Matth. 5, 45. (4) 2 Ep. 3, 9.
(5) Rom. 2, 4. (6) 2 Cor. 1, 3.
(7) Luc. 5, 31 etc. (8) Luc. 15, 4 etc.
(9) Ibid. v. 11. (10) Rom. 8, 32.
(11) Luc. 7. (12) Luc. 19. (13) Io. 4.
(14) Luc. 23, 42 etc. (15) Matth. 26, 77.
(16) Io. 20, 26 etc. (17) Act. 9.
(18) Hom. 20 in Gen. (19) En. in Ps. 32
(20) Idem de Spir. et Litt.
(21) In Ps. 76, v. 9. (22) Hom. 19, n. 7.

Digitized by Google

missum fratricidium dixit: *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (1). Eodem sinistro iudicio agitatus *Iudas* laqueo se suspendit. Hos secuti sunt nonnulli scelerati, qui peccata peccatis cumulantes tandem in desperationis barathrum inciderunt. — Inter Philosophos gentiles *Stoici* distortos planeque erroneos de misericordia conceptus sibi efformarunt, eamque non inter virtutes, sed inter vitia numerarunt, dicente *Seneca* (2): « Misericordia est vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorum succedentis; itaque pessimo cuique est familiaris. Anus et mulierculae sunt, quae lacrymis nocentissimorum moventur. »

Nota 2. *a*) Qui conscientiam suam multis magnisque peccatis oneratam sentientes iudiciorum divinorum timore concutiuntur, infinitam Dei misericordiam sedulo considerare, cum plena fiducia ad illam recurrere, et sine cunctatione omnia perficere debent, quae ad peccatorum veniam obtinendam a clementissimo Deo requiruntur. Haec facientes non solum ab omnibus peccatis purgabuntur, sed etiam copiosis gratiis divinis replebuntur. *Non enim*, ait Paulus, *habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae: ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* (3). *b*) Misericordiam Dei etiam imitari debemus, dicente Christo: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est* (4). Sicut ergo Deus infinitus, Rex Regum, et Dominus Dominantium peccatores tolerat, ipsis benefacit, eorumque offensas condonat, debemus et nos diligere inimicos nostros, benefacere his, qui oderunt nos, et iniurias nobis illatas ex corde dimittere, ut simus filii Patris nostri, qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, etc. (5).

(1) Gen. 4, 13 (2) L. 2 de clement. c. 5.
(3) Hebr. 4, 15-16. (4) Luc. 6, 36.

III. *De nexu misericordiae divinae cum iustitia Dei.*

§ 52. Captu difficillimus esse videtur modus, quo in Deo infinita iustitia et infinita misericordia simul coniungantur. Iuxta nostrum enim conceptum, infinita iustitia, omnia peccata cum summo rigore punire; infinita vero misericordia omnia peccata cum maxima clementia condonare debet. Deus ergo exercendo iustitiam videtur ab infinita misericordia deficere, et exercendo misericordiam videtur iustitiam violare. Clamitant ideo increduli, apertam contradictionem in nostra doctrina inveniri, cum duo sibi e diametro opposita attributa infinita de uno, eodemque Deo praedicamus. — Magni profecto momenti est, ut haec difficultas solide solvatur. Fatemur equidem, quod intimum iustitiae et misericordiae divinae nexum perfecte perspicere nullo modo valeamus, quia essentia Dei incomprehensibilis est, sed tamen haud difficile est ostendere, quod in nostra doctrina nulla contradictio reperiatur, et quod infinita misericordia cum infinita iustitia optime in Deo consistere possit.

1. Nonnulli adductam difficultatem quasi per partes solvunt, ostendendo, quod Deus nec exercendo iustitiam a misericordia deficiat, nec misericordiam exhibendo iustitiam violet. Et sane — *a*) Deus, dum iustitiam suam exercet, a misericordia non deficit: punit enim Deus, ut maiestatem suam auctoritatemque legum tueatur; pu-

(5) Matth. 5, Luc. 6.

Digitized by Google

nit, ut odium suum adversus peccata et amorem erga probos manifestet, iudiciisque suis probet, quam sit ab omni malo alienus; punit, ut emendet peccatores, aut si non resipiscunt, ut alii per ipsos vel emendentur, vel coërceantur, sintque omnibus in exemplum. Deus ergo iustitiam exercet ut hominum moralitatem, et sic etiam eorundem felicitatem promoveat, quod certe misericordiae est adscribendum. Itaque quemadmodum bonus sapiensque pater, dum filium inobedientem corripit, bonus esse non cessat, sed in ipsa poenae inflictione sapiens bonus et misericors dicendus est; ita etiam Deus iustas poenas infligens simul misericordiam suam manifestat, praecipue quia iuxta commune Theologorum adagium semper punit citra condignum. Ideo etiam a nonnullis Iustitia divina definitur: « Bonitas sapienter administrata. » Eadem ratione iam *Tertullianus* ostendit, iustitiam divinam a misericordia non esse seiunctam; ait enim (1): « Omne iustitiae opus procuratio bonitatis est, quod iudicando damnat, quod damnando punit, quod, ut dicitis, saevit; utique bono, non malo proficit. Denique timor iudicii ad bonum, non ad malum confert. » *b*) Ita pariter Deus dum peccatoribus parcens, et ignoscens, misericordiam exercet, nullatenus iustitiam laedit.

Id ostendit *S. Thomas* (2) dicens: « Deus misericorditer agit, non quidem contra iustitiam suam faciendo, sed aliquid supra iustitiam operando: sicut si alicui, cui debentur centum denarii, aliquis ducentos det de suo, tamen non contra iustitiam facit, sed liberaliter, vel misericorditer operatur: — et similiter, si aliquis offensam in se commissam remittat. Qui enim aliquid remittit, quodammodo donat illud; unde Apostolus remissionem donationem vocat: *Donate invicem, sicut et Christus vobis donavit* (3). Ex quo patet, quod misericordia non tollit iustitiam, sed est quaedam iustitiae plenitudo. Unde dicitur: *Quod misericordia superexaltat iudicium* (4). »

2. Probe attendenda sunt discrimina quae inter Deum hominesque obversantur. Isti enim in iustitiae, ac misericordiae exercitio legibus subsunt, unde fit, ut vel per excessum, vel per defectum peccare, et per excessivam iustitiam a debita misericordia deficere, aut per intempestivam misericordiam requisitam iustitiam laedere possint. Ast omnino aliter de Deo est disserendum. Deus enim, ens primum et independens, legibus nullis subest, et ideo nullatenus ad instar hominum per excessum, vel per defectum ita peccare potest, ut aut a debita misericordia deficiat, aut requisitam iustitiam laedat. — Sed independens et simplicissima Dei voluntas est ipsa iustitia et ipsa misericordia; et ideo quidquid Deus vult, eo ipso quia vult, et iustum et bonum est; atque sicut in simplicissima Dei voluntate contradictio dari nequit, ita etiam iustitia divina, et misericordia divina sibi opponi non possunt. Clarius id patet, si ipsam doctrinam rite perpendamus, quam nobis circa peccatorum punitionem, aut condonationem revelatio exhibet. Haec enim docet, quod in Deo sit voluntas, omnia peccata, quae per baptismum, aut poenitentiam non delentur, puniendi, peccata autem, quae per baptismum, aut poenitentiam delentur, condonandi: eadem divina voluntas sub priori respectu iustitia, sub posteriori misericordia appellatur: illum duplicem autem actum in eadem

(1) L. 2 c. Marcion. c. 13.

(2) I. q. 21. a. 3 ad 2.

(3) Ephes. 4.

(4) Iac. 2.

simplicissima voluntate sine ulla contradictione consistere posse, sole clarius est. — Infinita autem recte dicitur tum iustitia, tum misericordia divina non ex effectibus quos producit, et qui infiniti esse non possunt, sed quia infinita est voluntas, quae operatur; sicut etiam immensitas Dei non ex spatiis infinitis, quae occupat, et potentia infinita non ex creaturis infinitis, quas producit repetitur.

3. Infinitam misericordiam cum infinita iustitia coniunctam revelatio nobis optime exhibet in humani generis in peccatum lapsi redemptione, de qua inferius agendum erit. Nam *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam* (1). Ex hoc dono infinito utique infinita Dei charitas, seu misericordia elucet. Filius autem Dei incarnatus ex *mandato Patris* (2), *tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam* (3); nimirum passus, et mortuus est, *ut repropitiaret delicta populi* (4). Deus ergo sacrificium infiniti valoris in satisfactionem pro peccatis exegit, atque id infinitam profecto iustitiam commonstrat. Tali modo revelatio infinitae iustitiae, et infinitae misericordiae unionem nobis patefacit, quam ratio sibi relicta nunquam agnoscere potuisset.

Nota 1. Theologi communiter cum S. Thoma (5) docent, quod in quolibet opere Dei misericordia, et iustitia inveniantur. Id testatur S. Scriptura dicens: *Universae viae Domini misericordia, et veritas* (6), i. e. iustitia. Omnia enim operatur divina voluntas, quae infinita iustitia et infinita misericordia est. — A nobis quidem aliqua opera divinae iustitiae, et alia divinae misericordiae tribuuntur. Ast id non eo sensu accipiendum est, quasi unum attributum divinum sine alio agat, sed quia in quibusdam operibus divinis, magis iustitia, et in aliis magis misericordia menti nostrae apparet. Sic in damnatione peccatorum Deus nobis suam iustitiam, non autem suam misericordiam manifestat; et in hoc sensu intelligenda sunt verba Apostoli: *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam* (7): quae verba sibi obiiciens *S. Thomas* (8), respondet: « Dicendum, quod quaedam opera attribuuntur iustitiae et quaedam misericordiae, quia in quibusdam vehementius apparet iustitia, in quibusdam misericordia. Et tamen in damnatione reproborum apparet misericordia, non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter allevians, dum punit citra condignum. Et in iustificatione impii apparet iustitia, dum culpas relaxat propter dilectionem, quam tamen ipse misericorditer infundit: sicut de Magdalena legitur (9). »

Nota 2. Divinam misericordiam ita animo perpendere debemus, ut divinae iustitiae non simus immemores: si enim ad solam misericordiam attendatur, pertimescenda erit nimia confidentia, seu temeraria praesumptio: si vero iustitia sola consideretur, timenda erit pusillanimitas et desperatio: ut igitur extrema haec duo vitia declinentur, divinam misericordiam simul, et iustitiam prae oculis habeamus, et frequenter, ac serio in corde meditemur. Egregie hanc in rem disserit *S. Augustinus* (10), dicens: « Nemo sibi ad impunitatem blandiatur de misericordia Dei, quia est et iudicium: et nemo in melius commutatus exhorreat iudicium Dei, quia

(1) Io. 3, 16. (2) Io. 10, 18
(3) Ephes. 5, 2 (4) Hebr. 2, 17.
(5) 1, q. 21, a. 4. (6) Ps. 24, 10.
(7) Iac. 2, 13. (8) L. c. ad 1.
(9) Luc. 7, 47. (10) In Ps. 100.

Digitized by Google

praecedit misericordia. Homines enim quando indicant, aliquando victi misericordia faciunt contra iustitiam, et videtur in eis esse misericordia, et non esse iudicium; aliquando autem rigidum volentes tenere iudicium, perdunt misericordiam. Deus autem nec in bonitate misericordiae perdit iudicii severitatem, nec in iudicando cum severitate amittit misericordiae bonitatem. »

ARTICULUS XV.
De beatitudine, maiestate, pulcritudine, et gloria Dei.

§ 53. Ex attributis, seu perfectionibus divinis hactenus consideratis tamquam corollaria recte deducuntur: 1° *infinita beatitudo*, 2° *summa maiestas et pulcritudo*, ac 3° *gloria Dei*, quae in toto universo manifestatur.

I. *De beatitudine Dei.*

Beatitudo a *Boëtio* (1) definitur: « Status omnium bonorum aggregatione perfectus, » cui nonnulli addunt « remotis omnibus malis. » Similem de beatitudine conceptum nos omnes habemus; quemlibet enim eo beatiorem iudicamus, quo magis ab omni malo, indigentia, dolore, etc., remotus est, quo maius est bonum, quod possidet, et quo perfectior est modus, quo illo fruitur, seu cum imperturbato gaudio in eo acquiescit. Exinde facile inferri potest, quanta sit beatitudo Dei. Deus enim, ut ens a se, et infinitum ab omni malo, ab omni defectu, ab omni dolore remotissimus est, unde Apostolus dicit: Deus... *nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia* (2). Deus in seipso est bonum, summum et immensum, perfectionibus infinitis praeditum, et omnium rerum causa ita, ut dicatur: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (3). Deus denique per intellectum infinitum perfectissime seipsum cognoscit, et per infinitam voluntatem perfectissime seipsum amat, et in seipso ineffabili gaudio acquiescit, quod sicut non augeri, ita nec minui, nec perturbari potest: et ex hoc infinita Dei beatitudo exsurgit, cum qua nulla alia comparari potest. Quamvis enim etiam Angeli et Sancti in coelo summo et infinito bono fruantur, hoc tamen non in seipsis, sed in Deo cognoscunt, neque infinita illius cognitione, neque infinito amore praediti esse possunt. Ideo a Paulo per antonomasiam dicitur Deus *beatus, et solus potens* (4). Quae verba expendens *Theodoretus* (5), « Nomen *beatus*, inquit, divina appellatio est: testis est divinus Apostolus exclamans: *Beatus, et solus potens Deus.* » *S. Gregorius Naz.* (6) dicit: « Quod vere beatum habendum sit, ipsum Numen divinum est. » *Tertullianus* (7) ait: « Solus Deus de incorruptibilitatis proprietate felix. Irascetur enim, sed non exacerbabitur, movebitur, et non evertetur, etc. » Neque solum Ss. Patres, sed etiam gentiles Philosophi summam Deo beatitudinem adscripserunt. Sic *Cicero* (8) ait: « Ea est Dei vita, qua nihil beatius cogitari potest: » imo observante *Huetio* (9): « Summa beatitate et aeternitate Deos frui, optimam ducere vitam, omnibusque adfluere bonis vulgo, atque adeo sibi ipsi persuasum esse declaravit *Aristoteles* (10). Nec Aliud, quam summam felicitatem, nectaris et ambro-

(1) L. 3 pros. 2.
(2) Act. 17, 25.
(3) Rom. 11, 36.
(4) 1 Tim. 1, 11 et ibid. 6, 15.
(5) Com. in Ps. 1.
(6) Orat. 1, de beatit.
(7) L. 2, adv. Marc. c. 16.
(8) L. 1, de nat. Deor.
(9) Quaest. Alnet. l. 2, c. 2, n. 22.
(10) De coelo, l. 1, c. 9.

siae figmentis Poëtae significarunt. » — Et sane ipsa ratio facile intelligit, Deum beatissimum esse. Deus enim plurima entia produxit, quae delectationum, gaudiorum et beatitudinis capacia sunt: quomodo autem ipse eorum expers erit, quorum primus, et unicus fons existit? — Certe ergo Deus seipsum tanquam summum et infinitum bonum cognoscens, et amans summa quoque beatitudine fruitur, quae sicut ipsa essentia divina, infinita, independens, aeterna et immutabilis sit, oportet. Sine tali beatitudine Deus non esset ens perfectissimum, quo maius meliusque cogitari non potest. In recto ergo Dei conceptu etiam infinita ipsius beatitudo continetur. — Deo equidem, in quo nihil imperfecti, aut limitati inveniri potest, sensibiles et corporeae delectationes, quales ex voluptatibus, divitiis aliisque terrenis rebus oriuntur, non conveniunt. Sed tamen, ait *S. Thomas* (1). « Divina beatitudo complectitur omnem beatitudinem. Quidquid enim est desiderabile in quacunque beatitudine vel vera, vel falsa, totum eminentius in divina beatitudine praeexistit. De contemplativa enim felicitate, habet continuam et certissimam contemplationem sui et omnium aliorum. De terrena vero felicitate, quae consistit in voluptate, divitiis, potestate, dignitate et fama, secundum Boëtium (2), habet gaudium de se, et de omnibus aliis pro delectatione; pro divitiis, habet omnimodam sufficientiam, quam divitiae promittunt; pro potestate, omnipotentiam; pro dignitate, omnium regimen; pro fama vero, admirationem totius creaturae. »

Nota 1. Vix invenitur, qui Dei beatitudinem negaverit. Falsum autem de hac conceptum habuit *Epicurus* docens, Deos in otio et ignavia summam felicitatem quaerere, et ideo res huius mundi non curare; existimavit enim, rerum administrationem non posse consistere cum beatitudine Dei. Sed gravissime hac in re erravit; nam providentia divina unico et simplicissimo intellectus et voluntatis actu perficitur, ac ideo infinitam Dei beatitudinem nec minuere, nec perturbare potest. — Deus equidem per peccata hominum offenditur, sed per haec nihil summae eius beatitudini detrahitur; nam in Deo tristitia, ira et caeterae affectiones, quae mentem perturbare et affligere solent, nullatenus inveniuntur (§ 40): qui ergo a lege divina aberrat, sibi, et non Deo, damnum infert, se, et non Deum, infelicem reddit. — Hallucinantur quoque qui putant, beatitudinem Dei non semper immobilem persistere, sed per creationem incrementum cepisse, et per bona iustorum opera continuo augeri; Deo enim nihil praeteritum et nihil futurum est, sed ipse omnia ut praesentia intuetur, et quia tempori nullo modo subiectus est, nulla quoque mutatio in ipso locum habet (3).

Nota 2. Deus seipsum cognoscendo et amando infinita beatitudine fruitur. Nostra quoque beatitudo eo maior erit, quo perfectius Deum cognoscimus et amamus. Perfecte quidem hac in vita Deo frui non possumus, sed in altera vita *videbimus eum sicuti est* (4); *Facie ad faciem* (5). Haec summa beatitudo est finis creationis nostrae, ad quem continuo tendere debemus. Quam vesanus simul et impius est, qui vanas mundi delectationes, et fugaces sensuum illecebras summo ac infinito Bono praeferre non erubescit (6)!

(1) 1, q. 26, a. 4 in c. (2) L. 3 pros. 10.
(3) Cf. [illegible] § 178. (4) 1 Io. 3, 2.
(5) 1 Cor. 13, 2. (6) Cf. Frint. § 96.

II. *De Maiestate et Pulcritudine Dei.*

§ 54. 1. Ex perfectionum divinarum complexu sequitur summa *Maiestas* Dei, quae est ipsa naturae divinae excellentia cum supremo absolutoque dominio in omnia. Maiestatem Dei nonnunquam conceptis verbis praedicat Scriptura: sic vocatur: *Deus Maiestatis* (1). *Benedictum nomen maiestatis eius in aeternum: et replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat* (2). *Domum maiestatis meae glorificabo* (3). Saepissime autem maiestas Dei acquivalentibus verbis insinuatur; ut: *Dominus Deus vester ipse est Deus Deorum, et Dominus Dominantium: Deus magnus, et potens, et terribilis* (4). *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis* (5). *Regnum tuum regnum omnium saeculorum, et dominatio tua in omni generatione, et generationem* (6). *Domine Deus... tu es Deus in coelo, et dominaris cunctis regnis gentium: in manu tua est fortitudo, et potentia, nec quisquam tibi potest resistere* (7). Maiestas Dei agnoscitur etiam a ratione: Deus enim est ens a se, infinitis perfectionibus praeditum, et prima omnium rerum causa: in Deo itaque caeterorum tota ratio existendi continetur, cuius libera voluntate condita sunt omnia, et a quo cuncta dependent. Habet proin eminentiam maximam, totiusque mundi absolutus Dominus est. In eminenti autem principatu, ac iure supremo residet maiestas.

2. Duplicem pulcritudinem distinguendam esse, nimirum corporalem et spiritualem, gentiles quoque Philosophi agnoverunt. Sic *M. T. Cicero* (8) ait: « Ut corporis est quaedam apta figura membrorum, cum coloris quadam suavitate, eaque dicitur pulcritudo; sic in animo opinionum iudiciorumque aequabilitas et constantia, cum firmitate quadam et stabilitate virtutem subsequens, aut virtutis vim ipsam continens, pulcritudo vocatur. » In simplicissima essentia divina pulcritudinem corporalem inveniri non posse, satis manifestum est: haec enim adinstar corporum ipsorum finita et corruptibilis est, Deo autem nihil finiti et corruptibilis adscribi potest. Infinita autem pulcritudo spiritualis omni iure de Deo praedicatur. Haec enim ex ipsis operibus divinis elucet. Nam, ait *S. Augustinus* (9): « Si pulcra sunt, quae fecit, quanto pulcrior est, qui fecit? » Eadem argumentatione ipsa S. Scriptura utitur. Monet enim homines, ut si rerum creatarum, et praecipue solis, lunae et astrorum pulcritudine abripiuntur, *sciant, quanto his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator haec omnia constituit* (10). Eodem modo si naturarum spiritualium, quae corporibus longe praestantiores sunt, aut operum cum magna sapientia et dexteritate confectarum, aut bonarum actionum cum magna virtute positarum pulcritudinem admiramur, meminisse debemus, *quanto his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator haec omnia constituit.* Sic: *A magnitudine speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri* (11), eiusque pulcritudo agnosci. Et sane si generatim pulcritudo ex adaequata partium harmonia et concinnitate exurgit, quanta est pulcritudo Dei, in quo omnia infinita

(1) Ps. 28, 3. (2) Ps. 71, 19.
(3) Is. 60, 7. — Cf. Ezech. 43, 2. Matth. 19, 28. Hebr. 1, 3. (4) Deut. 10, 17.
(5) Ps. 144, 3. (6) Ibid. v. 13.
(7) 2 Paral. 20, 6. (8) Tuscul. l. 4.
(9) En. in Ps. 148, n. 15.
(10) Sap. 13, 3. (11) Ib. v. 5.

Digitized by Google

attributa simplicitas et immensitas, aeternitas et immutabilitas, scientia et voluntas, omnipotentia et sanctitas, iustitia et misericordia unam eandemque simplicissimam essentiam constituunt? Certe pulcritudo creaturarum cum pulcritudine Dei comparari non potest: illa enim finita et caduca, haec infinita, aeterna et immutabilis est. Ideo *Dionysius* (1). Ens supremum infinita pulcritudine praeditum esse ostendit, « quia semper est, et eodem modo, ac sine ulla varietate pulcrum; ac neque oritur, neque occidit, neque crescit, neque minuitur: non partim pulcrum, partim turpe, vel aliquando pulcrum est, aliquando non est: neque ad hoc quidem comparatum est pulcrum, ad hoc vero non est: neque hic est, istic non est, tanquam quibusdam pulcrum sit, quibusdam non sit. Sed ideo, quod ipsum per se, secumque, et uniusmodi semper est pulcrum, et quod ipsum pulcritudinis, a qua pulcra omnia dicuntur, fontem in se excellenter ante complectitur. Etenim per simplicem et antecellentem pulcrorum omnium naturam, pulcritudo omnis et omne pulcrum una et simplici ratione secundum causam ante subsistit. » Hinc etiam *Alcinous*, Philosophus platonicus Deum « magnum pulcri pelagus » appellavit (2).

Nota. Infinita Dei maiestas maximam reverentiam, et infinita Dei pulcritudo summum amorem meretur. Ut ergo Deo reddamus, quae Dei sunt frequenter eius maiestatem et pulcritudinem considerare debemus. Ad hoc nos exhortatur *S. Augustinus* (3), dicens: « Qualis est pulcritudo Dei cogitate! omnia ista pulcra, quae videtis, quae amatis, ipse fecit. Si haec pulcra sunt, quid est ipse? si haec magna sunt, quantus est ipse? — Ergo de istis, quae hic amamus, illum magis desideremus, et contemnentes ista, illum diligamus, ut ipsa dilectione per fidem cor mundemus, et mundatum cor nostrum inveniat aspectum illius. »

(1) L. 4 de divin. nomin.
(2) Cf. Petav. de Deo l. 6, c. 8. Berti T. 1, L. 2, c. 8. (3) En. in Ps. 48, n. 9.

III. *De gloria Dei.*

§ 55. Theologi gloriam Dei *internam* et *externam* distinguere solent. Interna est ipsa Dei Maiestas, seu infinita naturae divinae excellentia, vi cuius Deus omni honore et cultu dignissimus est. Ideo Deus *Rex gloriae* (4), et *Pater gloriae* (5) dicitur, et legitur: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem* (6). Externa gloria requiritur ex parte Dei, ut perfectiones suas manifestet, et ex parte creaturarum rationalium, ut perfectiones divinas agnoscant et colant. Deus certe in toto Universo perfectiones suas manifestat; idcirco dicitur: *Coeli enarrant gloriam Dei* (7). *Plena est omnis terra gloria eius* (8). *Excelsus super omnes gentes Dominus, et super coelos gloria eius* (9). *Universa propter semetipsum* (10), i. e. ad gloriam suam *operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum*, nam et impius, quamvis invitus, iustitiam divinam manifestans gloriam Dei promovet. — Deus autem perfectiones suas manifestat, ut creaturae ratione et libertate praeditae, illas recte cognoscant et libere colant; praecipue enim in tali cognitione et cultu gloria Dei externa consistit, quae crescere et minui potest, quamvis gloria Dei interna semper immutabilis maneat. Dubitari etiam non potest, sum-

(4) Ps. 23, 10. (5) Ephes. 1, 17.
(6) Apoc. 4, 11. (7) Ps. 18, 1.
(8) Isa. 6, 3. (9) Ps. 112, 4. (10) Prov. 16, 4.

mum hominis officium esse, ut omnes facultates suas ad Dei gloriam promovendam impendat. Ad hoc enim saepissime S. Scriptura homines provocat dicens: *Afferte Domino gloriam, et honorem, afferte Domino gloriam nomini eius* (1). *Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius* (2). *Generatio, et generatio laudabit opera tua: et potentiam tuam pronunciabunt: Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur: et mirabilia tua narrabunt* (3). Isaias ostendit Deo soli omnem gloriam esse tribuendam; inducit enim Deum dicentem: *Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo* (4). Eodem modo etiam Paulus exclamat: *Soli Deo honor, et gloria* (5). Oportet ergo, ut Deum ceu bonum summum, et omnium bonorum auctorem cognoscamus, et non solum interne colamus, sed etiam praecipue post magna beneficia accepta ad exempla Moysis, Debborae, Davidis, Zachariae, B. V. Mariae et aliorum-linguam in laudes eius solvamus. Denique etiam actiones ad Dei gloriam referendae sunt. Ait enim Christus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est* (6); repetitque Apostolus: *Omnia in gloriam Dei facite* (7).

CAPUT IV.

DE UNITATE DEI

§ 56. Unum dicitur duobus potissimum modis, affirmative scilicet, et negative, seu exclusive. Priori sensu unum dicitur, quod est indivisum in se, et divisum a quolibet alio; sed praeter quod alia dari possunt eiusdem ordinis ac naturae: sic homo quilibet unus est, quia anima, corpus et alia accidentia e. g. doctrina, pietas, etc. in una persona consistunt, et unum individuum constituunt. Unum vero negative, seu exclusive dicitur, quod est unicum, et cuiuslibet sibi aequalis consortium excludit. Hoc sensu sol unus dicitur, quia unicus est, et praeter hunc alius eiusdem magnitudinis et splendoris oculis nostris non apparet.—Deus etiam priori sensu, seu affirmative per excellentiam unus dicendus est, quia omnia attributa divina unam eandemque simplicissimam essentiam constituunt. Sed Deum etiam negative, seu exclusive unum dicimus in ea strictissima significatione, quae cuiuslibet aequalis consortium excludit, ita ut Deus non tantum unus, sed et unicus sit. — Haec Dei unitas a nonnullis inter attributa divina recensetur, quod autem nostro conceptui de attributis divinis non satis congruum esse videtur. Nam propositio: *Deus est unus*, aequivalet duabus propositionibus, quibus dicitur: *Deus est*, et *praeter ipsum alius Deus non datur*: per priorem propositionem non attributum divinum, sed ipsa Dei existentia enuntiatur; per posteriorem vero non Deo aliquid tribuitur, neque limes, aut defectus ab eius essentia removetur, sed alterius Dei existentia negatur. Unitas Dei ergo non est speciale attributum divinum, sed talis veritas, quae ex recte cognitis attributis divinis facillime eruitur. Hic iam 1° *unitatem Dei probare*, et 2° *errores huic dogmati oppositos* recensere ac refellere oportet.

(1) Ps. 28, 2. (2) Ps. 65, 1.
(3) Ps. 144, 4, etc. (4) 42, 8.

(5) 1 Tim. 1, 17. (6) Matth. 5, 16.
(7) 1 Cor. 10, 31.

ARTICULUS I.
Unitatis Dei demonstratio.

§ 57. Deum unum, seu unicum esse, et praeter ipsum nullum alium Deum dari tum *ex Revelatione*, tum *ex ratione* probatur.

I. *Argumenta ex Revelatione hausta.*

1. *S. Scriptura V. T.* clarissime unitatem Dei docet, et plurium Deorum existentiam manifestissime negat. Dicitur: *Dominus ipse est Deus, et non est alius praeter eum* (1). *Audi Israël, Dominus Deus noster Dominus unus est* (2). Deus ipse Israëlitis acclamat: *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me: ego occidam, et ego vivere faciam: percutiam, et ego sanabo, et non est, qui de manu mea possit eruere* (3). *Deus quis similis erit tibi* (4)? *Tu solus Altissimus in omni terra* (5). *Magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus* (6). *Omnes dii gentium daemonia: Dominus autem coelos fecit* (7). *Non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus* (8). Isaias a capite 40mo usque in finem polytheismum impugnat et fidem in unum Deum inculcat. Deus ipse inquit: *Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator* (9). *Ego primus, et ego novissimus, et absque me non est Deus* (10). Ita Deus loquens ad Cyrum inducitur: *Ego Dominus, et non est amplius: extra me non est Deus... Ego Dominus, et non est alter, formans lucem, et creans tenebras, faciens pacem, et creans malum: ego Dominus faciens omnia haec* (11): quae verba haud obscure errori eorum opponuntur, qui praecipue in Persia duos Deos unum auctorem boni, alterum auctorem mali statuebant, ut hac impia sententia reiecta, fides in unum Deum firma persisteret. — Ex eadem ratione frequenter homines admonentur, ut non rebus creatis divinitatem adscribant, vel idola colant. Sic dicitur: *Custodite sollicite animas vestras. ne forte decepti faciatis vobis sculptam imaginem... ne forte elevatis oculis in coelum, videas solem, et lunam, et omnia astra coeli, et errore deceptus adores ea, et colas, quae creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quae sub coelo sunt* (12). Inania esse idola gentium graphice describitur (13).

2. *S. Scriptura N. T.* eodem modo Deum unum esse docet. Christus interrogatus, quodnam sit mandatum magnum in lege? confirmans locum Deut. VI, 3-4 respondit: *Primum omnium mandatum est; audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est* (14); et ad Patrem suum loquens ait: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum* (15).— Paulus scribit: *Unus est Deus* (16). *Scimus, quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus* (17). Duplex foedus vetus et novum commemorans, addit: *Deus autem unus est* (18) utriusque foederis auctor. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis* (19).

3. *Traditio* fidei unius Dei constantissime inhaesit. Ss. Patres non solum hanc fidem ubique professi sunt, sed etiam tum polytheismum Ethnicorum, tum dualismum haereticorum acerrime impugnarunt, uti

(1) Deut. 4, 35. (2) Ibid. 6, 4.
(3) Ibid. 32, 39. (4) Ps. 82, 1.
(5) Ibid. v. 19. (6) Ps. 85, 10.
(7) Ps 95, 5. (8) Sap. 12, 13.
(9) Is 43, 11. (10) 44, 6.
(11) 45, 5 etc. (12) Deut 4, 15 etc.

(13) Ps. 134 15 etc. Sap. 13 etc. Is. 37, Ier. 2, et 10. (14) Marc. 12, 29.
(15) Io. 17, 3. (16) Rom. 3, 30.
(17) 1 Cor. 8 4. (18) Gal. 3, 20.
(19) Ephes. 4, 5. — Cf 1 Tim. 2, 5 et 6, 15 etc.

ex inferius dicendis apparebit. Dogma de unitate Dei in Ecclesia semper tanquam primarius fidei christianae articulus consideratus fuit. Ideo *Tertullianus* (1) dicit: « Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilis et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem: » et *Origenes* (2) ait: « Species eorum, quae per praedicationem apostolicam manifeste traduntur, istae sunt: primo, quod unus est Deus. » *Irenaeus* (3). Christianos describit, qui sunt « in unum Deum credentes. » — Hoc idem Ecclesiae symbola manifestissime probant. In symbolo Nicaeno-Constantinopolitano dicitur: *Credo in unum Deum.* In symbolo Athanasiano: *Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.* Concilium Lateranense IV profitetur: *Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus.* Eadem professio in symbolis Ecclesiarum particularium invenitur (4).

Nota. Contra argumenta biblica nonnullae difficultates motae sunt, quas hic solvere oportet.

Obi. I. Moyses *Iehova* suum Iudaeis tanquam Deum nationalem colendum proponit. qui idcirco frequenter *Deus Abraham, Deus Isaac*, et *Deus Iacob* nominatur: neque hunc unicum esse docet, sed tantum Diis aliarum gentium maiorem et potentiorem.

Resp. Haec asseruntur, sed non probantur. Contrarium docet Scriptura, totaque antiquitas, Pentateuchi interpres. Omnis et littera, et spiritus mosaicae constitutionis ad fidem in unum Deum stabiliendam (5) et ad evertendum polytheismum, et idololatriam (6) tendit. Ideo sane Moyses (7) Deum dicit creatorem coeli et terrae, ut eundem non unius partis, sed totius terrae omniumque populorum Dominum esse ostendat: de eodem Deo (8) narratur, quod in universum genus humanum, penitus corruptum, grave iudicium exercuerit, illud, sola Noëmi familia excepta, per diluvium extinguens, atque demum cum homines iterum multiplicati essent, expresse traditur, quod idem Deus *divisit eos ex illo loco in universas terras* (9). Quis ergo dicet, Moysen Iehova Israëlitis proposuisse tantum ut Deum ipsorum nationalem? — Contrarium prorsus evincunt loca iam superius citata, et praecipue verba ipsius Dei: *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me* (10).— Si Iehova se Deum Abraham, Isaac et Iacob nominat, id non fit nisi quia isti Patriarchae prae caeteris gentibus Deum verum agnoverunt et coluerunt, et ab ipso speciali cura ac amore insigniti sunt. Immerito ergo illa formula a Voltairio irridetur, quae pro Israëlitis incultis et carnalibus valde accommodata erat, ut agnoscerent, qualem protectionem divinam expectare possint, si illustrium suorum Patriarcharum fidem fuerint imitati.

Obi. II. Non obscura Polytheismi indicia in S. Libris reperiuntur: huiusmodi est nomen Divinitatis *Elohim* apud Hebraeos usitatum in numero plurali: idem ostendunt verba Dei: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram* (11); et *Venite, descendamus, et confundamus linguam eorum* (12). Neque negari potest, multos in Scripturis appellari Deos: ut:

(1) De velandis virg. c. 1.
(2) De princ. l. 1, praef. n. 1.
(3) Adv. haeres. l. 3, c. 4, n. 2.
(4) V. Staudenmayr § 79, p. 426 etc.
(5) Ex. 20, 1-6, Deut. 1, 35.

(6) Deut. 4, 16-19.
(7) Gen. 1, 1.
(8) Gen. 6 et 7.
(9) Gen. 11, 8
(10) Deut. 32, 39.
(11) Gen. 1, 26.
(12) Gen. 11, 7.

Deus stetit in Synagoga Deorum (1). *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes* (2). *Dixit Dominus ad Moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis* (3). Paulus ait: *Sunt qui dicantur Dii sive in coelo, sive in terra (siquidem sunt Dii multi, et Domini multi)* (4).

Resp. Errant, qui citatis locis biblicis Polytheismi indicia inesse arbitrantur. Nam nomen Elohim equidem numerum pluralem praesefert, sed tamen iuxta genium linguae hebraicae nonnisi unum eundemque Deum designat, quod praecipue apparet ex Deut. IV, 35, ubi dicitur: *Dominus (Iehova) ipse est Deus (Elohim) et non est alius praeter eum.* Ideo nomen Elohim etiam in illis S. Scripturae libris Deo tribuitur, de quibus ipsi adversarii admittunt, quod purum Monotheismum doceant, ut II Reg. II, 27, Iob XXXV, 10, Ps. LVIII, 12, Isa. XXIV, 15. Deus in numero plurali loquens, non pluralitatem Deorum, sed pluralitatem Personarum divinarum indigitat, uti inferius probabitur. Si in Scriptura multi appellantur Dii, id fit nomine dumtaxat, et improprio sensu ob specialem, quam cum Deo habent, relationem. Sic Ps. LXXXI, iudices Dii appellantur propter auctoritatem vitae, et necis, quam a Deo acceperunt, non propter naturam, et substantiam; statim enim v. 7 additur: *Vos autem sicut homines moriemini: et sicut unus de principibus cadetis:* hoc ipso sensu Deus dicitur stare *in Synagoga Deorum* i. e. iudicum, nempe ut eorum iudicia ipse diiudicet; statim enim additur: *In medio autem Deus diiudicat* i. e. iudicum sententias ponderat ad legem aequitatis, ac severe in eos animadvertit, si forte male iudicaverint (5). — Moyses (6) constituitur Deus Pharaonis propter singularem auctoritatem, ac potestatem, quam a Deo in Pharaonem acceperat, et vi cuius miracula patraverat, quae autem ipsi Deo adscribuntur, qui dicit: *Scient Aegyptii, quia ego sum Dominus qui extenderim manum meam super Aegyptum* (7). — Paulus (8) dicit, multos esse Deos, et multos Dominos iuxta falsam Gentilium opinionem, non iuxta propriam sententiam, et rei veritatem; statim enim addit: *Nobis tamen unus Deus* (9). — Responsionem eleganter, et solide confirmat Catechismus romanus (10): « Unus Dominus, inquit, una fides, unum baptisma. Neque vero nos moveat, quod interdum S. Litterae Dei nomen creatis etiam naturis imponunt: nam quod Prophetas, et Iudices Deos appellarunt, non gentium more factum est, qui sibi plures Deos stulte et impie finxerunt: sed quadam loquendi consuetudine significare voluerunt excellentem aliquam virtutem, vel functionem, quae Dei munere illis concessa est » (11).

II. *Argumenta ex ratione petita.*

§ 58. Non pauci inter ethnicos philosophos solo rationis lumine unum esse Deum agnoverunt. Ss. Patres philosophicis quoque argumentis Polytheismum prostraverunt, et unitatem Dei evicerunt. *S. Thomas* (12) clare ostendit, unitatem Dei solo rationis lumine sufficienter cognosci posse: quam sententiam sequuntur non solum sat communiter Theologi, sed etiam Philosophi *Leibnitius*, *Wolfius*, et alii. Praecipua autem argumenta rationalia, quibus unitas Dei probatur, sunt sequentia:

(1) Ps. 81, 1. (2) Ibid. v. 6.
(3) Ex. 7, 1. (4) 1 Cor. 8, 5.
(5) Ps. 74, 2, Sap. 6, 5 etc. (6) Ex. 7.
(7) Ibid. v. 5. (8) 1 Cor. 8.
(9) Ib. v. 6 (10) P. 1, n. 9.
(11) Cf. Dobmayr § 53. Perrone P. 1, c. 2, n. 95 etc. (12) L. I contra Gentes.

1. Dum unum Deum esse asserimus, negamus, praeter hunc, cuius existentia probata fuit, alios Deos dari. Versamur ergo in propositione negativa, ad quam propugnandam sufficit etiam argumentum, ut dicunt, negativum. Ad affirmantem enim spectat probatio, non ad negantem. Quamdiu ergo Polytheistae non probaverint, plures Deos dari, tamdiu pleno iure horum existentiam negamus. Sed hactenus nullum solidum argumentum pro plurium Deorum existentia prolatum est, sed quae de illis dictitata fuerunt fabulosa, absurditatibus et contradictionibus referta, ac talia sunt, quae non plurium Deorum existentiam evincant, sed ipsam divinitatis notionem destruant. — Imo plurium Deorum existentia nullo modo probari potest: non a priori, quia Deo, Ente a se, primo et independenti, nihil prius cogitari potest, neque a posteriori, quia omnes effectus per unum Deum omnipotentem explicari possunt, quod etiam de iis, quae a nobis mala dicuntur, obtinere, ex inferius dicendis apparebit. Omni iure ergo sana ratio plurium Deorum existentiam negat, quae nullo argumento probari potest.

2. Deum necessario concipimus ut ens infinite perfectum. Sed omnino impossibile est dari plura entia infinite perfecta. Nam si, e. g., duo statuerentur, neutrum esset infinite perfectum, quia utrumque perfectionibus alterius careret; has enim neutrum contineret formaliter, quia unus Deus ab altero distinctus et independens censendus esset, neque illas contineret eminenter, quod solum contingeret, si unus altero nobilior et sublimior, ac perfectionum, quae huic insunt, auctor existeret, quo posito, iam hic unus, et non alter, Deus esset. — Ratio ergo absolute impossibile esse cognoscit, dari duo entia infinite perfecta, atque ideo necessario unicum statuit Deum. Hoc argumentum proponit *Lactantius* (1) dicens: « Deus si perfectus est, ut esse debet, non potest esse nisi unus, ut in eo sint omnia. Deorum igitur virtutes ac potestates infirmiores sint, necesse est: quia tantum singulis deerit, quantum in caeteris fuerit; ita quanto plures, tanto minores erunt. » Etiam *S. Thomas* (2) unitatem Dei probat ex infinitate eius perfectionis, et concludit: « Impossibile est ergo esse plures Deos. Unde et antiqui Philosophi quasi ab ipsa coacti veritate, ponentes principium infinitum, posuerunt unum tantum principium. »

3. « Omnes, ait *S. Augustinus* (3) pro excellentia Dei certatim dimicant: nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod caeteris rebus omnibus anteponunt. » Igitur iuxta omnium consensum, et rectae rationis dictamen, Deus est ens summum et excellentissimum, ac supremus rerum omnium Dominus. Atqui plura entia summa et excellentissima, et plures supremi rerum omnium Domini dari non possunt; nam si ista entia inter se aequalia statuerentur, nullum esset ens summum et excellentissimum, nullum dici posset supremus rerum omnium Dominus, atque ideo nullus esset Deus. Si autem illa entia inaequalia statuerentur, illud solum, quod super caeteros eminet, Deus est, caetera vero essentiali divinitatis nota carentes Dii non sunt. Plures ergo Deos existere, penitus impossibile est. Hoc argumentum proponit *Tertullianus* (4), dicens: « Deus,

(1) L. 1 Instit. div. c. 3.
(2) 1. q. 11, a. 3. (3) L. de doctr. chr. c. 7.
(4) L. 1 c. Marcion. c. 3.

si non unus est, non est, quia dignius credimus non esse, quodcunque non ita fuerit, ut esse debebit..... De isto convenit apud omnes, ut Deus sit summum magnum et forma, et ratione, et vi, et potestate... Quae erit iam conditio ipsius summi magni? nempe ut nihil illi adaequetur, id est, ut non sit aliud summum magnum: quia si fuerit, adaequabitur: et si adaequabitur, non erit iam summum magnum, eversa conditione, et, ut ita dixerim, lege quae summo magno nihil sinit adaequari. Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum »... Nam « non aliter Deus nisi summum magnum, nec aliter summum magnum, nisi parem non habens, nec aliter parem non habens, nisi unicus fuerit. » Eodem modo argumentatur *S. Cyprianus* (1).

4. Deus, ut sit ens perfectissimum, tum omniscius, tum undequaque independens esse debet. Sed si alter Deus existeret, omniscius simul et independens esse nullatenus posset. Nam si ignoraret, quis alter Deus sit, quid sentiat, et quid operetur, omniscius non esset; si autem talem cognitionem haberet, quam solummodo alterum Deum aspiciendo, perscrutando, inquirendo sibi comparare posset, in hac ipsa sua scientia, quae est ipsa essentia divina, ab altero Deo penitus dependens foret. Ex quo iterum patet omnino impossibile esse plures Deos existere, et cum Tertulliano dicendum esse: « Deus, si non unus est, non est. » — Simili argumentatione unitatem Dei ostendit *Duns Scotus* (2).

5. Ss. Patres ex eo quoque unitatem Dei probare consueverunt, quod nonnisi unus mundus sit, et in eiusdem gubernatione pulcherrimus ordo et optima harmonia conspiciatur. Sic *S. Athanasius* (3) inquit: « Ordo ipse dispositionis et rerum omnium consentiens harmonia non plures, sed unum rectorem ipsius, ac ducem esse Dei Verbum ostendit. Non enim si plures essent rerum creatarum principes, servaretur eiusmodi universitatis ordo: sed omnia confusa rursus ac perturbata forent, cum unusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, et cum altero repugnaret. » — *Lactantius* (4) ait: « Deus unus est in quo vis et potestas consummata est, nec minui potest nec augeri. Si autem sunt multi, dum habent singuli potestatis aliquid, ac numinis, summa ipsa decrescit; nec poterunt singuli habere totum, quod est commune cum pluribus; unicuique tantum deerit, quantum caeteri possidebunt. Non possunt igitur in hoc mundo multi esse rectores, nec in una domo multi domini, nec in navi una multi gubernatores, nec in armento, aut grege duces multi, nec in uno regimine multi reges, sed nec in coelo quidem multi soles esse possunt, sicut nec animae plures in uno corpore, adeo in unitate natura universa consentit... Omnem igitur divinam potestatem necesse est in uno esse, cuius nutu et imperio regantur omnia, et ideo tantus est, ut ab homine non possit aut verbis enarrari, aut sensibus aestimari. » Eodem fere modo argumentantur *S. Irenaeus* (5), *Athenagoras* (6), *Minuc. Felix* (7), *Tertullianus* (8).

6. Deum unum esse, etiam ex communi hominum, doctorum indocto-

(1) L. de idol. van.
(2) Sent. I, dist. 2, q. 3, schol 2.
(3) Lib. c. Gentil. (4) De ira Dei c. 11.
(5) L. 3, adv. haer. c 1.
(6) Adv. gent n. 38 etc. (7) Octav. 20.
(8) Adv. Marcion. l. 1, c. 3 etc.

Digitized by Google

rumque consensu probari potest. Quamvis enim ante Christum fere omnes populi polytheismo dediti fuissent, inter magnam tamen Deorum Dearumque turbam aliquem caeteris superiorem agnovere, uti e. g. Graeci et Romani Iovem ut supremum coeli et terrae Dominum coluerunt. Universalem hanc persuasionem contestatur *Maximus Tyrius* qui (1) dicit: « In hac tanta pugna, contentione atque opinionum varietate in eo leges ubique terrarum, atque opiniones convenire videbis, Deum esse unum, Regem omnium et patrem; huic multos additos esse Deos alios, qui supremi illius filii sunt, atque in imperio collegae. In eo graecus cum barbaro, mediterraneus cum insulano, sapiens consentit cum stulto. » — Celeberrimi inter ethnicos Poëtae ac Philosophi unum Deum agnoverunt. Id certo constat de *Socrate*, et *Platone*. Idem *Iustinus M.* (2) testatur de *Orpheo*, *Aeschylo*, *Sophocle*, *Pythagora*, *Menandro*. His addit *Athenagoras* (3), *Euripidem*, *Philolaum*, *Aristotelem* etc., et *S. Augustinus* (4) *Ciceronem*, *Varronem*, *Plutarchum*, et alios. Magni quoque momenti est, quod antiqui scriptores de Ethnicis etiam incultis testantur, quod nempe vel repentino gaudio affecti, vel in magno periculo constituti non Deos, sed Deum laudare, seu invocare consueverint. Id considerans *Tertullianus* (5), exclamat: « O testimonium animae naturaliter christianae! » — Et *Lactantius* (6) de gentilibus loqueus, ait: « Nam et cum iurant, et cum optant, et cum gratias agunt, non Iovem, aut Deos multos, sed *Deum* nominant. Adeo ipsa veritas cogente natura etiam ab invitis pectoribus erumpit. » Ex his colligi potest, humanam rationem, praeiudiciis et passionibus non obscuratam, facile unitatem Dei agnoscere, et homines per ipsum sensum intimum adigi, ut unicum Ens supremum, unum Deum colant (7).

Nota 1. Fuerunt nonnulli, qui putarunt, Dei unitatem per solam rationem probari non posse, sed eam ad illas veritates spectare, quae per solam revelationem hominibus innotescunt. Ferunt, ita sensisse ex scholasticis *Occamum;* certius vero id constat de *Papino Gallo*. Sententiam suam isti ex ipsa historia probare tentarunt. Nam, aiunt, si unitas Dei talis esset veritas, quam ratio aut immediate videt, aut ex suis principiis facile deducit, locus non fuisset polytheismo, qui tamen per multa saecula per totum fere terrarum orbem dominatus est, donec per Religionem christianam propelleretur. — Sed ad istam difficultatem, quam movent, reponendum est, polytheismum nunquam ita universalem fuisse, ut non multi simul existerent, solo rationis lumine unitatem Dei agnoscentes: accedit, quod ipsi Polytheistae inter plurimos Deos unum in caeteris praestantiorem agnoscerent, et sic nisum rationis ad unitatem in Divinitate statuendam monstrarent. — Praeterea ex ignorantia et ex aberratione hominum nullatenus concludere licet, veritatem quamdam a ratione cognosci et probari non posse. Multa enim sunt, quae a nobis cognosci possunt, et tamen non cognoscuntur. Mathematici multas veritates evidenter demonstrant, quas tamen plurimi idiotae probare non valent. Sic multo facilius homines unitatem Dei agnoscere potuissent, si ipsorum ratio per

(1) Orat. 1. (2) L. de Monarch. Dei. (3) In Legat. (4) Lib. de Civ. Dei. (5) In Apologet c. 17.

(6) L. 2 inst. div. c. 1. (7) Cf. Petav l. 1, c. 3.

Digitized by Google

praeconceptas opiniones, per aliorum exempla, et proprias passiones corrupta et obscurata non fuisset.

Nota 2. Ut Dei unitatem agnoscat populus, curare quidem debent Pastores; in ea tamen demonstrando operosius immorari minime necesse est, cum ne suspicio quidem de multitudine Deorum cuiquam suboriatur: sed frequenter admonendi sunt Fideles, parum ipsis profuturum, Deum unum credere et profiteri, nisi eum prae caeteris omnibus diligant, totque Deos coli, quot sunt bona creata, quae Deo praeponuntur. Nam, teste Apostolo, Avaritia.... *est simulacrorum servitus* (1). Avarus enim, dum pecuniam amat, impensius pecuniae servit, in ea spem suam collocat, ad divitias, tanquam ad ultimum finem cogitationes, studia et affectus suos praecipue dirigit: denique cor suum, quod Deo totum debet, opibus acquirendis potissimum impendit. Eodem Apostolo iudice, multi sunt, *quorum Deus venter est* (2), quia ad voluptates corporis, tanquam ad numen aliquod, omnia referunt. Quod vere de pecunia et voluptate asserit Apostolus, de caeteris rebus, quae prao ipso Deo diliguntur, debet intelligi. Non est igitur, cur Christianus supra Gentilem sese extollat, et de unius Dei fide glorietur, si rebus creatis velut totidem idolis, turpiter serviat.

ARTICULUS II.
Errores dogmati de unitate Dei oppositi.

§ 59. Respectu dogmatis de unitate Dei varios aberrantes extitisse, historia docet. Multi enim Deos plurimos, nonnulli duos, alii ex male intellecto Ss. Trinitatis mysterio tres adoraverunt. De his in sequenti sectione sermo erit: hic 1° *de Polytheismo*, et 2° *de Dualismo* aliqua dicenda sunt.

(1) Colos. 3, 5. (2) Phil. 3, 19.

I. *De Polytheismo.*

§ 60. 1. *Polytheismus* est error eorum, qui plures Deos existere credunt, iisque divinum cultum exhibent. Error iste pro varietate numinum, quae tanquam Dii coluntur, varia nomina sortitur: dicitur *Magismus*, qui solem, lunam, astra, et ignem ut Deos adorat; *Sabismus*, qui homines per apotheosin ad divinitatem extollit; *Fetiscismus*, qui entia ratione carentia sive animata, sive inanimata tanquam divina numina colit; et *Gnosticismus*, qui Deo Aeones, et Demiurgum adiungit. Absurda Polytheismi superstitio ante Christum per totum fere terrarum orbem dominabatur, et Deorum Dearumque numerus in immensum excrevit ita, ut, teste *Eusebio*, *Hesiodus* triginta millia numinum divinorum recenseret. Non autem omnes Dii eiusdem excellentiae et dignitatis habebantur, sed variae eorum classes distinguebantur. Sic Romani distinguebant Deos maiorum gentium, inter quos praecipue colebantur Iupiter, qui coelo et terrae, Neptunus qui mari, et Pluto, qui inferis praeesse credebatur, Deos minorum gentium, quorum maximus erat numerus, atque Semideos, quales erant Hercules, Castor, et Pollux etc.

2. Quaesitum est, quo tempore polytheismus inceperit? — nonnulli ex recentioribus cum *Humio* asseruerunt, quod polytheismus monotheismum praecesserit, et quod solum lapsu temporis factum fuerit, ut ex pluribus, qui colebantur, Diis unus tanquam supremus adoraretur. Sed haec sententia nullo solido argumento probari potest: contrarium constat ex antiquissimo authentico monumento,

Digitized by Google

scilicet ex Pentateucho, qui testatur primos homines unius Dei, Creatoris coeli et terrae, cultores fuisse (Cf. *Th. gen.* § 93). Ideo Theologi communiter cum S. *Thoma* censent, polytheismum ante diluvium in mundo non viguisse, tum quia recens erat creationis memoria, et revelatio divina iam primis hominibus facta ob longissimam Patriarcharum vitam non tam facile in animis obliterari aut corrumpi poterat, tum quia S. Scriptura inter scelera, ob quae genus humanum per diluvium destructum fuit, polytheismum et idololatriam non commemorat, quae crimina maxima certe non reticuisset, si inter homines iam viguissent. Sed post diluvium, quando homines ob factam linguarum confusionem per orbem terrarum dispersi sunt, mox, praecipue inter posteros Chami polytheismum et idololatriam incepisse, communis est sententia, quae etiam ex antiquis monumentis comprobatur (1).

3. Quaestio etiam mota est, unde sumendum sit polytheismi initium, seu qui primi fuerint in orbe Dii? — quam quaestionem egregie Cl. *Liebermann* pertractat (2), qui ait: «Omnium quidem sententia est, non unam, sed multiplicem fuisse causam tanti et tam pestiferi mali; at in assignanda prima eius origine valde discrepant auctores. Protestantium plurimi contendunt, Deos primum ex hominibus factos per hominum vita defunctorum apotheosin. Qua ratione in hanc sententiam inciderint, difficile non est intelligere. Nobis videtur hoc Polytheismi genus serum admodum fuisse, et omnium fere novissimum; nunquam enim in mentem venisset hominibus, mortuorum animis divinum cultum deferre, nisi numerum iam habuissent et genera Deorum. Veteres tum sacri (3), tum profani auctores docent nos, homines rerum naturalium consideratione in admirationem raptos primum opera Dei (maxime splendida et benefica), oblito opifice, adorasse, atque ita Polytheismum initium sumpsisse a solis et siderum cultu; hunc autem ad omnes subin naturae partes fuisse traductum. Scilicet cum semel a vera Dei cognitione abessent populi, et omnia viderent certo ordine moveri et consilio gubernari; ex aliis bona redundare in homines, ex aliis mala innumera imminere, commenti sunt, omnem visibilem naturam plenam esse daemoniis, seu geniis, quorum alii bonae, alii maleficae essent naturae. Hinc nihil non egerunt, ut eos propitios sibi et benevolos redderent. Unde primo corpora illa colere tum coelestia, tum terrena in quibus genios sibi repraesentabant tanquam animam in corpore habitantes; tum ea signis repraesentare et symbolis; tum et haec iterum in Deos convertere, ex quo forsan et animalium cultus partim explicari posset. Tum demum traducere omnia ad similitudinem imbecillitatis humanae; invisibilibus Diis humanas formas inducere, sexus distinguere, coniugia nectere, texere genealogias, omnes demum humanas affectiones in Deos transferre. Ita factum est, ut primum ex Diis homines fecerint, antequam homines in Deorum numero collocarent. » Hoc variis ex causis contigit. Hinc inde enim homines sagaciores, ut maiorem sibi auctoritatem conciliarent, de familiari cum Diis commercio, et de supernaturali sua virtute gloriabantur, atque ideo post mortem Deorum numero adscripti fuerunt. Persaepe hominibus, de re-

(1) Cf. Dobmayr § 52, Calmet Dissert. de orig. idol. (2) L. I de Deo c. 1, obs. 5.

(3) Sap. c. 13, 14, 15.

bus humanis bene meritis, statuae erectae fuerunt, eorumque memoria magno in honore fuit, ita ut mox tanquam Dii colerentur. Ideo *Tullius*(1) dicit: « Suscepit vita hominum et consuetudo communis, ut beneficiis excellentes in coelum fama et voluntate tollerent: hinc Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber. » — Quandoque *acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem: et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere coepit, et constituit inter servos suos sacra, et sacrificia* (2). — Deorum numerum etiam auxit partim reverentia, amor et gratitudo populorum erga principes bonos, partim insolens fastus principum malorum, qui divinos sibi honores arrogabant. Nam recentiori aevo, florente licet philosophiae studio, scelestissimi quique reges et imperatores adhuc viventes templa obtinebant, in quibus a sacerdotibus sacrificiis colebantur (3).

4. Ex demonstrata iam unitate Dei apparet absurditas ac impietas Polytheismi, qui honorem Deo soli debitum tribuit creaturis. Neque ab hac impietate Gentiles excusari possunt ex eo, quod, ut probatum est, unius summi Dei notio per omnes gentes diffusa fuerit. Nam ipsi Philosophi gentiles, qui Deum unum et summum agnoverunt, eo magis culpandi sunt, quod, *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis....* (4). Accedit, quod multi Philosophi de uno Deo, quem profitebantur, falsam notionem habuerint, illum unum et idem cum mundo, seu animam mundi dixerint, et sic in pantheismum, seu potius in atheismum prolapsi fuerint, uti rectissime observat Cl. *Staudenmayr* (5). — De populo inculto iam constat, quod tam absonas de divinitate notiones habuerit, ut sicut caeteris Diis Deabusque, sic ipsi etiam Iovi crimina adscripserit, et haec in Divorum honorem patrare non erubuerit. Toleranda ergo nullatenus est tum inscitia, tum impietas eorum, qui in odium revelatae Religionis Ethnicorum doctrinam moresque extollere laudibus non verentur.

II. *De Dualismo.*

§ 61. 1. Dualismus est error eorum, qui duos Deos, seu duo summa principia admittunt, nempe bonum unum et alterum malum, ut inde tum bonorum, tum malorum existentia explicetur. Antiquissimus est hic error, et iam 500 ante bellum troianum annis in Persia traditus esse dicitur a *Zoroastro* Philosopho et Mago, qui principium bonum, seu auctorem lucis *Oromasden* aut *Ormuzd*, et principium malum, seu auctorem tenebrarum *Ahrimanin* appellavit. Haec duo principia in Aegypto sub nominibus *Isidis* et *Osiridis* adorata fuerunt. Eandem falsam opinionem apud alios quoque populos, graecos et barbaros, invaluisse *Plutarchus* testatur (6). — Inter Christianos varii haeretici eidem errori inhaeserunt, nimirum *Simon Magus, Menander, Basilides, Carpocrates, Cerdoniani* et *Marcionitae*. Saeculo III dogma monstrosum de duplici rerum principio longe lateque propagarunt Manichaei, a quodam *Manete* Persa orti, de quibus *S. Leo* Papa (7) scribit: « Nullam in hac secta pudicitiam, nullam penitus reperiri castitatem, in qua lex est mendacium, diabolus religio,

(1) L. 2 de nat. Deor. (2) Sap. 14, 15.
(3) Perrone l. c. cap. 2, n. 84 etc.

(4) Rom. 1, 21. (5) § 77.
(6) De Isid. et Osir. (7) Serm. 13, c. 4.

Digitized by Google

sacrificium turpitudo. » — Non convenit inter eruditos, an Manichaei vere duo summa principia tanquam duos Deos agnoverint, an unum supremum et improductum principium, et principium mali productum, seu Deum et materiam adstruerent. Prioris sententiae fuit *S. Thomas* (1) qui cum dixisset, Gentiles inter plurimos Deos unum caeteris superiorem, horumque auctorem credidisse, addit: « Unde magis huic veritati (unitate Dei) videntur contrarii Manichaei duo prima principia ponentes, quorum alterum alterius causa non sit. » Alii posteriorem sententiam defendunt, quia ipse *Faustus* apud S. Augustinum (2) protestatur, Manichaeos unum Deum colere: « Nos, inquit, Patris quidem omnipotentis, et Christi Filii eius, et Spiritus sancti unum idemque sub triplici appellatione colimus numen. » Et ipse S. *Augustinus* nunquam exprobrat Manichaeis, quod adorarent principium malum, quamvis ipsis exprobraret, quod de principio malo Deum facerent, ei tribuendo potestatem, quae soli Deo competit (3). — Sed solemne iam est haereticis cunctisque aberrantibus, ut inter se non consentiant, et frequenter sententias suas mutent. Ideo Cl. *Staudenmayr* (4) dicit, duplicem Dualismum distinguendum esse, nimirum *stricte dictum*, qui duo summa principia, improducta, aeterna atque independentia ab invicem statuit, et *minus stricte dictum*, qui Deum, dignitate et virtute omnibus praestantiorem ut principium boni, et materiam malam, daemoniacam (*Hyle* dictam), ut principium mali adsumunt. Hic dualismus minus stricte dictus e schola Philonis ad Gnosticos ac Manichaeos transiisse videtur. Ex hoc errore prodiit absurdum non minus quam impium *systema emanationis*, quod duo sibi opposita principia, bonum et malum, in Deo unita ponit, a qua emanant et variis modis evolvuntur, donec iterum in ipso coniuncta divinam perfectionem in sua plenitudine constituant. Hoc systema iam a *Philone* Iudaeo traditum, et praecipue a *Valentino* haeretico, adiunctis variis absurditatibus, propagatum, etiam a recentioribus Philosophis *Schelling*, *Hegel* etc. adoptatum fuit.

2. Absurditas Dualismi stricte dicti facile cuilibet patescit. Error enim iste inventus est, ut tum bonorum, tum malorum origo explicaretur. Tantum autem abest, ut id admissa duorum Deorum existentia fieri queat, ut potius contrarium contingat. In notione enim Dei necessario continetur, ut sit infinita potentia et infinita libertate praeditus. Si autem duo entia ponantur infinite potentia, infinite libera, et ita sibi opposita, ut unum ad bonum, alterum ad malum tendat, profecto infinita potentia unius elidit aequalem potentiam alterius, ita, ut nullus effectus nec bonus, nec malus prodire possit: unde merito *S. Athanasius* (5) inquit: « Dicere plures Deos aequaliter potentes est dicere, plures aequaliter impotentes. » Neque minus absurdus est dualismus minus stricte dictus, qui Deum bonum praestantiorem et potentiorem principio malo statuit. In hac enim sententia principium malum, in quo infinita potentia desideratur, Deus non est, atque idcirco quaeri potest ac debet, unde sit? quomodo malos effectus producat? et cur isti a Deo bono potentiori non impediantur? ex quo apparet, difficultates non minui,

(1) L. 1 c. Gentes c. 42
(2) C. Faust. l. 20, c. 2.
(3) Cf. Perrone n. 138 in not.
(4) § 77 p. 460 etc. (5) L. c. Gentil.

Digitized by Google

sed augeri. Denique systema emanationis rectam Dei notionem penitus evertere, eius simplicitatem, aeternitatem, immutabilitatem, bonitatem et sanctitatem inficiari, ac ad purum putumque atheismum perducere, nimis manifestum est.

3. Graviter errant, qui putant, explicari non posse existentiam malorum, nisi duo principia summa admittantur. Mala enim in metaphysica, physica et moralia distingui solent. Metaphysica in ipsa limitatione entium consistunt, atque naturam entium productorum necessario sequuntur, quia absolute impossibile est, haec infinita esse, prouti absolute impossibile est, existere pluros Deos. — Mala physica ea dicimus, quae hominibus dolores, damna, vel incommoda pariunt: haec ergo non in se, sed solum relative ad hominem mala dicenda sunt. Ut autem horum existentia explicetur, nullatenus opus est, ut duo summa principia statuantur. Constat enim varia phaenomena, quae nobis vel grata, vel ingrata sunt, ac ideo inter se contraria videntur, ex earundem legum physicarum simplicitate ac unitate oriri, ita ut eiusdem legis vi, qua producuntur effectus nobis salutares, prodeant hi, qui nobis nocent, eademque entia naturalia modo emolumenta, modo detrimenta nobis afferant: si e. g. eadem aqua campos per irrigationem fertiles reddit, et per inundationem devastat; idem ignis contra frigus corpus tuetur, et huic proxime admotus maximos dolores affert; idem cibus, qui corpus reficit, immodice sumptus morbos generat. Maxime absonum ergo est, duo summa principia statuere, cum ex ipsa rerum naturalium consideratione pateat, omnia, quae naturaliter contingunt, sive nobis grata, sive noxia sint, ex uno principio esse repetenda. — Mala moralia, quae sunt peccata, seu aberrationes a lege, rationem sufficientem habent in mala hominis voluntate, quae utpote finita sua libertate abuti, et a bono deficere potest. Cum autem haec mala non sint entia realiter existentia, sed aberrationes a lege, seu defectus boni, patet, quod non tam efficientem, quam potius deficientem causam supponant. Ideo S. *Augustinus* (1) dicit: « Nemo quaerat efficientem causam malae voluntatis; non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio est, sed defectio: deficere namque ab eo, quod summe est, ad id, quod minus est, hoc est incipere habere malam voluntatem. Causas porro defectionum istarum, cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire, tale est, ac si quisquam velit videre tenebras, vel audire silentium, quod tamen utrumque nobis notum est: neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures, non sane in specie, sed in speciei privatione. » — Plura hac de re disserenda recurrent in tractatu de Providentia divina.

SECTIO II.

DE DEO TRINO IN PERSONIS

INTRODUCTIO

§ 62. 1. Ex his, quae de Dei essentia et de attributis divinis pertractata sunt, sat luculenter apparet, rationem personalitatis excellentissimo modo in Deo inveniri. Persona enim iuxta Boëtium, quem communiter Theologi et Philosophi sequuntur, definitur: « Rationalis naturae individua substantia » seu: natura ra-

(1) L. 12 de Civit. Dei, c. 7

tionalis in individuo subsistens. Duo ergo ad rationem personalitatis requiruntur; nimirum 1° natura rationalis, i. e. intellectu et voluntate praedita, et 2°, ut haec per se, seu in individuo subsistat. Recte ideo homo persona dicitur, quia naturam habet rationalem, et haec in individuo subsistit, seu singulare individuum constituit: reliqua vero entia ratione carentia, e. g. animalia, non personae, sed supposita vocantur. — Ast Deus habet naturam spiritualem perfectissimam; infinito intellectu et infinita voluntate praeditam, et Deus a se, et per se, necessario et independenter subsistit, ita ut sit prima rerum omnium causa: ergo ratio personalitatis excellentissimo ac ineffabili modo in ipso invenitur. — Iam *S. Thomas* simili argumentatione probavit, rationem personalitatis Deo perfectissime convenire (1), ait: « Persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura, scilicet subsistens in rationali natura. Unde cum omne illud, quod est perfectionis, Deo sit attribuendum, eo quod eius essentia continet in se omnem perfectionem, conveniens est, ut hoc nomen, Persona, de Deo dicatur: non tamen eodem modo, quo dicitur de creaturis, sed excellentiori modo, sicut et alia nomina, quae creaturis a nobis imposita, Deo attribuuntur, sicut supra ostensum est (2), cum de divinis nominibus ageretur. » — Idem, cum sibi obiecisset, nomen personae Deo non convenire, quia, iuxta Boëtium, « nomen personae videtur traductum ex bis personis, quae in comoediis, tragoediisque homines repraesentabant; » respondet (3): « Dicendum, quod quamvis hoc nomen, persona, non conveniat Deo quantum ad id, a quo impositum est nomen; tamen quantum ad id, ad quod significandum imponitur, maxime Deo convenit. Quia enim in comoediis et tragoediis repraesentabantur aliqui homines famosi, impositum est hoc nomen, persona, ad significandum aliquos dignitatem habentes. Unde consueverunt dici Personae in Ecclesiis, quae habent aliquam dignitatem. Propter quod quidam definiunt personam dicentes, quod persona est hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente. Et quia magnae dignitatis est in rationali natura subsistere, ideo omne individuum rationalis naturae dicitur persona, ut dictum est (4). Sed dignitas divinae naturae excedit omnem dignitatem: et secundum hoc maxime competit Deo nomen personae. » — Negari etiam nullo modo potest, in S. Scriptura, quamvis non nomen personae, tamen rationem personalitatis Deo ubique attribui, quia natura rationalis et quidem infinita, a se, et per se existens de eo praedicatur, et actiones personales in qualibet fere linea ipsi adscribuntur. Gentiles, etiamsi in Divinitatis notione turpissime aberrarent, eo temeritatis tamen non pervenerunt, ut supremo suo numini, Iovi, rationem personalitatis denegarent. Tolerari ergo nullo modo potest non minus impia, quam vesana sententia eorum, qui cum *Hegel* Deo rationem personalitatis denegant, aut divinitatem ad hanc successu tantum temporis pervenire dicunt: in hac enim sententia Deus, qui necessario est aeternus, immutabilis et tempori nullo modo subiectus, e medio tollitur, atque non tam Pantheismus, quam putidus Atheismus stabilitur (5).

(1) I, q. 29, a. 3 in 0. (2) Q. 13, a. 3.

(3) Ibid ad 2. (4) Art. 1 hui. q.
(5) Cf. Staudenmayr § 57, Dieringer § 20.

Digitized by Google

2. Quamvis autem mens nostra plena certitudine cognoscat, rationem personalitatis Deo attribuendam esse: attamen, quia Deus infinitus et incomprehensibilis est, ipsa etiam ratio personalitatis in Deo ab intellectu humano perfecte comprehendi, determinari et explicari non potest. Sed hac in re infirmitati nostrae succurrit divina Revelatio, mentemque nostram altius extollit, quam per vires suas naturales pertingere posset: Revelatio enim docet in una Dei essentia tres esse personas divinas, et sic sacrosanctum Trinitatis mysterium nobis credendum proponit. De summo hoc mysterio in hac sectione sermo est instituendus. Priusquam autem illius veritas duce Revelatione probetur, valde conveniens est, ut doctrinae revelatae de Trinitate, 1° *brevis expositio* praemittatur, 2° *historia* referatur, et 3° *momentum* ostendatur.

I. *Doctrinae revelatae de Trinitate brevis expositio.*

§ 63. 1. Sacrosanctum Trinitatis mysterium a Christo nobis revelatum sequenti propositione enuntiatur: *Tres sunt in una divina essentia personae realiter distinctae*, aut alia aequivalente: *Deus unus in essentia est trinus in personis*. Ut huius propositionis sensus recte concipiatur, cognosci debet, quid per *essentiam*, et quid per *personam* hic intelligatur. *a*) Essentia, quae ab *esse* nomen habet, est id, quo res quaelibet est id quod est; nam, ait *S. Augustinus* (1), « Ab eo, quod est esse, appellatur essentia. » Ab hac voce etymologice et philosophice nomina: *natura* et *substantia* distingui solent. Nam natura, quae derivatur a voce *nascor*, definiri solet principium actionum et operationum rei intime inhaerens; substantia accipitur pro eo, quod substat accidentibus, seu pro subiecto accidentium, et ab accuratioribus philosophis definitur id, quod nullo alio indiget, cui inhaereat ad existendum: haec vox antiquitus a nonnullis pro persona, et ab aliis pro essentia adhibita fuit; idcirco in *S. Epiphanio* (2) legitur: « Cum sint tres perfectae substantiae, una vero deitas Patris, et Filii, et Spiritus sancti; » eodem sensu hanc vocem accepit *Concilium Antiochenum* « per substantias personas intelligens, » ut testatur *S. Hilarius* (3). Econtra *S. Hieronymus* (4) scribit: « Quis, rogo, ore sacrilego tres substantias praedicabit? » Et *S. Augustinus* (5) ait: « Quia nostra consuetudo iam obtinuit, hoc intelligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligitur, cum dicimus substantiam, non audemus dicere unam essentiam tres substantias, sed unam essentiam, vel substantiam: » et Concilium *Sardicense* contra Arianos pronuntiavit: « Nos habemus catholicam apostolicamque Traditionem, et fidem atque confessionem, *unam esse substantiam* Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Probe igitur notandum est, quod istae voces *essentia*, *natura*, *substantia*, quamvis etymologice et philosophice differant, tamen, iuxta sensum ab Ecclesia receptum, synonimae sint, et idem omnino significent. Ideo Concilium *Lateranense* IV (6) ait: « Quaelibet trium personarum est illa res, videlicet *substantia, essentia*, sive *natura divina*. » — *b*) *Persona*, ut iam dictum est, definiri solet « naturae rationalis individua substantia: » hanc autem definitionem personis divinis appli-

(1) L. 7 de Trin. c. 5. (2) Haer. 69.
(3) L. de Synod. (4) Ep. 57 ad Damas.
(5) L. 5 de Trin. c. 9. (6) C. 2.

cari non posse, iam *Richardus*, *Victorinus*, *Scotus* et alii adnotarunt; non enim in Deo tres individuae substantiae, seu tres naturae rationales in individuo subsistentes admitti possunt. - Nonnulli equidem putant, definitionem praedictam etiam personis divinis applicari posse, « cum in Boëtiana definitione, ut observat *Suarez*, vox individua eundem sensum habeat, quem habere solet vox *incommunicabilis* » (1), et *substantia* accipiatur pro *subsistentia*. — *S. Thomas* autem loquens de eadem definitione (2) ait: « In intellectu substantiae individuae, i. e. distinctae, vel incommunicabilis intelligitur in divinis relatio, » per quam intelligitur ordo, seu habitudo unius ad alterum. Iuxta *S. Thomam* ergo persona divina est relatio subsistens in natura divina; ait enim (3): « Personae sunt ipsae relationes subsistentes. » Et clarius ac solidius eandem rem exponit (4), ubi pro principio ponit, non posse definitionem personae creatae in eodem sensu accipi de persona divina, « cum nihil univoce de Deo dici possit, et de creaturis. » - Huic principio innixus S. Doctor ita disserit (5): « Persona in communi significat substantiam individuam rationalis naturae. Individuum autem est, quod est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum. Persona igitur in quacunque natura significat id, quod est distinctum in natura illa, sicut in humana natura significat has carnes, haec ossa et hanc animam, quae sunt principia individuantia hominem. - Distinctio autem in divinis non fit, nisi per relationes originis. Relatio autem in divinis non est, sicut accidens inhaerens subiecto, sed est ipsa divina essentia: unde est subsistens, sicut essentia divina subsistit. Sicut ergo deitas est Deus, ita paternitas divina est Deus Pater, qui est persona divina. *Persona ergo divina significat relationem, ut subsistentem.* » — Notandum hic est, quod vox *hypostasis*, vel *subsistentia* eandem significationem habeat, cum de Trinitate agitur, quam habet vox *persona*. Antiquitus equidem per hypostasin nonnulli essentiam et alii personam intellexerunt; unde factum est, ut etiam inter orthodoxos dissensiones orirentur, de quibus *S. Gregorius Naz.* (6) dicit: « Res profecto ridicula, vel potius miseranda: diversae fidei speciem praebuit levis et ieiuna de vocum sono altercatio. » Ideo ab Ecclesia in Concilio Constantinopolitano I (7) sancitum est, ut voces *persona*, *hypostasis*, et *subsistentia*, dum de Trinitate agitur, synonimae sint, et idem significent.

2. Iuxta doctrinam revelatam ergo tres sunt in una divinitate personae, *Pater*, *Filius*, et *Spiritus sanctus*, et istae personae realiter inter se distinguuntur, ita ut recte dici possit et debeat: *Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti*, quemadmodum Ecclesia in symbolo (vulgo) Athanasiano profitetur. Personae autem divinae non quoad essentiam, sed, ut loquitur Catechismus romanus (8), « suis tantummodo proprietatibus distinctae intelliguntur. » Nam *Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus a Patre, et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Duae ergo dantur in divinitate processio-

(1) V. Perrone, Tr. de Trin. C. 1, n. 18.
(2) 1, q. 29, a. 4, ad 3.
(3) 1, q. 40, a. 2 ad 1.
(4) 1, q. 29, a. 4.
(5) Ibid. in 0.
(6) Or. de laud. S. Athanas.
(7) Ep. Syn. ad Dam. P.
(8) C. 2, n. 10.

nes, quia secunda persona procedit a prima per generationem, et tertia procedit a prima et secunda per spirationem. Quamvis autem processio sit origo unius ab altero, attamen, quia dictae processiones sunt in ipsa essentia divina, quae tempori subiecta non est, etiam ipsae processiones nullatenus tempori subiectae, sed vere aeternae sunt; quamobrem dicitur: *In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius, aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt, et coaequales.* Una enim est trium personarum essentia, natura, substantia, atque ideo *Patris et Filii, et Spiritus sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas.* Et quia omnia attributa divina non sunt nisi ipsa essentia Dei, idcirco omnia attributa divina singulis personis ex aequo competunt: unde recte dicitur: *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus; - immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus; aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus sanctus; et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus, sicut nec tres immensi, sed unus immensus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus, et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens; ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, et tamen non tres Dii, sed unus est Deus.*

3. Mysterium iam expositum communiter *mysterium Trinitatis* dici consuevit. Nonnulli putarunt, per *Trinitatem* non solum trium personarum distinctionem, sed etiam essentiae unitatem indigitari, quasi *Triunitas* diceretur: sic *S. Isidorus* (1) inquit, Trinitatem ita appellari « quod fiat totum unum ex quibusdam tribus quasi Trinitas. » - Sed hanc etymologiam non approbat doctissimus *Petavius*, qui (2) dicit, quod *Trinitas*, sicut graeca vox τριας, non significet unitatem naturae, sed personarum distinctionem sive tres, qui unus sunt Deus, « non quia unum sunt, sed qua numerabiles sunt. » Etiam *Magister Sententiarum* (3) ait: « Trinitas est unum nomen, quod de nulla persona singillatim dicitur, sed de omnibus simul, quod non dicitur secundum substantiam, sed quasi pluralitatem designat personarum. » Idem colligitur ex symbolo Athanasiano, in quo dicitur: *Fides catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.*

II. *Doctrinae revelatae de Trinitate brevis historia.*

§ 64. Nullum est christianae Religionis dogma, quod inde a primis nascentis Ecclesiae initiis ad nostram usque aetatem tot, tamque pervicaces adversarios iugiter expertum sit, ac illud de augustissimo Trinitatis mysterio. Neque id aliunde nisi ex superbia rationis humanae repetendum est. — Nam diversi generis homines, qui pia simplicitate in divina revelatione non acquiescebant, et rationi naturali plus iusto tribuebant, humanae rationis terminos praetergressi maximas in Ecclesia turbas excitarunt, variaque opinionum monstra in lucem protulerunt. Multi ideo circa doctrinam revelatam de Trinitate aberrantes tum *a*) *inter veteres*, tum *b*) *inter recentiores* inveniuntur.

(1) L. 7 Orig. c. 4.
(2) L. 8 de Trin. c. 9, n. 1, et 2.
(3) L. 1, dist 22.

Digitized by Google

A. *Errores Veterum.*

§ 65. Qui antiquioribus iam temporibus circa mysterium Trinitatis aberrarunt, cum Cl. *Klüpfel* (1) in sex classes commode dividi possunt. 1am *Classem* occupant ii, qui nonnisi personam unam in divinis adstruunt, nimirum conditorem omnium, ut nec res, nec nomen, ac ne umbra quidem Trinitatis appareat. Ad hanc referri possunt *gentiles Philosophi*, inter quos multi unum quidem Deum, sed non tres in una divinitate personas agnoverunt. Et quamvis iuxta graves auctores in *Pythagorae*, *Platonis* huiusque discipulorum scriptis nonnulla Trinitatis vestigia reperiantur, attamen *Bessarion* Cardinalis, de Trinitate Platonica et Aristotelica disserens (2), monuit, ea, quae in scriptis a Religione christiana alienis de Trinitate adferuntur, a catholico dogmate non parum remota esse, et longe aliorsum spectare. — Inter *Iudaeos* plerique explicitam de Trinitate fidem non habuerunt, quam etiam Iudaei recentiores communiter respuunt.--*Muhammedani*,quamvis videantur occurrere vestigia SS. Trinitatis in eorum Alcorano ubi expressa fit mentio trium personarum his verbis: « Iesus Christus Apostolus Dei, et verbum Dei, quod misit ad Mariam, et spiritus de Deo etc. », nihilo tamen minus doctrinam de Deo in personis trino tanquam superstitionem gentilem traducunt, et in Alcorano (3) legitur: « Credite in Deum et legatos, et ne dicatis tres: Deus est Deus unus. Absit, ut ei sit filius. » — Inter Christianos Trinitatem penitus negasse dicuntur *Elceseitae*, uterque *Theodotus*, *Carpocrates*, *Artemon*, et alii. Huc pariter pertinent *Photiniani*, duce *Photino* Sirmiensi Episcopo, Saeculo IV. Referens Photini errorem, *Vincentius Lirinensis* (4) inquit: « Photini haec est secta: dicit, Deum singulum esse et solitarium, et more Iudaico confitendum Trinitatis plenitudinem negat: neque ullam Spiritus sancti putat esse personam. Christum vero hominem tantummodo solitarium asserit; cui principium adscribit ex Maria: et hoc omnibus modis dogmatizat, solam nos personam Dei Patris, et solum Christum hominem colere debere. » Invisus erat Photinus tum Catholicis, tum Arianis, et in variis conciliis condemnatus fuit, praecipue in *Antiocheno* anno 345, in *Mediolanensi* anno 347, ac *Sirmiensibus* pluribus.

2am *Classem* constituunt, qui unam quidem in divinitate personam, sed talem statuerunt, quae pro diversitate temporis, operationis, seu manifestationis tribus distinctis nominibus insignienda sit, quique proinde Trinitatem, ut dicunt, nominalem admiserunt. Recensendus hic est *Simon Magus*, qui iam saeculo I eo temeritatis pervenit, ut diceret, se esse Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ut Patrem se apparuisse in Samaria, ut Filium in Palaestina, ut Spiritum sanctum inter Gentes: id testatur S. Irenaeus (5). Exeunte saeculo II. « *Praxeas*, ut refert Tertullianus, (6) haeresin introduxit. Hic Deum Patrem omnipotentem Iesum Christum esse dicit; hunc crucifixum, passumque contendit et mortuum: praeterea seipsum sibi sedere ad dexteram suam. » Similiter saeculo III. *Noëtus*, discipulus Montani, asserebat, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum non natura solum, sed etiam persona unum, et singularem

(1) L. 1 § 41. (2) L. 2, c. calumn. Plat. c. 4.
(3) Sur. 4. (4) Commonit. c. 5.
(5) L. 1 adv. haer. c. 23.
(6) L. adv. Prax. c. 1.

esse Deum. Huius autem erroris patronus famosissimus fuit *Sabellius*, qui negata divinarum personarum reali distinctione, unam tantum in divinitate personam admisit, et solis nominibus distinxit. Dicebat enim, quod haec una persona divina dicatur Pater, prout mundum creavit et legem dedit; Filius, prout incarnata est, et per passionem et mortem homines redemit; Spiritus sanctus, prout sub specie ignis in Apostolos delapsa est, et animas sanctificat; sicut idem sol dicitur illuminativus, calefactivus et productivus, quia habet virtutem illuminandi, calefaciendi et producendi. — Istiusmodi errorum sectatores ab antiquis dicti sunt *Patripassiani* eo quod Patrem passum esse affirmarent, *Theopaschitae*, quod fabularentur, divinam essentiam obnoxiam esse passioni, ac tandem *Sabelliani* a praecipuo huius haeresis promotore quae a S. Dionisio Alexandrino, in Concilio Alexandrino anno 319, in Concilio Mediolanensi anno 347, et Sirmiensi anno 351, damnata fuit.

3a *Classis* continet illos, qui Patrem, Filium, et Spiritum sanctum tanquam tres distinctas personas admiserunt et coluerunt, sed easdem aequales et consubstantiales esse negarunt. Hanc haeresin maxime propagavit *Arius* saeculo IV. Docuit enim, secundam Trinitatis personam, seu Christum, non ex natura, sed ex voluntate Patris, et sola participatione Deum esse: ipsum non ex essentia Patris ab aeterno genitum, sed ex nihilo, seu ex non extantibus creatum fuisse ante rerum omnium primordia: hinc eundem nonnisi creaturam esse, licet omnibus creaturis, etiam Angelis, sit perfectior, et per eum ut per instrumentum Pater omnia condiderit. Haec constant ex epistolis synoditis S. Alexandri, et Concilii Nicaeni, et ex *S. Athanasio* (1). Damnata fuit haec haeresis in Concilio *Alexandrino*, et praecipue in Concilio generali *Nicaeno I*.... Arii sectatores post Concilium Nicaenum I. in tres sectas, seu factiones scissi sunt, in eo tamen omnes conveniebant, Filium Deo Patri non esse consubstantialem. — Nonnulli Arii vestigiis pertinaciter inhaerentes docebant, Filium Patri in omnibus dissimilem esse, et propterea *Anomaei*, id est, *Dissimiles* dicti, ab auctoribus vero suis *Aëtio* et *Eunomio*, *Aëtiani* et *Eunomiani* appellati sunt: his adhaesere *Valens*, *Ursacius*, *Auxentius* Mediolanensis, et alii. — Secunda factio eorum fuit, qui *Semiariani* nuncupati sunt, eo quod asperitatem Ariani dogmatis aliquo modo emollirent ac temperarent. Hi quidem vocem ὁμοούσιον, consubstantialem reiiciebant, et Filium Patri ὁμοιούσιον, id est in omnibus, adeoque et in essentia, similem praedicabant. Huius factionis principes extitere *Basilius Ancyranus*, *Georgius Laodicenus*, *Eusebius Sebastiensis*, et alii. Hi a nonnullis de negata Christi divinitate accusantur, ab aliis vero excusantur, et tanquam orthodoxe sentientes habentur, quamvis ab omnibus ex eo merito reprehendantur, quod a recepta et consecrata ab Ecclesia loquendi formula recesserint (2). Tertia secta fuit *Acacianorum* a suo principe *Acacio*, Episcopo Caesariensi, dicta: haec Filium Patri neque consubstantialem cum Catholicis, neque in omnibus similem cum Semiarianis, neque dissimilem cum Anomaeis praedicabant, sed ὅμοιον, id est, similem non quidem essentia, sed voluntate, aut ad eum modum, quo effigies suo prototypo similis est:

(1) Orat. c. Arian.

(2) Cf. Perrone Cap. 3, n. 157 in notis.

Digitized by Google

quare in symbolo Seleuciae per legatum Imperatoris praelecto profitebantur: « Apostolum sequimur, qui de Filio loquens inquit: qui est imago Dei invisibilis. »

4ª *Classis* illorum est, qui duas personas divinas admiserunt, sed tertiae personae, nimirum Spiritus sancti divinitatem negarunt. — Horum dux fuit *Macedonius*, semiarianus presbyter, dein Arianorum artibus Episcopus Constantinopolitanus, sed iubente Constantio Imperatore, dignitate hac brevi rursus exutus, qui statim atque Episcopatu abdicatus est, novam condidit haeresin docens, Spiritum sanctum esse tantum a Filio procreatum, eiusdemque famulum et ministrum. Hunc errorem mox amplexi sunt quamplurimi dicti propterea *Macedoniani*, vel etiam vocabulo graeco *Pneumatomachi*, i. e. Spiritus S. impugnatores. De his testatur *S. Augustinus* (1): « De Patre, et Filio recte sentiunt, quod unius sint eiusdemque essentiae, sed de Spiritu sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes. » Quamvis autem haeresis Macedoniana in Concilio oecumenico Constantinopolitano I. fuerit condemnata, nihilo tamen minus *Eusthatius*, Episcopus Sebastenus, et *Eunomius*, natione Cappadox, et Episcopus Cyzicenus eandem propugnarunt et dilatarunt, ausu suo temerario non paucos decipientes.

5ª *Classis* comprehendit illos, qui tres in una divinitate personas admittunt, sed Spiritum sanctum a solo Patre procedere dicunt, eius processionem a Filio negantes. Hic error a Nestorianis originem cepisse videtur; nam *Theodoretus*, Nestorii fautor in reprehensione Anathematismi noni Cyrilliani de Spiritu sancto dixit: « Si vero tanquam ex Filio, vel per Filium existentiam habeat: hoc ut blasphemum et impium reiicienus. » Saeculo VIII *Iconomachi* litem ob dogma hoc de processione Spiritus sancti Latinis moverunt. Saeculo IX *Photius*, Patriarcha Constantinopolitanus, doctrinam de processione Spiritus sancti a Filio tanquam falsam et blasphemam proclamavit, et ab Ecclesia latina, quae processionem Spiritus sancti a Filio etiam publice in symbolo profitebatur, se separavit. Post mortem Photii septemdecim Patriarchae graeci pacem et communionem cum Ecclesia Romana servarunt, sed *Michaël Caerularius*, saeculo XI ad sedem patriarchalem promotus, lugendum schisma renovavit, resuscitata praeter alias controversias etiam controversia de processione Spiritus sancti et particula, *filioque*, e symbolo erasa. Equidem in Concilio Lugdunensi II, et praecipue in Concilio Florentino Graeci magno consensu cum Latinis processionem Spiritus sancti a Filio professi sunt, eamque synodice definierunt; sed multi sicut in patriam, ita et in pristinum errorem reversi sunt, quem etiamnum Ecclesia graeca schismatica tenet.

6ªe *Classi* adnumerantur, qui in divinis non tantum tres personas, verum etiam tres Deos admittunt, dicti ideo *Tritheitae*. Teste *Assemanno* (2), Tritheismus prodiit ex schola Monophysitarum auctore *Ioanne Ascunage*, Philosopho Syro; Monophysita, qui tres numero substantias prorsus inter se aequales, nec ullo quasi communi essentiae vinculo inter se connexas statuit, sicque ad Tritheismum viam pandit, quam plane ingressus est inter fautores huius sententiae celebris prae aliis *Ioannes*, natione Alexandrinus, Philosophus Aristotelicus et

(1) L. 2 de haer. haeres. 52.

(2) In Bibl. Orient.

Grammaticus, ac ob studiorum assiduitatem *Philoponus* nominatus: hic ex male intellecto Trinitatis mysterio non solum tres distinctas personas, sed tres distinctos Deos propugnavit. Saeculo XI *Roscellinus*, Compendiensis in Gallia Canonicus, Nominalium Doctor, et Dialecticus non incelebris, Tritheismum resuscitavit, docuitque, « tres in divinitate personas esse tres res, seu realitates eo fere modo inter se distinctas, quo tres animae et tres Angeli inter se differunt, una licet potentia et voluntate tres istae res sint praeditae. » Refutatus fuit a discipulo suo *Petro Abaëlardo*, qui (1) eum vocavit « erectum et semper inflatum catholicae fidei hostem, cuius haeresis est tres Deos confiteri, » et a *S. Anselmo* (2). Ineunte saeculo XIII *Ioachimus* Abbas Ord. Cisterc. vir morum gravitate celebris, ex male intellectis Petri Lombardi verbis, quem in divinis quaternitatem adstruere existimabat, occasionem sumsit in tribus Deitatis personis unitatem non essentialem, sed collectivam adstruendi, et sic in Tritheismi errorem incaute incidit. Fassus enim equidem erat Ioachimus, quod Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt una essentia, una substantia, unaque natura; verum unitatem huiusmodi non veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam esse dixit, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, et multi fideles una Ecclesia, iuxta illud: *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una* (3); et: *Qui adhaeret Domino unus Spiritus est*, (4). Sed haec doctrina, cuius auctor iam anno 1202, e vivis excesserat, ab Innocentio III, in Concilio Lateranensi IV (5) damnata fuit. Ioachimus autem a plerisque a formali haeresi excusatur tum ob insignem eius pietatem, tum quia libros suos ecclesiasticae censurae reverenter subiecit.

B. *Errores Recentiorum.*

§ 66. 1. Saeculo XVI fere omnes veterum Antitrinitariorum errores resuscitati sunt. Primo nominandus est *Michaël Servetus*, natione Hispanus, conditione medicus, qui scriptis et verbis docuit, unicam dari in divinis personam, et orthodoxam de Trinitate doctrinam blasphemis vocibus persecutus est, quapropter Genevae comprehensus, et agitante ipso Calvino anno 1553 vivus combustus fuit. — Impietatis suae socium habuit Servetus *Valentinum Gentilem*, Italum Consentinum, qui asserere non est veritus, Trinitatem esse merum commentum humanum, et symbolum Athanasianum dicendum potius esse Satanasianum, propter quas aliasque blasphemias Bernae capite plexus est. — Sed prae caeteris hic recensendus est *Laelius Socinus*, nobilis Senensis, vir petulantis ingenii, criticae intemperantioris, philosophicis et dialecticis argutiis toto animo addictus, qui cunctis religionis revelatae mysteriis bellum indicens, doctrinam suam pestiferam publice quidem non propagavit, sed scripta sua erroribus referta, reliquit nepoti suo *Fausto Socino*, qui errores a patruo suo haustos anno 1574 ita propagavit, ut ab ipso *Secta Socinianorum* nomen acceperit. Cum Sociniani nullam doctrinam credendam esse asserant, quae rationis captum superat, iuxta hoc ipsum principium summum Trinitatis mysterium reiiciunt. Uti enim ex Fausti Socini scriptis, et ex Catechismo Racoviensi constat,

(1) Epist. 21.
(2) In Tract. de fide Trinit., et Incarnat.
(3) Act. 4, 32.
(4) I Cor. 6, 17.
(5) Cap. 2.

ipsi docent: « in divina essentia unam tantum dari personam, et hanc esse Patrem Domini nostri Iesu Christi. » Hunc vero solum hominem esse credunt, eiusque divinitatem penitus negant, quamvis eundem tanquam Deum adorandum esse profiteantur. Nam in Catech. Racov. equidem dicitur: « Dominum Iesum pro Deo agnoscere tenemur, id est, pro eo, qui in nos potestatem habet divinam, et cui nos divinum exhibere honorem obstricti sumus » (1), et: « Honor divinus Christo debitus consistit in eo, quod quemadmodum adoratione divina eum prosequi tenemur, ita in omnibus necessitatibus nostris eius opem implorare possumus » (2). Sed (3) profitentur « permagnum discrimen inter honorem et cultum, qui Deo, et illum, qui Christo tribuitur; nam, aiunt, adoramus et colimus Deum tanquam causam primam salutis nostrae, Christum tanquam causam secundam » Denique (4) aperte profitentur, « Spiritum sanctum non esse in Deitate personam; » et (5) de Spiritu sancto dicitur, « illum non esse personam aliquam, a Deo cuius est spiritus, distinctam, sed tantummodo ipsius Dei vim et efficaciam quandam. » — *Sociniani* ergo cum Arianis divinitatem Christi, cum Macedonianis divinitatem Spiritus sancti, et cum Photino totum Mysterium Trinitatis negant, unam tantum in divinitate personam agnoscentes; quapropter etiam *Unitarii* vocari solent. Nonnulli ex ipsis cum *Francisco David* adorationem et invocationem Christi improbarunt (6).

2. Saeculo XVII haeresis Sabelliana, quam S. Augustinus (7) extinctam aetate sua pronuntiaverat, caput rursus extulit. Varii enim, potissimum in Anglia, negarunt, tres dari in divinitate personas distinctas, et per Patrem, Filium, et Spiritum sanctum tres divinitatis *modos* intellexerunt, quapropter *Modalistae* dicti sunt. Sic auctor *Latitudinarii orthodoxi* (8) Trinitatem personarum in divinis explicat per tria attributa, ita ut persona prima sit *bonitas* Dei, secunda *sapientia*, et tertia *potentia*. Ineunte saeculo XVIII *Stephanus Nye* (9), *Nehem. Grew.* et *Io. Cledonius* errorem Sabellianismi de novo sparserunt. *Io. Wallysius* tam inter Mathematicos, quam Theologos Angliae celebris, in octo Epistolis et tribus sermonibus Oxonii habitis, docuit: « Divinam personam esse modum, sive respectum Dei in relatione ad creaturas, ut adeo tres sint in Deo per repetitionem, non per multiplicationem. » — Inter Batavos Sabellianismum adoptavit *Herman Deusing*, qui comparat essentiam Dei cum anima hominis, et tres personas vocat eiusdem intellectum, iudicium, ac voluntatem, atque existimat, Deum qua *intelligentem* Patrem, qua *iudicantem* Filium, qua *volentem* Spiritum sanctum dici debere. *Io. Clericus* in epistolis theologicis, quas sub nomine Liberii a S. Amore edidit, apertissime Modalismum tradit; ait enim: « Deus cum de variis uno eodemque tempore propter infinitatem cogitare possit, in Deo potest concipi pater, sive natura divina, certo quodam modo cogitans Filius, et Spiritus sanctus eadem natura duobus aliis modis cogitationes efformans. Sic recte concipi potest unicus Deus, hoc est unica natura divina, sed varii cogitandi modi, atque ita facile Scripturae loca

(1) Q. 236 (2) Quaest. 237.
(3) Quaest. 245. (4) Quaest. 271.
(5) Inst. Rel. christ. c. 2.

(6) V. Wiest T. 4, § 235 etc. Möhler Symbol. § 89. (7) Tr. 40 in Io.
(8) Lond. 1697 (9) Lond. 1701.

Digitized by Google

conciliantur. Et certe, in Scriptura nulla plane cernitur differentia inter Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, nisi quod varia agant, seu cogitent; nam agere et cogitare in spiritu idem est. » Ex Germanis nominandus hic prae caeteris est *Car. Frid. Bahrdt*, qui tres personas ens numero idem esse docet, atque personas istas ita Deum unum esse censet, sicut, e. g. Titius, qui maritus, scriptor, et artifex est, tres repraesentat personas, reipsa tamen una realiter persona est: et in epistolis suis theologicis Sabellianismo iungens Arianismum ait: « Deitatem in subiecto proprio dici debere Deum Patrem, in subiecto alieno scilicet Christo homine Deum hominem, et in spiritu omnia creante et animante Spiritum sanctum » (1). — Heterodoxis hisce adnumerandus venit *Emmanuel Swedemborg*, Episcopi Suéci filius, vir magna eruditione praeditus, mortuus anno 1772. Hic iactitabat, se per visiones et revelationes supranaturales a Deo et ab Angelis erudiri, aut alios, ut maiorem sibi auctoritatem conciliaretur, decipiens, aut a sua fervida imaginatione, vel a spiritu maligno, in Angelum lucis transformato, ipse deceptus. Docuit iste, unam esse in divinitate personam, quae in Christo humanitatem assumsit, et Spiritum sanctum non esse nisi virtutem, quae nostram sanctificationem operatur. Iuxta ipsum ergo Trinitas non est nisi triplex manifestatio unius personae, utpote quae creans in Patre, redimens in Filio, sanctificans in Spiritu sancto se manifestat (2).

3. Antitrinitariorum numerum maxime auxit *Rationalismus* recentiorum temporum, qui omnia revelata mysteria aut cum *Baelio*, *Voltairio* et aliis ut absona et contradictoria impugnat, aut saltem ita explicat; ut ad veritates ordinis naturalis reducantur. Hoc modo *Kant* docuit, Deum sub triplici respectu considerandum esse, nempe *ut sanctum legislatorem*, *ut providum gubernatorem*, et *ut iustum iudicem;* immo addit, nos Deum venerari posse ut Patrem, quatenus homines legi morali obsequentes amat; ut Filium, quatenus a se progenitam, et amatam ideam humanitatis sibi repraesentat, et Spiritum sanctum quatenus cum maxima sapientia amorem suum ad moralitatis conditionem restringit: monet autem Kant, nullatenus tres personas distinctas agnoscendas esse, per quas unitas essentiae tolleretur. — Iisdem rationalismi principiis addicti multi Theologi non solum arminiani, quorum plerique ad Socinianismum propendent, sed etiam lutherani et calviniani ab orthodoxa de Trinitate doctrina defecerunt. Sic *Tobias Damm.*, *Sam. Steimbart*, *Bern. Basedow*, *Wegscheider* et alii revelatam de Trinitate doctrinam aperte impugnarunt et reiecerunt. *Tieftrunk* ait, per tres personas intelligi tres relationes Déi ad homines, nimirum relationem *bonitatis* sub symbolo Patris, relationem *sapientiae* sub symbolo Filii, relationem *sanctitatis* sub symbolo Spiritus sancti. — *Töllner* et *Silberschlag* per tres personas intelligunt Dei *potentiam*, *intellectum*, et *voluntatem*. — *Schlegel* Trinitatem explicat per triplicem virtutem, quae *mundum creat*, *conservat et gubernat*, *mundum illuminat*, *et mundum emendat*. — *De Wette* in Trinitate agnoscit Deum *ut ens supremum*, ut *in mundo manifestatum*, ut *in natura operantem*. Sic Rationalismus effecit, ut inter Protestantes non pauci Theologi a doctrina revelata recederent,

(1) V. Wiest § 207-212.

(2) Mohler § 79.

tres in una divinitate personas realiter distinctas negarent, et solummodo umbram quamdam Trinitatis substituerent, ne ipsa sacra Biblia penitus reiicere videantur (1).

4. Maxime absona et impia sunt, quae a *Pantheistis* de divinitate proferuntur, quam cum mundo confundunt, seu ipsum Universum esse dicunt. Iuxta ipsorum systema sicut mundus ita etiam Divinitas mutationibus subiacet, oritur, incrementa capit, et perficitur. Ut autem vestigium quoddam Trinitatis appareat, Pantheistae triplicem vitae divinae processum assignare conantur. — Cl. Staudenmaier contendit, iam *Sabellium* pantheistico modo Trinitatem declarasse, et pro basi, seu complexu Divinitatis statuisse *Monaden*, quae successu temporis Pater, Filius, et Spiritus sanctus fiat. De eodem pantheistico Trinitatis conceptu etiam haud immerito arguuntur *Petrus Abaëlardus*, *Magister Ekhartus*, *Wicleffus* et alii. Certum autem est, Pantheismum recentioribus temporibus magnopere dilatatum esse, eiusque virus non solum in philosophicis, sed et in theologicis scriptis haud raro inveniri. Ita *Iac. Boehm* asseruit Deum tendere ad sui manifestationem, et ideo se generare, et quidem se ut mundum generare et manifestare, et hac de causa sub triplici respectu considerari posse, seu Trinitatem esse symbolum illius processus, in quo vita divina explicatur, quamvis distinctio personarum nulla sit admittenda. Similia *Schelling* protulit, sed ad declarandum processum, qui in vita divina contingit, *tres potentias* statuit. *Schleiermacher*, qui doctrinam de Trinitate obsoletam et abolitam iudicat, tres distinguit in divinitate periodos, in quarum prima Deus fit *natura*, in secunda *homo*, in tertia *spiritus*, et quidem in Ecclesia, seu in communitate christiana, postquam humanitas in Christo, seu per Christum ad veram suam dignitatem pervenerat. Etiam iuxta *Hegelium* divinitas in tribus periodis consideranda est: in prima divinitas est idea logica, seu Esse purum, in quo nihil distingui potest, quia differt ab absoluto esse, et ab absoluto non esse, et quasi in medio sistit ut τὸ fieri. — In secunda periodo divinitas se explicans et manifestans fit natura, et homo. In tertia periodo divinitas in se rediens fit spiritus. Has periodos Hegel nominat etiam tria regna, i. e. *regnum Patris*, *regnum Filii*, et *regnum Spiritus:* sed in ultima solum periodo Deus fit Spiritus absolutus, qui est omnia, omnia movet, et in omnibus vivit. — Sic illi, qui se Philosophos nominant, ea, quae supra rationem sunt, reiicientes, talia amplexi sunt, quae sunt contra rationem: nihil enim rationi magis adversatur, quam vel Deum penitus negare, vel talem Deum statuere, qui mutationi, adeoque etiam tempori subiectus sit; quo posito, cum infinitus numerus repugnet, initium haberet, quod nec a se, nec ab alio repeti posset, et sic nullius rei ratio sufficiens haberetur, et de omni Philosophia actum esset (2).

III. *Doctrinae revelatae de Trinitate grave momentum.*

§ 67. Doctrinam de Trinitate gravissimi esse momenti, et ideo cum maxima diligentia pertractandam, ex variis rationibus patet. Nam

1. Deus, unus in essentia et trinus in personis, est summum Religionis mysterium, praecipuum fidei obie-

(1) Cf. Wiesl § 212, Dobmayr p. 308, Staudenm. § 96, n. 8.

(2) Cf. Staudenmaier § 97, n. 617-624.

Digitized by Google

ctum, et dogma principale, quo Christiani ab aliarum religionum asseclis maxime a Iudaeis hodiernis, Paganis et Mahumetanis distinguuntur. Ideo in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti baptizamur, et tribus hisce divinis personis nomen ex aequo damus ac spondemus obsequium. Cuilibet ergo Christiano maxime cordi esse debet genuina de Trinitate doctrina. Haec autem ex sola Revelatione, Ecclesia interprete, repetenda et valde cavendum est, ne placita humana cum dogmatibus revelatis confundantur: et dum haec proponuntur etiam non aliis vocibus utendum est nisi iliis, quae per infallibile Ecclesiae magisterium sacratae sunt. Quo magis enim Mysterium Trinitatis ab omni humana intelligentia remotum est, eo maior cautio adhibenda est ut castigata sit et accurata nostra loquendi ratio, « quia, ait *S. Augustinus*, de hoc mysterio disserens, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur (1) ».

2. Cum doctrina de augustissimo Trinitatis mysterio varia dogmata in Religione nostra fundamentalia connexa sunt, qualia sunt dogmata de missione Filii, de eius incarnatione, de eius satisfactione, de missione Spiritus sancti, et alia: quapropter sine cognitione mysterii sanctissimae Trinitatis praecipuae salutis nostrae causae ignorantur, charitas Patris (2), meritum Filii (3), gratia Spiritus sancti (4), et tota Revelationis oeconomia subvertitur. Dogma ergo de Trinitate totius Theologiae christianae basin et fundamentum constituit. Hinc merito *Tertullianus* (5) dicebat: « Cui veritas comperta sine Deo? cui Deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus sine Spiritu sancto? cui Spiritus sanctus accommodatus sine fidei Sacramento? »

3. Cum innumeri propemodum heterodoxi existant, qui orthodoxam de mysterio Trinitatis fidem impugnant, nova ratio accedit, propter quam tractatus praesens cum maxima diligentia est suscipiendus. Requiritur enim, ut Theologus *potens sit*, non solum *exhortari in doctrina sana*, sed etiam *eos, qui contradicunt arguere* (6). Solide idcirco catholica de Trinitate doctrina probanda, et contra adversariorum obiectiones, quibus illam impugnant, defendenda est, ut recte sentientium fides adversus impiorum hominum fraudes, et astutias caute praemuniatur. Etiam Ss. Patres dogmata revelata eo maiori ingenii acumine et pietatis fervore tum verbis, tum scriptis defendere consneverunt, quo maiori temeritate ab infidelibus, aut haereticis impugnata fuere. Sic *S. Athanasius* confutans Arianos, qui errores suos undique spargere conabantur, publice (7) professus est: « Necessarium duximus, nefandae huiusce haeresis sinus explicare, atque eius stultitiae patefacere foetorem, ut qui procul ab ea sunt remoti, eam magis adhuc fugiant; qui autem ab ea decepti fuerunt, resipiscant, apertisque oculis cordis intelligant, quemadmodum tenebrae non sunt lux, nec mendacium veritas. »

4. Mysterium SS. Trinitatis fundamentalis est Religionis christianae articulus, cuius implicita fides non sufficit, sed explicita cognitio et professio ad salutem necessaria est. Christus enim ait: ***Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum*** (8),

(1) L. 1 de Trin. c. 3. (2) Io. 3, 16.
(3) Phil. 2. (4) Io. 14, 16, Act. 2, 1 etc.
(5) Lib. de anima c. 1. (6) Tit. 1, 9.
(7) Orat. 1 c. Arian. (8) Io. 17, 3.

ubi vita aeterna dicitur in cognitione Christi consistere: stare autem non potest recta Christi cognitio sine notitia Trinitatis cuius ille secunda est persona. Nullatenus enim sufficit, ut Christum ceu divinum Legatum et Mediatorem veneremur, sed necesse est, ut eum ceu verum Deum agnoscamus et profiteamur. Ideo Christus dicit: *Creditis in Deum, et in me credite* (1); et praecipitur, *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem* (2). Talis autem honor Christo, ut Filio Dei vero tribuendus, notitiam Trinitatis exposcit. Idcirco Ecclesia a suscipientibus baptismum semper postulavit et postulat, professionem fidei in tres in una divinitate personas, vel per se, vel per patrinos faciendam. Et symbolum Athanasianum dicit: *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat Catholicam fidem, quam nisi quis integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit. Fides autem Catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.*

Nota. Ut doctrina tanti momenti debito modo pertractetur, ante omnia ipsa Mysterii Trinitatis veritas evincenda, seu probandum est, in una divina essentia vere esse tres personas realiter distinctas, nimirum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Ad hanc veritatem probandam ex Revelatione primum talia argumenta adduci possunt, quae totum simul mysterium evincunt. Praeterea ex eadem Revelatione singularum personarum divinitas probari, earumque consubstantialitas ostendi potest, ex quo iterum recte concluditur, Deum trinum in personis, sed unum in essentia esse. — Summa hac veritate probata, de personarum distinctione agendum, et doctrina catholica de processionibus et relationibus divinis proponenda est. — Magni etiam nostris praecipue temporibus momenti est, ut ostendatur, quid circa Trinitatis mysterium ratio humana praestare valeat, et quid non valeat. — Denique pro Theologiae candidatis perquam necessarium est, ut regulas cognoscant, quae, dum de augustissimo Trinitatis mysterio sermo instituitur caute observari debent. Tota ergo tractatio quinque capitibus absolvitur: agitur enim 1° *de tribus personis in una divina essentia generatim*, 2° *de tribus personis in una divina essentia singillatim*, 3° *de processionibus divinis*, 4° *de Mysterii Trinitatis relatione ad rationem humanam*, et 5° *de modo caute de Mysterio Trinitatis loquendi*.

(1) Io. 14, 1. (2) Io. 5, 23.

CAPUT I.

DE TRIBUS PERSONIS IN UNA DIVINA ESSENTIA GENERATIM

§ 68. Dum de personarum Trinitate in una essentia divina agimus, versamur in dogmate puro, et in dogmate mysterio, quod non ex principiis philosophicis demonstrari, et etiam post factam revelationem a ratione humana perfecte comprehendi non potest. Tres ergo esse in una divina essentia personas realiter distinctas ex sola Revelatione probandum est. Sed uterque Revelationis fons, nimirum 1) *S. Scriptura*, et 2) *Traditio* pro Trinitatis mysterio solidissima argumenta exhibet.

ARTICULUS I.

Argumenta ex S. Scriptura deprompta.

§ 69. Quoniam iuxta aeternae sapientiae consilia homines sensim, et veluti per gradus ad rerum altissimarum cognitionem perducendi e-

rant, et plena Revelationis lux per Christum erat afferenda; non omnia Religionis nostrae mysteria in veteri lege clare patefacta sunt. Id etiam de summo Trinitatis mysterio dicendum est, quod saltem non omnibus Hebraeis tam clare revelatum fuit, ut explicitam de illo fidem haberent. Apertae huius mysterii revelationi ipsa populi iudaici indoles obstitit, quod observat Em. *Bellarminus* (1) dicens: « Notandum est, Deum in V. T. noluisse proponere mysterium Trinitatis expresse, quia Iudaei incapaces erant, et quia recens exierant de Aegypto, ubi colebantur multi Dii, et intraturi erant in terram Chanaan, ubi etiam multi habebantur Dii, ne videlicet putarent, sibi tres Deos proponi colendos: voluisse tamen Deum adumbrare hoc mysterium, idque multis modis, ut cum in Testamento novo praedicaretur, non videretur omnino novum, et repugnans Testamento veteri. » Multa idcirco in Scripturis V. T. loca inveniuntur, in quibus non obscure indigitatur, plures in una divina essentia personas distinctas dari. Merito ergo dici potest Mysterium Trinitatis 1º *in Scriptura V. T. non obscure indigitatum*, et 2º *in Scriptura N. T. clare revelatum fuisse, quod utrumque facile est probare.*

I. *Mysterium Trinitatis in V. T. non obscure indigitatum.*

§ 70. 1. Quamquam in V. T. fides in unum Deum tanquam primaria lex ubique proponatur, talia tamen nomina Deo tribuuntur, quae pluralitatem quamdam significant. Sic satis nota nomina unius Dei *Elohim* (Dii): *Adonai* (Domini): numerum pluralem praeseferunt. Hincinde nomen Dei in plurali, verbum autem in singulari numero enuntiatur, ut: *In principio Deus (Elohim) creavit coelum et terram* (2). Alibi occurrit verbum in plurali, et nomen Dei in singulari; Abraham ait: *Eduxit* (hebr. *eduxerunt*) *me Deus de domo Patris mei* (3). Frequenter nomina coniunguntur, et Deus *Iehova Elohim* appellatur (4). —Istae phrases biblicae difficultatem facessunt Scripturae expositoribus, illamque nonnulli per linguae hebraicae genium explicare solent, sed sententiam suam vix sufficientibus argumentis probare valent, nisi auctoritate Rabbinorum recentiorum utantur, qui omne Trinitatis vestigium ex libris sacris eliminare student. Melius certe, et solidius difficultas solvitur, si cum probatissimis Theologis admittitur, in citatis loquendi formulis unitatem divinae essentiae, et pluralitatem divinarum personarum indigitari (5).

2. Gen. I, 26 Deus sic loquens inducitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* etc., v. 27 subiungitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.* Eo in textu, plurali numero Deus ait: *Faciamus* etc. ad designandam personarum pluralitatem; in singulari vero numero *ad imaginem* non ad imagines, ut unitas essentiae designetur. Sic haec verba exposuerunt *Tertullianus* (6), *Basilius* (7), *Cyrillus Hier.* (8), *Athanasius* (9), *Ambrosius* (10), *Chrysostomus* (11), *Augustinus* (12), *Theodoretus*, qui (13) ait: Deus

(1) Disp. de contr. fid. 2 de Christo l. 2 c. 6.
(2) Gen. 1, 1. — Cf. Ios. 24, 19.
(3) Gen. 20, 13. — Cf. Gen. 35, 7.
(4) Gen. 3, 8 Ex. 9, 30. Ios. 22, 22. 2 Reg. 7, 18-28 Ps 84, 9, 12.
(5) Cf. Stolberg Geschich. l. 1. B. 5 Beil. Staudenmaier § 83.
(6) De carne Christi c. 5.
(7) Hom. 9 in Hexaem. (8) Catech. 10.
(9) Or. 4 c. Arian. (10) L. 6 Hexaem. c. 7.
(11) Hom. 8 in Gen.
(12) L. 1 de Trin. c. 7. (13) Interrog. 19 in Gen.

« subiungens illud, *faciamus*, expressit numerum personarum. Similiter cum iterum singulari numero dixit, *imaginem*, eandem esse naturam ostendit. » Egregie etiam in eundem locum loquitur *Faustinus* (1): « Non est, inquit, unius personae dicere: *Faciamus ad imaginem et similitudinem nostram*; sed neque diversae deitatis. Nam pluralitas horum verborum, *faciamus* et *nostram*, Patris et Filii personas significat. Quod autem singulariter *imaginem* dicit, una deitas, una virtus utriusque personae manifestatur. » Quamvis autem nonnulli Patres, uti Faustinus, dicant in citato textu Patrem loqui ad Filium, per quem omnia facta sunt, alii tamen asserunt, Patrem ambas reliquas alloqui personas; ita sentiunt *Theophilus* (2), *Basilius* (3), *Cyrillus Alex.* (4), *Theodoretus* (5), *Fulgentius* (6), *Isidorus Pelus.* (7), et alii. — Absona autem est sententia Socinianorum, qui cum Iudaeis recentioribus contendunt, in adductis verbis Deum Angelos allocutum fuisse: nam de Angelis hic nulla mentio occurrit: dein creatio ubique soli Deo tribuitur, qui dicit: *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum* (8); et hic in specie dicitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum;* quapropter verbum, *faciamus*, nullatenus ad Angelos spectat: quod idem patet etiam ex eo, quia additur: *Ad imaginem et similitudinem nostram*, in quae verba *S. Basilius* (9) heterodoxum provocans ait: « Quid dicis ad hoc? num una est Dei, et Angelorum imago? — Certe ad Filium haec dicta sunt, qui est vera et viva imago Patris, et qui ipse dixit: *Ego, et Pater unum sumus* (10). » — *S. Chrysostomus* (11) ait: « Ad Angelum et Archangelum, inquiunt, haec (12) dicta sunt. O insaniam, o magnam impudentiam! Et quomodo rationi consentaneum est, ut Angeli consilium dent Domino, et creaturae Creatori? Non est Angelorum consilia dare, sed adsistere, et ministerium adimplere. » Nec minus ineptum est quod alii dicunt, autumantes, Deum regum et principum more plurali numero locutum esse honoris causa; recentior enim iste mos insolitus erat apud Hebraeos, nec ullum exemplum occurrit personae singularis, quae de se ita loquitur. Reges etiam ambitiosissimi de se numero singulari loquentes introducuntur, ut *Pharao* (13), *Nabuchodonosor* (14), *Darius* (15). — Sed nec Deus hanc formam adhibuit quando quam maxime commendanda fuisset eius maiestas, ut cum legem dedit in monte Sinai; unde recte observat *Theodoretus* (16): « In universa plane Scriptura divina licet audire Deum omnium singulari numero loquentem: raro autem pluraliter sermonem format, nisi cum innuit numerum personarum Trinitatis. » — Denique maxime absurdum est, quod ipse Socinus opposuit, dicens, Deum in numero plurali loquentem seipsum ad creandum hominem quasi excitare dicendo: *Faciamus* etc. perinde ac artifex sese ad opus accingens semetipsum adhortatur inquiens: laboremus, fingamus statuam etc.; nullatenus enim Deus, qui cum summa facilitate, imo unico nutu omnia producit, confundendus est cum homine, qui non sine magno labore opera sua perficit: indigitata ergo sui

(1) T. 4 Bibl. PP. (2) L. 2 ad Autol.
(3) L. 5 c Eunom. (4) Lib. 1 Thesau.
(5) L. c. (6) L. de fid. ad Petr. c. 1.
(7) L. 3 Ep. 112. (8) Isa. 44, 24.

(9) Hom. 9 in Hex. (10) Io. 10, 30
(11) L. c. (12) Gen. 1, 26.
(13) Ex. 5, 11. (14) Dan. 4.
(15) Esdr. 6. (16) L. c.

Digitized by Google

ipsius exhortatio dedecet maiestatem divinam. Neque illa explicat, cur creaturus hominem in numero plurali loquatur: « Quis enim, ait S. *Basilius* (1), faber ferrarius, aut lignarius, aut quis sutor, solus inter artis instrumenta sedens, adiuvante ipsum nemine, dicat ipse sibi: Faciamus gladium aut aratrum compingamus, aut conficiamus calceamentum? an non potius, quod sibi convenit, opus cum silentio absolvit? » — Tandem futilis Socini expositio nullo modo valeret ad vim alterius loci parallelli elidendam, in quo Deus dicit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est* (2): quae verba de Deo sese ad agendum provocante certe explicari non possunt. Ideo iam *Tertullianus*, confutans Praxeam, qui similia effutiebat(3) inquit: « Interrogo, quomodo unicus et singularis pluraliter loquitur: *faciamus* etc. cum debuerit dixisse: *faciam* etc. utpote unicus et singularis? sed et in sequentibus: *Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis*, fallit, aut ludit, ut cum unus, et solus, et singularis esset, numerose loqueretur » (4).

3. In S. Scriptura V. T. non tantum generatim personarum multiplicitas designatur, sed et personarum numerus indigitatur; cum Deus vellet superbos turris babylonicae architectos punire ait: *Venite, descendamus et confundamus linguam eorum* (5), in quae verba *S. Chrysostomus* (vel alius ex Veteribus) (6), « Vide, obsecro, ait, quomodo Patris vox Filium, et Spiritum vocet: nam si ad unum solum hoc dictum esset, debebat dicere: Veni, et descendamus... quia autem dixit: *Venite*, unius est vox ad duos honore aequales. » Gen. XVIII, 1. Iehova dicitur apparuisse Abrahae in convalle Mambre, et v. 2 statim additur: *Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cum vidisset... adoravit in terram*, v. 3, et dixit: *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis*, etc. In hunc locum *S. Ambrosius* (7) ait: « Abraham tres vidit et unum adoravit. » Idem repetit *S. Augustinus* (8). — Ps. XXXII, 5, etc. legitur: *Misericordia Domini plenà est terra. Verbo Domini coeli firmati sunt: et Spiritus oris eius omnis virtus eorum*: quae verba exponens *S. Augustinus* (9) inquit: « *Verbum* certe Dei Filius est, et *Spiritus oris eius* Spiritus sanctus est. Hoc (solidare coelos) facit Filius, et Spiritus sanctus: numquid sine Patre? - Quis ergo facit per Verbum suum, et Spiritum suum nisi cuius Verbum est, et cuius Spiritus est? Trinitas ergo haec unus Deus. » Ex eodem loco *Gregorius Nyss.* (10) probat Trinitatem personarum, quia Verbo, et Spiritui opera divina adscribuntur: « Quaenam enim, inquit, tanta virtus proficiscitur a verbis, et ab anhelitu, ut sufficiant ad construendum coelum, et quae in eo sunt virtutes?... Si autem, ut dicit David, Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu eius omnis virtus eorum constat mysterium veritatis, quod dictat esse dicendum Verbum in essentia, et Spiritum in hypostasi. » — Ps. LXVI, 8 dicitur: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terrae*, ubi verbum Deus ter repetitum significat trinitatem personarum, ut fatentur antiqui Rabbini apud Galatinum, sequens vero particula *eum* indicat essentiae unitatem. — Isa. VI, 3. Seraphim exhi-

(1) Hom. 9 in Hex. (2) Gen. 3, 22.
(3) Cap. 12.
(4) Cf. Tournely de Trin. quaest 4 art 1 Liebermann de Trin c 1 § 2.

(5) Gen. 11, 7. (6) Hom. de Trin.
(7) L. 1 de Cain et Abel.
(8) L. 2 de Trin. (9) En. in Ps. 32.
(10) Or. 4 Catech.

Digitized by Google

bentur clamantes: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus exercituum*, quem locum, ait *Liebermann*, Patres pene omnes contra haereticos proferunt; sed praecipue *S. Ambrosius* (1) egregie illum explanat dicens: « Quid sibi vult sub uno nomine sanctitatis trina repetitio? si trina repetitio, cur una laudatio? si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur? nisi quia Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sanctitate unum sunt. Non dixit semel, ne Filium sequestraret; non bis, ne Spiritum praeteriret; non quater, ne creaturas coniungeret. Et ut ostenderet, Trinitatis unam esse Deitatem, cum tertio dixisset: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, addidit singulariter: *Dominus Deus Sabaoth.* » Hoc idem Trisagion, ut refert *Galatinus* (2), Rabbi Ionathan et Rabbi Simeon sic exponunt, dicentes: « *Sanctus*, hic est Pater, *Sanctus*, hic est Filius, *Sanctus*, hic est Spiritus sanctus. »

4. Multa in V. T. inveniuntur loca in quibus duae personae divinae distinguuntur. Prae caeteris adduci hic meretur locus, in quo legitur: *Dominus pluit super Sodomam, et Gomorrham sulphur, et ignem a Domino de coelo* (3). Verba haec *pluit Dominus* (Iehova): *a Domino:* (Iehova): iuxta Ss. Patrum interpretationem denotant Patrem, et Filium, qui a Patre, ut eandem naturam et potentiam accepit, ita et eandem ad extra operationem: ita *Iustinus M.* (4), *Irenaeus* (5), *Tertullianus* (6), *Athanasius*, (7) *Hilarius* (8), *Concilium Antiochenum* I, et *Synodus prima Sirmiensis*, cuius anathematismus 16tus dicit: « Si quis: *pluit Dominus a Domino*, non de Patre et Filio intelligat, sed ipsum a se dicat pluisse, anathema sit. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre. » Constat equidem hanc synodum ab Arianis coactam fuisse, sed ea, quae contra Photinum definita sunt, etiam a Catholicis recepta fuerunt, et ideo *S. Hilarius* (9) citatum anathematismum adprobavit. — Sapientia Dei ita loquitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram... quando appendebat fundamenta terrae. Cum eo eram cuncta componens: et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore* (10): quibus verbis Sapientiam Dei tanquam personam proponi, seu Verbum a Patre distingui iam Philo, et alii Rabbini fassi sunt (11). — Plura loca huc spectantia adducentur, cum de divinitate Filii agetur.

Nota 1. Adducta ex V. T. loca iam seorsim spectata, et multo magis coniunctim considerata sub variis verborum formulis plures in una divinitate personas haud obscure indigitant, ita ut adprobari nullatenus possit nonnullorum recentiorum Theologorum sententia, qui, eoquod hebraicis litteris operam dederint, iam se legis doctores evasisse putant, et neglecta Traditione criticis suis dubiis, et grammaticis animadversionibus, quas ex ipsa Scriptura suo modo intellecta hauriunt, omne Trinitatis vestigium ex V. T. eliminare student. Aliter Ss. Patres senserunt, qui tum ad summum Religionis christianae mysterium confirmandum, tum ad utriusque Testamenti harmoniam osten-

(1) L. 2 de fide.
(2) De Arcan. cath. verit. l. 2 c. 20.
(3) Gen. 19, 24.
(4) Dial. c. Tryph.
(5) L. 3, c. 6.
(6) C. Prax. c. 13.
(7) L. c. Sabell. Grég. (8) L. 4 de Trin.
(9) L. de Synod.
(10) Prov. 8, 22, etc.
(11) Cf. Stolberg, l. c.

Digitized by Google

dendam etiam S. Scripturae V. T. locis usi sunt. Recte omnino ait *Cl. Liebermann* (1): « Non video, quid movere nos debeat, ut tantam deseramus auctoritatem, atque tanquam inutile, aut nullius momenti habeamus argumentum, quod praeclarissima ingenia tum primorum, tum sequentium saeculorum minime negligendum putarunt. » — Contendunt nonnulli, fidem in mysterium Trinitatis ita pertinere ad N. T., ut nulla eius revelatio in V. T. admitti possit. Sed Cl. *Klee* (2) observat, hanc conclusionem falsam esse, quia clara dicti mysterii revelatio nihilominus novo Foederi competit, quamvis divinarum personarum pluralitas in veteri variis modis indigitata dicatur. Et sane *lex* dicitur: *paedagogus noster fuit in Christo* (3), et *umbra futurorum*(4); unde non repugnat, ut dicatur, Trinitatis quoque mysterium in V. T. adumbratum et indigitatum fuisse: id potius convenit oeconomiae divinae, qua homines per legem veterem pedetentim praeparabantur ad plenam revelationis lucem per Christum recipiendam.

Nota 2. Quamvis rudis populus iudaicus mysterium Trinitatis ignoraverit, graves tamen rationes ostendunt, illud Patriarchis, Prophetis, aliisque Iustis V. T. cognitum fuisse. Christus enim ait: *Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetae, et iusti cupierunt videre, quae videtis, et non viderunt: et audire, quae auditis, et non audierunt* (5). Unde porro vehemens istud Sanctorum desiderium, nisi ex facta illis revelatione Mysterii Incarnationis Filii Dei, quod Trinitatis mysterium supponit, nec sine isto cognosci potest? — In specie de Abrahamo Christus inquit: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit, et gavisus est* (6). Ideo Ss. Patres Abrahamo Trinitatis notitiam adscribere solent. *S. Ambrosius* (7) in *Gen.* XVIII, 2, ubi de Abrahamo dicitur, quod *tres mensuras obtulit similaginis:* — « perfectae, inquit, in personis singulis Trinitati, interiori mentis arcano, hoc est, similaginis spiritualis sanctus Patriarcha sacrificium deferebat. » *S. Augustinus* (8) docet, Abrahamum, cum tres vidit, et unum adoravit, Trinitatis figuram et imaginem conspexisse. *S. Cyrillus Alex.*(9) de Abrahamo ait: « Eum non tantum cognovisse, quod Deus unus sit, sed et quod in sancta atque consubstantiali Trinitati concipiatur unius incorruptae naturae perfectio ac complementum. » Et quis Trinitatis notitiam abnegabit Prophetis, praecipue *Davidi* (10) et *Isaiae* (11), qui de ipsa Filii Dei generatione praeclare scripserunt? — Ideo *S. Epiphanius*(12) scribit: « Una Trinitas semper in illa singulari divinitate nuntiata, creditaque ab illis est, qui caeteris antecellerent, cuiusmodi Prophetae, atque eximia sanctitate praediti homines fuere. » Et *Theodoretus* (13) ait: «Trinitatis dogmata nec tunc quidem venturis in posterum (Deus) penitus occultavit, perfectioris Theologiae quasi semina quaedam dispergens. Ideo singulariter quidem sub unius nomine legem sancit, obscure tamen Trinitatem indicat. Qui enim dicit: *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Dominus unus* est, et unitatem docet, et Trinitatem significat. » Idcirco gravissimi Theologi putant, ea, quae de Trinitate in verbis

(1) L. 2, C. 1, § 2 Obs.
(2) L. 2, c. 1, § 2. 4.
(3) Gal. 3, 24.
(4) Col. 2, 17.
(5) Matth. 13, 17.
(6) Io. 8, 56.
(7) L. 1 de Cain et Abel.
(8) L. 2 de Trin. c. 11.
(9) L. 1 c. Iulian. c. 19.
(10) Ps. 2, Ps. 109.
(11) Is. 53.
(12) L. 1 adv. haer. (haer. 5).
(13) L. de curat. graec. affect. serm 2

Digitized by Google

Scripturae ex prudenti oeconomia involute saepe et obscure continentur, clariora facta fuisse per Traditionem, inter viros iustos et religiosos sedulo conservatam.

Nota 3. Mature iam Patriarchis, quibus Deus frequenter apparuerat, notitiam aliquam Trinitatis communicatam fuisse, colligi etiam potest ex consensu populorum, apud quos, dum de divinis agebatur, numerus ternarius tanquam sanctus habebatur. Sic apud *Indos* colebantur tanquam primarii Dii *Brahma*, cui creatio, *Vischnu*, cui conservatio, et *Siba*, cui destructio et renovatio mundi adscribebatur. *Sinenses* supremum Numen vocant *Tao*, quod nomen significat tri-unum, docentque, unum mundum ex nihilo creasse, alterum creaturas ex inordinato chau ordinasse, et tertium diem fecisse et noctem. Plures aliae Gentes tres praecipuas divinitates venerabantur. — *Aegyptii* **Isidem**, *Osiridem* et *Orum*, - *Celtae* **Odin**, *Thor* et *Faia*, - *Graeci* ac *Romani Iovem*, *Neptunum* et *Plutonem*. *Tibetani* et *Tartari* unum Deum sub triplici specie repraesentabant, eumque tribus nominibus insigniebant, quae significant creatorem omnium rerum, Deum exercituum, et amorem, qui ab utroque procedit. *Americani* colebant solem sub triplici respectu, distinguentes solem Patris, solem Filii, et solem Fratris: inventum quoque est in America magnum idolum, nomine *Tangatanga*, quod significat *unum in tribus et tres in uno*. — Absit, ut istis Gentibus mysterii Trinitatis notitiam attribuamus, a qua ut Polytheistae et Idololatrae longe remotae fuerunt: sed tamen ista consensio in triplici potissimum divinitate colenda ex uno fonte repetenda est, nimirum ex divina revelatione, iam mature Patriarchis facta, a iustis hominibus conservata, et inter caeteros non penitus obliterata; sed tamen maxime corrupta (1).

(1) Cf. Stolberg. I, B. 5 Beilag. T. I, Append. 5.

II. *Mysterium Trinitatis in N. T. clare revelatum.*

§ 71. In sacris N. T. libris tum trium divinarum personarum distinctio, tum essentiae divinae unitas clare proponitur, et sic mysterium Trinitatis revelatur.

1. Cum homines per sensibilia facta melius, quam per sola verba instruantur, praecipue si facta mira et insolita fuerint, tres idcirco divinae personae miro ac sensibili modo se manifestarunt. Legitur enim: ***Baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua: et ecce aperti sunt ei coeli: et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se, et ecce vox de coelis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*** (2). Insignis huius facti adiuncta probe consideranda sunt. Christus enim praedicationem suam incepturus erat, et ideo necesse fuit, ut ope testimonii divini ipsius persona propius cognosceretur tum in relatione ad divinitatem, a qua mittebatur, tum in relatione ad homines, ad quos mittebatur. Id iam per solemnem manifestationem perficitur. ***Coeli aperti*** homines de testimonio divino certos reddunt: Iehova loquitur, et de Christo dicit: ***Hic est*** non tantum Legatus meus, sicut Moyses et caeteri Prophetae, sed ***hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui;*** quibus verbis aperte distinguitur persona Patris, qui laudat, et persona Filii, qui laudatur. Perperam etiam reponunt Sociniani, designari hic personam filii

(2) Matth. 3, 16, etc. — Cf. Marc. 1, 11, Luc. 3, 22, Io. 1, 29-32.

adoptivi, non naturalis. Nam de proprio filio agi, indicant ea verba: *Hic est filius meus dilectus*, quae de nullo alio dicta leguntur; idemque magis confirmatur per emphasin, quam praefert in codice graeco inculcatio articuli; legitur enim ὁ υἱός μου, et quibus verbis, quaeso, unicus naturalis filius melius potuit exprimi? — Recte igitur iam *S. Hilarius* (1) in citata verba dicit: « Annon tibi in eo, quod dicitur: *hic est*, hoc significare videtur, alios quidem cognominatos ab eo filios, sed *hic filius meus est? Donavi* adoptionis plurimis nomen; sed iste mihi filius est. » — Sed cum prima et secunda etiam tertia persona divina se manifestavit; nam Spiritus sanctus specie columbae descendit de coelo super Filium, et separatim super ipso apparuit, ut divinam ipsius auctoritatem contestaretur, iuxta ea, quae dicta sunt Ioanni: *Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto* (2). Ergo etiam qui *corporali specie* sicut columba apparuit, est persona, et quidem persona divina, quae cum Patre de divina Christi auctoritate solemne testimonium tulit. Falso ergo dicunt Sociniani, per Spiritum sanctum intelligendam esse gratiae plenitudinem, qua donatus est Christus: nam si ita esset, dicendum fuisset, istam descendisse in Christum, et mansisse in Christo, cum e contra dicatur: Descendit *super eum*, et *mansit super eum* (3). Satis clare ergo tres divinae personae hic distinguuntur, nimirum Pater, Filius, et Spiritus sanctus. — Sed quia iuxta eiusdem Scripturae luculentissima testimonia nonnisi unus est Deus (V. Sect. I, c. 4, art. 1), omnino dicendum est, tres esse in una divina essentia personas (4).

2. De tribus personis divinis, quae se in baptismate Christi manifestarunt, frequenter in sacris N. T. libris sermo recurrit. Sic Christus discipulis suis ait: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum* (5): in quibus verbis expressa habetur trium personarum distinctio, nimirum Filii, qui rogat, Patris, quem rogat, et Spiritus sancti, qui dandus est. Et locus parallelus habetur ubi Christus inquit: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me* (6). Tres hic pariter distinctae commemorantur Personae, *Pater*, *Filius*, et *Paraclitus*, et quidem eadem divina natura praestantes; altera enim est Filius, eiusdem ergo naturae cum Patre; tertia vero *a Patre procedit*, non igitur facta est, aut creata, sed a Patre emanans eo sensu, quo Filius dicit de seipso, quod exierit a Patre (7). Ergo in una divina essentia sunt tres personae distinctae (8).

3. Christus immediate ante suam in coelos ascensionem Apostolis suis gravissimi momenti praeceptum dedit dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (9). Tres personae hic aperte distinguuntur et unum nomen, seu una earum auctoritas, virtus et essentia pronuntiatur. Nam *a) distinctio* trium personarum clare patet tum ex diversitate nominum, quorum sensum Christus Apostolis saepe exposuerat, tum ex articulo τοῦ qui in graeco singillatim Patri, et Filio, et Spiritui sancto

(1) L. 6 de Trin (2) Io. 1, 33.
(3) Io. 1, 32. (4) Cf. Staudenmaier § 86, n. 1.
(5) Io. 14, 16. (6) Io. 15, 26.
(7) Io. 16, 27, etc.
(8) Cf. Perrone de Trin. c. 2, n. 40.
(9) Matth. 28, 19.

praefigitur, tum ex particula καὶ, *et*, quae bis repetitur, et proin enumerationem indicat. *b) Divinitas* trium personarum clare asseritur, quia homines in nomine Patris, et Filii, et Spiritussancti baptizari iubentur. Nam baptismus ordinatur in remissionem peccatorum iuxta verba Petri: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum* (1). Sed peccata remittere et hominem iustificare nemo potest nisi solus Deus, qui per peccatum offenditur, et cuius gratia ideo amittitur, et ira incurritur: unde Deus dicit: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates* (2); et Paulus ait: *Unus est Deus, qui iustificat* (3). Si ergo sicut Patris, ita et Filii, et Spiritus sancti nomine auctoritate et virtute homines a peccatis abluuntur, sequitur, sicut Patrem, ita etiam Filium, et Spiritum sanctum esse personas divinas. Baptismus autem etiam considerari potest, et debet ut stipulatio cultus et obsequii Deo exhibendi, ad quod baptizati ex foedere adstringuntur. Sub hoc respectu in baptismo verus latriae cultus occurrit, qui soli Deo competit iuxta verba Christi: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (4). Sed iuxta mandatum Christi homines in baptismo sicut Patri, ita et Filio, et Spiritui sancto solemniter devoventur; ergo sicut Pater, ita et Filius, et Spiritus sanctus sunt personae divinae. *c)* Denique *unitas essentiae* clare enuntiatur, quia, licet tres nominentur, baptismus tamen conferri iubetur non in nominibus, sed *in nomine* Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut trium personarum una essentia, virtus et auctoritas designetur. — Reponunt quidem Sociniani, mandatum Christi sic intelligi debere, ut baptismus conferendus sit in nomine Patris, et Christi, filii eius adoptivi, ac virtutis, potestatisque divinae. Sed haec responsio frivola est et cavillosa, tum quod si fatentur, Patrem et Filium personas esse distinctas, id pari iure de Spiritu sancto profiteantur necesse est, qui hoc loco eadem ratione exprimitur, et alibi missus dicitur, descendens, sedens, Paraclitus, aliisque characteribus designatur, qui subsistentem personam evidenter demonstrant; tum quod inepta est prorsus et inusitata istiusmodi phrasis, ac sensus extortus, si dixeris ablui baptizatos in potestate potestatis, aut in virtute virtutis. — Absona est etiam altera Socinianorum obiectio, qua dicunt, ex citata baptismi forma neque personarum divinitatem, neque essentiae unitatem erui posse, quia etiam Israëlitae perhibentur *in Moyse baptizati, in nube et in mari* (5), quin exinde inferri possit, Moysen aut Deum, aut unius cum nube et mari naturae esse. Magnum enim inter utrumque locum discrimen subest, tum quia Israëlitae non dicuntur baptizati *in nomine* Moysis, nubis et maris, tum quia hic non est sermo de baptismo, quo confertur remissio peccatorum, aut exhibetur cultus latriae. Nam vox *baptizare* in multiplici sensu occurrit in S. Scriptura, et in citato textu Pauli *baptizari in Moyse* non est nisi Moysi credere tanquam legislatori, et eo praeeunte ingredi iter sub nube, et in mari (6).

4. Mysterium Trinitatis egregie proponitur his verbis: *Tres sunt qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt* (7). Realiter ergo, et

(1) Act. 2, 38. (2) Is. 43, 25
(3) Rom. 3, 30. (4) Matth. 4, 10.

(5) 1 Cor. 10, 2. (6) Cf. Berti l. 7, c. 3.
(7) 1 Io. 5, 7.

Digitized by Google

non nomine tantum Pater, Verbum et Spiritus sanctus inter se distinguuntur, alias non essent tres testes, sed unus tantum, quod sacro textui repugnaret: una autem trium personarum essentia asseritur, dum additur: *et hi tres unum sunt.* Neque id solum de unione morali intelligi potest. Nam si una eademque non esset in Verbo et Spiritu sancto essentia ac natura, Filius et Spiritus sanctus infinito intervallo distarent a Patre, et certe nunquam de iis, quae inter se infinite distant, dici posset: *Unum sunt*, quemadmodum absque summae impietatis nota de Deo, et de duobus Angelis dici non posset: *et hi tres unum sunt.* Ipsi adversarii quodammodo contestantur, citatum textum non aliter exponi posse, quam de tribus in una divina essentia personis realiter distinctis. Ideo omnem lapidem moverunt, ut illius genuinitatem impugnarent. Dicunt enim Sociniani, illum versiculum esse falsum et suppositium, quia in textu Syriaco, Arabico, et in multis exemplaribus tum graecis, tum latinis non reperitur, et quia Ss. Patres, qui ex professo contra Sabellianos, Arianos et Macedonianos manus conseruerunt, atque concilia in eorundem causis habita, eo versiculo, qui tamen ad confutandum errorem maxime idoneus fuisset, nunquam usi sunt. — Sed nemo non videt, ea, quae opponuntur, non esse nisi argumenta *negativa*, quae iuxta regulas criticas non infringunt *positiva*, si adsunt, praecipue si sufficientes ad illa infirmanda rationes assignari possunt. Ast pro genuinitate Ioannei commatis argumenta positiva adsunt, et sufficientes rationes assignari possunt, ex quibus factum est, ut istud in multis codicibus non legatur, et a pluribus Patribus et Conciliis in medium non sit prolatum. Nam: *a*) fallunt, aut falluntur adversarii, dum ex tripode pronuntiant, citatum textum in antiquis codicibus graecis non inveniri; in pluribus enim reperitur. Extat iste versiculus in codice antiquissimo *Vaticano*, cuius meminit Amelotius, in *Parisiensi*, qui in Bibliotheca Sorbonica asservatur, in *Berolinensi*, quem ex Oriente Ravius attulit, et in *Britannico*, quem ob vetustatem tanti fecit acutissimus Erasmus, ut versiculum istum in praecedentibus suis N. T. editionibus omissum, in tertia et quarta restituerit. Extat in codicibus, quibus usi sunt auctores editionis *Complutensis*, anno 1517, qui tamen, teste Ximenio Cardinali, in praefatione omnem laborem et curam impenderunt in conquirendis vetustissimis et emendatissimis exemplaribus. Extat in iis omnibus codicibus, quos inter se contulit *Robertus Stephanus* in elegantissima N. T. editione, anno 1550; asserit enim ex 16 graecis antiquissimis septem tantummodo esse, in quibus deest, non versiculus integer, sed istud duntaxat: *in coelo.* Extat in codicibus prope innumeris, ad quos vulgatam Scripturae editionem recognoverunt anno 1580 *Lovanienses Theologi*, qui testantur quinque tantum ab ipsis repertos, in quibus desideraretur. Extat etiam in codicibus, quibus usi sunt *Laurentius Valla, Hervagius* et *Arias Montanus.* Etiam *Calvinus* et *Beza* adserunt, suis temporibus in codicibus graecis melioris notae extitisse testimonium hoc. Codices manuscripti latini plures adhuc quam graeci dictum Ioanneum continent. Sic *Lucas Brugensis* inter 33 codices nonnisi quinque hoc versiculo carere deprehendit, et ipse *Richard Simon*, qui ipsius genuinitatem impugnat, fatetur, circa saeculum decimum pauca extitisse latina exem-

plaria, in quibus testimonium hoc defuit. Continet dictum controversum versio *Latina* antiquissima, ex qua in Vulgatam transiit: continet versio *Armenica*, et ipsimet Sociniani in versione sua germanica dictum hoc retinuerunt. — Tot codicum consensus pro authentia controversi versiculi argumentum positivum suppeditat eo solidius, quo minus facta interpolatio aut probata fuit, aut probari potest, cum Ecclesia maxima semper vigilantia praecaverit, ne humani quid divinis Scripturis assueretur. Facilius declaratur, cur citatus textus in multis codicibus non legatur: omitti enim potuit vel ex incuria amanuensium, ad sequentem textum, iisdem verbis incipientem, ex intempestiva celeritate transvolantium, vel ex malitia haereticorum, tantum pro Trinitate, aut Christi divinitate testimonium reformidantium, vel, ut aliqui putant, etiam ex industria Catholicorum, disciplinam arcani circa hoc summum mysterium observare volentium. *b*) Non desunt antiqui Patres, qui Ioannis testimonium adlegarunt. *Tertullianus* (1) scribit: « Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficit cohaerentes, alterum ex altero, *qui tres unum sint*, non unus; quomodo dictum est: *Ego, et Pater unum sumus* ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem: » quibus verbis declaratur, eodem modo dictum Ioannis, sicut dictum Christi de unitate essentiae et de pluralitate personarum intelligendum esse. *S. Cyprianus* (2) inquit: « Dicit Dominus: *Ego, et Pater unum sumus.* Et iterum de Patre, et Filio, et Spiritu sancto scriptum est: *et hi tres unum sunt* » (3). — Hunc textum adducunt *Phoebadius*, et Auctor operis S. Athanasii temporibus proximus in opere: *De una deitate trinitatis*, l. 1. Item Auctor, quem nonnulli *Idacium Clarum* Ep. Hispanum saec. IV, alii *Vigilium* Ep. Thapsensem saec. V, esse putant, libri *adversus Varimundum* disputans contra Arianos. Item *Eucherius Lugduuensis* (4). Anno 485 *Eugenius Carthaginensis* cum 461 Episcopis ex Africa, Mauritania, Sardinia et Corsica in concilio collectis obtulit Hunnerico Vandalorum Regi confessionem fidei, in qua dicitur: « Ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre, et Filio, Spiritum sanctum doceamus, Ioannis Evangelistae testimonio comprobatur; ait enim: tres sunt, qui testimonium perhibent *in coelo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt:* » id testantur *Victor Vitensis* (5) et *Gennadius Massil.* (6). Idem testimonium citatur a *S. Fulgentio* (7), qui simul provocat ad auctoritatem S. Cypriani dicens: « Quod etiam *B. Cyprianus* in sua epistola de unitate Ecclesiae, confitetur dicens: *tres sunt*, etc. » — Denique *M. Aurelius Cassiodorus*, qui simul testatur, « se magno labore consuluisse priscos codices in Complexionibus suis, » ad cap. V. Ep. 1, Io., disserens de divinitate Christi, ait: « Cui rei testificantur in terra tria mysteria, aqua, sanguis et Spiritus, quae in passione Domini leguntur impleta: in coelo autem Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, et hi tres unus est Deus. » Tot Patres et Scriptores, qui textum controversum adlegant, pro huius genuinitate positivum exhibent argumentum. Si autem quaeratur cur alii Patres et Concilia contra Arianos illo

(1) C. Prax. c. 25. (2) L. de unit Eccl.
(3) Cf. Epist. ad Iubaian.
(4) In formul. spirit. intelligentiae c. 9.
(5) L. 3, de persec. Vandal.
(6) De Script eccles. c 97
(7) Resp. 10 ad obiect Arian

usi non sint, in promptu est ratio, quod nempe non tam Trinitas personarum, quam divinitas Iesu Christi probanda fuerit, quam ex aliis Scripturae dictis evincere malebant. Porro fieri potuit ut nominati Patres ad manus habuerint codices, in quibus dictum illud non extabat, unde illo contra haereticos uti non potuerunt. Caeterum negari non potest, quod ubi de facto aliquo controversia est, etiam pauci probatae fidei testes loquentes innumeris tacentibus anteponendi sint. Accedit, quod Ss. Patres, qui textum non adlegant, nullibi tamen eum ut supposititium, seu interpolatum carpant, cum et contra codices, in quibus textus ille omissus est, iam antiquitus ut corrupti habiti fuerint. Nam *S. Hieronymus* (vel iuxta aliquos alius antiquus auctor) in prologo ad Epistolas Canonicas conqueritur vitiatam fuisse primam S. Ioannis Epistolam: « in qua, inquit, ab infidelibus translatoribus multum erratum esse, fidei veritate comperimus, trium tantum vocabula, hoc est, aquae, sanguinis et spiritus in sua editione ponentibus, et Patris, Verbique et Spiritus sancti testimonium omittentibus; in quo maxime et fides catholica roboratur, et Patris, et Filii, et Spiritus sancti una divinitatis substantia comprobatur. » *c)* Argumentis externis accedunt et interna. Nam versus iste omnino cohaeret cum illis, quae alibi scribit idem S. Ioannes, ut cum Filium vocat *Verbum* (1), cum refert testimonia Patris et ipsius Verbi incarnati (2), et Spiritus sancti (3). Eundem versiculum postulat contextus, tum quia particula *et*, qua incipit versiculus octavus, communi sensu caret, si desit versiculus septimus; tum quia voces illae, v. 8 *in terra* manifeste referuntur ad istas v. 7 *in coelo*, iisque opponuntur; tum quia Apostolus aperte duplex testimonium distinguit, divinum et humanum, et utroque proposito v. 9 addit: *Si testimonium hominum accipimus testimonium Dei maius est.* Generatim totum S. Ioannis eloquium bene perlustranti facile apparebit, quod admisso v. 7 omnia cohaereant, et omnia apte conveniant; illo autem omisso omnia confusa et inextricabilia evadant: iuxta regulas ergo criticas controversus versiculus ut genuinus est habendus; nam, ait ipse *Bengel:* « Adamantina versiculorum cohaerentia omnem codicum penuriam compensat » (4). — *d)* Controversiam optime dirimit Ecclesiae auctoritas, quae doctoribus privatis longe est anteponenda. Ecclesia graeca iam dudum controversum Ioannis testimonium pro genuino agnovit, et in libros suos Rituales retulit: in specie *Lectionarium Ecclesiae graecae*, quod pertinet ad monumenta Saeculi quinti, exhibet hunc versum (5). — Extat idem versus in professione fidei graeco-latina *Concilii Lateranensis IV*, cui graeci interfuerunt, et nullatenus reclamarunt. Omnes denique norunt, eundem textum contineri in nostra Vulgata, de qua dicit *Concilium Tridentinum: Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris, et canonicis non susceperit — anathema sit* » (6).

5. Mysterium Trinitatis etiam confirmatur ex verbis: *Audite audientes*,

(1) Io. 1, Apoc. 19, 13. (2) Ioan. 8, 18.
(3) Ibid. ac. 1, 23, et 15, 26.
(4) Apparat. critic. § 23.
(5) Vide de hoc Leonem Allatium dissert. de libr. eccles. Graecorum.
(6) Cf. Tournely de Trin. q. 4 art. 1, Argum. 4. — Wiest T. 4 § 261-268. — Stolberg Tom 7 p. 179. — Perrone de Trin. Cap. 2, prop. 2.

et nolite intelligere; quae dicta a Deo Patre testatur *Isaias* VI, 9, prolata a Deo Filio exhibet *Ioannes* XII, 40, etc.; dicta a Deo Spiritu sancto docet *Apostolus* (1); cum eadem propterea personis singulis tribuatur efficientia, ac praedicetur gloria, et maiestas (2); una igitur trium distinctarum personarum Deitas praedicatur. — Quare optime *S. Basilius*, haec expendens ait: « Propheta inducit Patris, in quem Iudaei credebant, personam; Evangelista, Filii, Paulus, Spiritus, illum ipsum, qui visus fuerat, unum Dominum Sabaoth communiter nominantes. Sermonem, quem de hypostasi instituerunt, distinxere, indistincta manente in eis de uno Deo sententia» (3).

6. Apostolos Mysterium Trinitatis iam primis fidelibus annuntiasse, ex variis S. Scripturae testimoniis constat. Petrus, in prima sua concione Hierosolymis habita, de Iesu resuscitato ait: *Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus Sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis et auditis* (4). Tres hic Personae distinguuntur, nimirum *Pater*, qui Iesum exaltat, et Spiritum sanctum promittit; *Christus*, qui ad dexteram Dei exaltatur, et Spiritum sanctum effundit; et *Spiritus sanctus*, qui a Patre promittitur, et a Iesu datur. Quamvis autem nomen Dei soli Patri tribuatur, tamen tum Christi, tum Spiritus sancti Divinitas adseveratur, quia (5) Christo adplicatur locus: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*(6), et Spiritui sancto attribuuntur divinae virtutes (7), quas Iudaei in Apostolis admirabantur. Tres autem personas divinas non esse tres Deos distinctos, et a se invicem independentes, clare apparet ex eo, quia Christus dextera Dei exaltatus, et Spiritus sanctus a Christo effusus dicitur. — Idem Petrus dicit: Iudaeos electos esse *secundum praescientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et aspersionem sanguinis Iesu Christi* (8): ex quibus rursus constat, Patrem, Filium et Spiritum sanctum esse tres personas distinctas, cum Patri tribuatur scientia, Filio expiatio, seu satisfactio pro hominibus, et Spiritui sancto sanctificatio, quae actiones nonnisi suppositis intelligentibus, seu personis tribui valent. — Paulus precatur fidelibus plenitudinem salutis spiritualis dicens: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis* (9): ergo ad salutem hominum, quam a solo Deo repetendam esse idem Apostolus (10) docet, tres concurrunt, — Christus, Deus Pater, et Spiritus sanctus; nam acceptam gratiam Christi sequitur charitas Patris et communicatio Spiritus sancti: et S. Paulus citatis verbis finit epistolam inculcans Trinitatis mysterium, quod nisi pro scopo habuisset, non fuisset opus, omnes tres personas singillatim nominare. Tres divinae personae etiam in multis aliis S. Scripturae locis distinguuntur (11). Quamvis autem non singula haec loca, seorsim sumpta, trium divinarum personarum distinctionem simul, et consubstantialitatem clare ostendant, id tamen praestant una cum aliis, quae adducta sunt. « Nem-

(1) Act. 28, 25 etc. (2) Isa. 6, 3 etc.
(3) C. Eunom. l. 5. — Cf. Prud. Maran, qui in praeclaro opere. Divinitas D. N. I. C. lib. 1, part. 2, c. 17 § 3, totam hanc argumentationem in pleno suo lumine posuit.
(4) Act. 2, 33. (5) V. 34 etc. (6) Ps. 9, 1.
(7) V. 17-28 (Cf. Ioël 2, 28, Is. 11, 3).
(8) 1 Ep. 1, 2.
(9) 2 Cor. 13, 13.
(10) 2 Cor. 3, 5. Phil. 2, 3. Rom. 9, 16.
(11) Act. 7, 55. Rom. 1, 1.3, 4. 15. 30. 1 Cor. 12, 4 etc. 2 Thess. 2, 13 etc. Tit. 3, 4 etc.

Digitized by Google

pe, ait *Perrone* (1), haec scribebant Apostoli in citatis locis cohaerenter ad fidei doctrinam, quam Ecclesiis a se institutis praedicaverant, qua supposita, illis formulis apertissime alludunt ad Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum a se praedicatos, et in quorum nomine initiaverant Fideles. Nisi enim hoc constituatur fundamentum, locutiones illae fiunt prorsus aenigmaticae; eo constituto, aperte intelliguntur; sunt igitur ea loca totidem ineluctabilia testimonia fidei traditae ab Apostolis, ac proinde existentiae dogmatis nostri» (2).

Nota. Argumento biblico Sociniani et Rationalistae opponunt, quod in S. Scriptura vocabulum *Trinitatis* nullibi reperiatur, neque *personarum* distinctio earumque *consubstantialitas* pronuntietur, ex quo concludunt doctrinam catholicam de Trinitate in S. Bibliis nullatenus contineri. — Ast in sua conclusione graviter hallucinantur. Quid enim refert, si non occurrat in Scripturis vel *personae*, vel *Trinitatis*, vel *consubstantialitatis* nomen, si constat ex iisdem de re? non de nominis, sed de rei existentia agitur; hac enim constituta, nomina per se profluunt. Attendendum quoque est, noluisse Deum, ut omnia quae doctrinam revelatam concernunt, ex sola Scriptura haberemus, quia Traditionem ut alterum Revelationis fontem atque Ecclesiam tanquam infallibilem utriusque fontis interpretem instituit. Nullatenus ergo licet nomina vilipendere, aut reiicere, quae ad enuntianda fidei dogmata per infallibile Ecclesiae magisterium consecrata sunt.

Neglecta traditione et negata Ecclesiae auctoritate, etiam clarissima Scripturae loca pro ingeniorum, praeiudiciorum et passionum varietate misere contorquentur. Et sane non alia ex causa Sociniani et Rationalistae iu S. Bibliis catholicam de Trinitate doctrinam non inveniunt, nisi quia omnia mysteria, quae rationis captum superant, e S. Scriptura expungere optant. De ipsis ergo dici potest, quod iam saeculo quarto S. *Hilarius* scripsit: « Extiterunt, inquit, plures, qui coelestium verborum simplicitatem, pro voluntatis suae sensu, non pro veritatis ipsius absolutione susciperent, aliter interpretantes, quam dictorum virtus postularet. De intelligentia enim haeresis, non de Scriptura est; et sensus, non sermo, fit crimen. Numquid corrumpi veritas potest, cum Patris nomen auditur? numquid natura Filii non continetur in nomine? numquid Spiritus sanctus non erit, qui nuncupatur? neque enim in Patre potest non esse, quod Pater est; neque in Filio deesse, quod Filius est; neque in Spiritu sancto non extare, quod sumitur. Sed homines mente perversi omnia confundunt et implicant » (3).

ARTICULUS II.

Argumenta ex Traditione petita.

§ 72. Cum ex historia constet, saeculo quarto in Concilio *Nicaeno I* Divinitatem Filii, et in Concilio *Constantinopolitano I* Divinitatem Spiritus sancti solemniter definitam fuisse; Sociniani et Rationalistae non negant, ab isto tempore fidem in tres divinas personas universalem in Ecclesia factam fuisse; imo eo etiam temeritatis deveniunt, ut dicant, doctrinam de Trinitate per nominata duo Concilia in Ecclesiam introductam esse. Haec autem asserentes a veritate longissime aberrant. Satis solide enim ostendi potest, iam tribus primis

(1) N. 52. (2) Cf. Staudenmaier § 86 n. 4. Dieringer § 22 n. 4.

(3) Ap. Petav. T. 2, Praefat. c. 1 n. 11.

Ecclesiae saeculis, seu a tempore Apostolorum usque ad Concilium Nicaenum I fidem in Deum unum in essentia, et trinum in personis in Ecclesia catholica viguisse, atque ideo semper, ubique, et ab omnibus orthodoxis creditum fuisse, tres esse in una divina essentia personas realiter distinctas. Hanc fuisse iam ante Concilium Nicaenum I Ecclesiae fidem, 1° *ex Ss. Patribus*, qui iam ante praedictum concilium scriptis suis Ecclesiam illustrarunt, et 2° *ex aliis ecclesiasticis monumentis* probatur.

Nota. Etiam inter Protestantes non pauci hac in re Socinianis consentiunt. Sic *P. Iurieus*, cum ad Cl. *Bossueti* argumenta, quibus Ecclesiarum Protestantium continuas variationes probaverat, respondere non posset, desperatae causae perfugium in eo quaesivit, quod diceret, nullo non tempore id in Ecclesia contigisse, atque Antenicaenos Patres aliter de Trinitate sensisse, quam postea sensit Ecclesia catholica.

I. *Ex Ss. Patribus ante-nicaenis.*

§ 73. Iam a primordiis Ecclesiae hanc fuisse Ecclesiae orthodoxae fidem, quod Deus unus sit in essentia, et trinus in personis, antiquissimi Patres testantur.

1. Saeculo primo *S. Clemens Rom.* Pauli coadiutor, et successor Petri in Sede Romana dicit (1): « Sceptrum maiestatis Dei, Dominus noster Iesus Christus non venit in iactantia ignorantiae, neque superbiae, cum illud posset, sed in humilitate, quemadmodum Spiritus sanctus de ipso locutus est: ait enim: quoniam *non est species ei, neque gloria* (2). » At qui est *sceptrum*, hoc est virtus, et potentia *Dei* (i. e. Patris) Deus est; item Spiritus futura praedicens Deus est: aperte ergo hoc in loco tres divinae personae distinguuntur. Idem (3), ut dissensionibus agitatos Corinthios ad unitatem et concordiam exhortaretur, inquit: « An non unum Deum habemus, et unum Christum, et unum Spiritum gratiae in nos effusum, quid dividimus membra Christi? » Idem Clemens apud S. Basilium (4) dicit: « Vivit Deus, et Dominus Iesus Christus, et Spiritus sanctus. » *Hermas*, Pauli discipulus, in suo libro: *Pastor*, qui a nonnullis, ut a S. Irenaeo, ut canonicus habebatur, et, teste S. Hieronymo, in quibusdam Graeciae Ecclesiis publice praelegebatur (5), dicit: « Filium Dei omni creatura antiquiorem esse, ita ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam, » et paulo infra meminit Spiritus sancti dicens: « Qui crediderunt Deo per Filium eius, induti sunt Spiritum hunc. » Idem (6) Ecclesiam comparat fundo, et tres distinguit personas, Patrem, possessorem, et Dominum fundi; Filium seu Verbum servili forma indutum, servum vel cultorem fundi, et Spiritum sanctum, filiifamilias personam sustinentem in fundo, seu in Ecclesia. — *S. Ignatius M.* Io. Evangelistae auditor (7) scribit: « Studete, ut confirmemini in dogmatibus Domini et Apostolorum, ut omnia quae facitis, prospere vobis succedant, carne, et spiritu, fide et charitate in Filio et Patre et Spiritu sancto:... Subiecti estote Episcopo, et vobis mutuo, ut Iesus Christus Patri secundum carnem, et Apostoli Christo et Patri et Spiritui. » Idem (8) laudans fideles, quod falsas doctrinas disseminantibus restiterint, ait (9): « Eratis ut lapides

(1) In I Epist. ad Corinth. n. 16.
(2) Is. 53.
(3) Ibid. n. 46.
(4) L. de Spir. S. c. 29, n. 72.
(5) L. 3 similit. 9 c. 12 et 13.
(6) Simil. 5 c. 4 etc.
(7) In Ep. ad Magnesianos n. 13.
(8) In Ep. ad Ephesios.
(9) N. 9.

templi Patris, sublati in alta per machinam Iesu Christi, quae est crux, Spiritu sancto pro fune utentes. » — Acta martyrii eiusdem S. Ignatii his verbis clauduntur: « Ignatius cursum perfecit in Christo Iesu D. N. per quem, et cum quo Patri gloria et potentia cum sancto Spiritu in saecula. Amen. » His addi potest auctor carminum sibyllinorum, quae citantur a *S. Iustino*. Porro vetustissimus ille scriptor (1) haec scribit: « Potens genitus est Verbum Patri, et Spiritu Sancto carnem indutus; cito evolavit in Patris domos. »

2. Saeculo secundo *S. Polycarpus* paulo ante mortem suam, qua Martyr occubuit, sic ad Deum oravit: « Pater unigeniti et benedicti Filii tui Iesu Christi... benedico te, qui me in hunc diem perducere dignatus es, ut partem caperem in consortio, et in calice Christi tui... in incorruptione Spiritus sancti... Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum Pontificem Iesum Christum unigenitum Filium tuum, per quem tibi una cum ipso in Spiritu sancto gloria nunc, et in saecula saeculorum. » Haec oratio, in qua eadem gloria tribus personis tribuitur, refertur in epistola, quam Ecclesia Smyrnensis scripsit ad Ecclesias Ponti (2); *S. Iustinus M.* (3) inquit: « Confitemur - Patrem, nulla admixtum vitiositate Deum; sed et Filium, qui ab eo venit, et nos ista docuit,... et Spiritum propheticum colimus et adoramus. » Idem (4) scribit: « Opificem huius universitatis colimus, — laudantes pro beneficio creationis... Iesum Christum veri Dei Filium esse edocti... secundo loco, et Spiritum propheticum tertio habentes ordine non sine ratione a nobis coli demonstrabimus. » Referens modum regenerationis, seu baptismi dicit (5): « Nam in nomine Parentis universorum, ac Domini Dei Salvatoris nostri Iesu Christi, et Spiritus sancti lavacrum tunc suscipiunt » (6). — *Athenagoras* (7) inquit: « Quis non miretur, cum audiat nos, qui Deum Patrem praedicamus, et Deum Filium, et Spiritum Sanctum, eorum in unitate virtutem, et in ordine distinctionem explicantes, Atheos vocari? » — Idem (8) testatur, id imprimis Christianos curare, « ut intelligant, quaenam sit Filii ad Patrem unio, quid Pater cum Filio communicet, quid sit Spiritus, quae unitas trium, quae discretio unitorum Spiritus, Filii, Patris, ut (ait inferius) aequali honore et potestate cognoscamus Deum, et Verbum eius, et Spiritum sanctum. » Et (9) inquit: « Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, qui secundum essentiam unum sunt, Deum nominamus. » *S. Irenaeus* (10) dicit: « Ecclesia, per universum orbem usque ad fines terrae seminata ab Apostolis et eorum discipulis, accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem... et in unum Iesum Christum Filium Dei, incarnatum pro salute nostra; — et in Spiritum sanctum, qui per prophetas Dei consilia, et adventum praenuntiavit. » Et (11) ait: « Adesse Patri semper Verbum, et sapientiam Filium, et Spiritum, per quos, et in quibus omnia libere fecit, ad quos etiam locutus est, cum dixit: *Faciamus hominem* etc. » *Theophilus Antiochenus* (12) dicit, ante creationem nihil fuisse praeter « Deum et Sapientiam, quae in ipso est, et

(1) Lib. 7. (2) Ap. Euseb. l. 4 Hist. c. 15. (3) Apol. 1 n. 6. (4) N. 13. (5) Ib. n. 61.
(6) Cf. n. 63 ubi de trium divinarum personarum distinctione fusius disserit.
(7) In Legat., seu Abologia. pro Christianism. 10. (8) N. 12. (9) N. 24.
(10) L. 1 adv. Haer. cap. 10, n. 1.
(11) L. 4 cap. 20, n. 1.
(12) L. 2 ad Autolic. n. 10.

sanctum Verbum, quod semper apud ipsum est » per sapientiam autem a Theophilo, uti et saepe a S. Irenaeo et aliis Patribus intelligitur Spiritus sanctus: ideo Theophilus (1) expresse mysterium Trinitatis profitetur dicens: « Tres dies, qui ante luminaria fuerunt, imago sunt Trinitatis (τῆς τριάδος), Dei, eius Verbi, eiusque Sapientiae. » *Clemens Alex.* (2) exclamat: « O miraculum mysticum! unus quidem est universorum Pater, unum etiam universorum Verbum, et Spiritus sanctus unus, et ipse est ubique. » Et (3) ait: « Laudemus Patrem, et Filium, Filium inquam Paedagogum et Magistrum, una cum sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum... Cui gloria nunc, et in saecula saeculorum. Amen. »

3. Saeculo tertio *Tertullianus* (4) dicit: « Est Trinitas unius Divinitatis Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. » —Eandem doctrinam toto libro contra Praxeam demonstrat, in quo (5) ait: « Custodiatur oeconomiae Sacramentum, quae unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie: unius autem substantiae, et unius status, et unius potestatis, quia unus Deus. » Et (6) scribit: « Duos Deos, aut duos Dominos nunquam ex ore nostro proferimus, non quasi non et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus Sanctus Deus . . . nemo enim alius praeter unus Deus, et unus Dominus praedicabatur » (7). *Origenes* (8) ait: « Admittenda est trium distinctio personarum in Patre, et Filio, et Spiritu sancto... Sed horum unus est fons; una enim substantia est, et natura Trinitatis. » Et (9) inquit: « Quaenam lucida ea nubes, et iustos obumbrans?... An paterna forte virtus est, a qua vox Patris exit?... Forsitan vero et Spiritus sanctus nubes lucida est?... Quin et audacter Salvatorem nostrum lucidam esse nubem pronunciabo... lucida quippe Patris, et Filii, et Spiritus sancti nubes veros Iesu discipulos obumbrat. » *S. Hippolitus* (10) ait: « Necesse enim est ut, quamvis nolit, confiteatur Deum Patrem omnipotentem, et Christum Iesum Filium Dei, Deum factum hominem,... et Spiritum sanctum, et hos esse vere tres. » —*S. Cyprianus* (11), ut erroneam suam de nullitate baptismi ab haeretico collati sententiam defenderet, inquit: « Si (taliter baptizatus) peccatorum remissam consecutus est... templum Dei factus est: quaero, cuius Dei? Si Creatoris, non potuit, quia in Deum non credidit; si Christi, nec eius fieri potuit templum, qui negat Dominum Christum: si Spiritus sancti, cum tres unum sint, quomodo Spiritus placatus ei esse potuit, qui aut Patris, aut Filii inimicus est? » Satis clare ergo S. Cyprianus tres divinas personas distinguit, earumque in essentia unitatem ostendit inserendo vers. I Io. v, 7. S. *Gregorius Thaumaturgus* (12) dicit: « Unus Deus, Pater Verbi viventis... Pater Filii unigeniti, unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo... Filius verus veri Patris, sempiternus sempiterni, unusque Spiritus sanctus... in quo manifestatur Deus Pater, et Deus Filius... Trinitas perfecta, quae gloria, aeternitate, ac regno nec di-

(1) Ibid. n 15. (2) L 1 Paedag. c. 6.
(3) L. 3 c. 12. (4) L. de Pudicil. c. 21.
(5) Cap 2. (6) Cap. 13.
(7) Cf. c. 17. (8) Hom. 12 in Num.
(9) Hom. 12 in Matth. n. 42.
(10) Lib. c. Noetum. (11) Ep. ad Iubaian.
(12) In Confessione fidei.

visa est, nec alienata. Non ergo defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus, sed immutabilis et invariabilis eadem semper manet Trinitas. » Hanc fidei confessionem, quam S. Episcopus e manu Deiparae accepisse dicitur, refert S. Gregorius Nyssenus (1), et testatur, hoc symbolum manu ipsius exaratum, in Ecclesia Neocaesariensi asservari, et ad plebis instructionem quotidiano usu celebrari. — Auctor libri de Trinitate, qui *Novatiano* vulgo tribuitur, ab initio dicit: « Regula exigit veritatis, ut primo omnium credamus in Deum Patrem, et Dominum omnipotentem »; Dein (2): « Eadem regula veritatis docet nos credere post Patrem etiam in Filium Dei Christum Iesum Dominum Deum nostrum »; et (3): « Sed etiam ordo rationis et fidei auctoritas, digestis vocibus, et litteris Domini, admonet nos, post haec credere etiam in Spiritum sanctum. » Pro coronide ex eodem saeculo referri possunt verba *Dionysii* Papae a S. Athanasio descripta in libro de Syn. Nic. decretis ex epistola quadam contra Sabellianos. In hac Dionysius tum hos refutat, qui personarum distinctionem negabant, tum illos perstringit, qui tria principia, seu tres Deos asserebant. Ideo dicit: « Hic (Sabellius) blasphemat, Filium ipsum asserens esse Patrem, et e converso Patrem esse Filium. At isti tres quodammodo Deos praedicant, dum sanctam monadem dividunt in tres hypostases peregrinas, a se invicem plane separatas. Etenim necesse est uniri omnium Deo Dei Verbum, et in Deo manere, et habitare Spiritum sanctum. Iam vero divinam quoque Trinitatem in unum velut in caput quoddam ac summam, Deum universorum colligi et coalescere prorsus est necesse. Quippe Marcionis est insani dogma, in tria principia secare, ac dividere, quae est diabolica doctrina, non autem eorum, qui revera discipuli sunt Christi et Salvatoris disciplina delectantur. Nam hi Trinitatem a Scriptura sacra praedicari plane intelligunt; tres autem Deos neque in veteri, neque in novo Testamento doceri. »

Nota 1. Ex adductis Ss. Patrum sententiis abunde constat, quam falsa et impia sit sententia eorum, qui fidei in Trinitatem originem a Concilio Nicaeno I repetunt. Ideo nonnulli Rationalistae recentiores cum *Wegscheider* et aliis ipsos Patres antenicaenos doctrinae de Trinitate auctores statuunt. Aiunt enim, *Iustinum M., Irenaeum*, et *Theophilum Antioch.* primos fuisse, qui Filium, et Spiritum sanctum hypostases esse dicerent, deinde *Clementem Alex.* emanationem Verbi, et Spiritus sancti docuisse, *Tertullianum* vero doctrinam de Trinitate amplificasse et exornasse, *Origenem* notionem generationis aeternae tradidisse, ac demum *Dionysium*, Episcopum Romanum trium personarum consubstantialitatem ita credendam proposuisse, ut paulatim fides in tres unius divinae essentiae personas realiter distinctas in Ecclesia invalesceret. Ita ratiocinantur adversarii, eruditionem quamdam ostentantes, quae tamen omni soliditate caret. Loca enim quaedam ex Patribus excerpunt, iuxta praeconceptas suas opiniones intelligunt, et quin ad alia argumenta et monumenta ecclesiastica respiciant, ita in mente sua disponunt, ut non inepto modo dogmatis a se negati initia et progressus explanare videantur, et sic incautos fallant. Sed haud difficile est ostendere, quam fallaci-

(1) In vita S. Gregorii Thaum.

(2) C. 9.

(3) C. 29.

tor in suis adsertionibus procedant. Nam omnino falsum est, citatos Patres saeculi secundi primos fuisse, qui Filium, et Spiritum sanctum hypostases esse dicerent; eadem enim doctrina tum in ipsa S. Scriptura tum in Patribus, qui ante Iustinum M. scripserunt, invenitur, sicuti ex locis iam allatis apparet, et ex inferius dicendis magis adhuc patebit. Quod autem nonnulli Patres posteriores, ut e. g. Tertullianus, plura de Trinitate scripserint, quam anteriores, non alia ex causa factum est, nisi quia tradita ab Apostolis Ecclesiae fides contra haereticos, qui illam impugnabant, defendenda erat. Constat enim, Ecclesiae Praesules maxima semper solertia invigilasse ut doctrina ab Apostolis tradita, pura et integra conservaretur, ipsosque ideo cuilibet novitati restitisse. Id probant non pauci haeretici iam primis saeculis damnati. Ast nemo Catholicorum restitit Iustino, Irenaeo, Theophilo etc., omnes autem restiterunt Praxeae, Noëto, Sabellio, Paulo Samosateno aliter de Trinitate sentientibus, ex quo certum prodit argumentum, quod primi tradiderint doctrinam in Ecclesia receptam, alii innovaverint.

Nota 2. Extiterunt nonnulli, qui ad traditionis argumentum enervandum dicerent, Patres antenicaenos platonicos fuisse, et ex schola Platonis dogma de Trinitate in Religionem christianam transplantasse: huius « facinoris ducem » dicunt *platonicum Iustinum*, et de eodem crimine accusant *Clementem Alex.* et alios. Tales criminationes iam Saeculo XVII proposuit *Souverainius* (1); *Daniel Zwiker* et *Ioannes Clericus* eadem recoxerunt, et magna incredulorum turba eosdem secuta est. — Quantum autem isti a veritate aberrent, facile ostendi potest. Nam: *a*) Tota Unitariorum adsertio falso supposito incumbit, quo contendere nituntur, doctrinam de Trinitate in S. Bibliis non contineri, eamque ab Apostolis traditam non fuisse. Ideo sane alium fontem, ex quo Patres eam hauserint, assignare coguntur, quem philosophiam platonicam esse dicunt, quamvis Plato suam de Trinitate doctrinam tam obscure proponat, ut eius interpretes in illa explicanda dissentiant, in eo autem consentiant, multum discriminis esse inter platonicam et Christianorum Trinitatem. Cum autem iam probatum sit, dogma de Trinitate multo clarius in S. Scriptura contineri, non opus est, ut Patres ex tam turbido fonte hausisse dicantur. *b*) Temerarium et impium est, Patres illos, qui doctrina et sanctitate eminuerunt, et tanquam strenui catholicae fidei contra haereticos et infideles defensores habiti sunt, de tanto crimine accusare, quasi Philosophorum placita tanquam dogmata divinitus revelata venditassent. Tantum quoque abest, ut id ex eorundem scriptis probari possit, ut ex his contrarium potius appareat. Sic *Iustinus M.* testatur se, Christo agnito, non modo platonicae, sed etiam sectis reliquis, philosophiae nuntium remisisse, et S. Scripturae oracula unice esse demiratum. Nam in dialogo cum Triphone senem, cui adstipulatur, ita loquentem inducit: « Nihil mihi curae est Plato, nihil Pythagoras... extitere his antiquiores homines, divino Spiritu afflatu loquentes, Prophetas dicunt; hi soli, quid in vero sit viderunt, et hominibus renuntiarunt. Confestim vero in animo meo ardor excitatus est, et amor invasit prophetarum et virorum istorum, qui Christo cari sunt et amici. Ac revolvens ipse mecum disputatio-

(1) In Platonismo detecto.

nem illius (senis) hanc ipsam solam comperi esse certam atque utilem philosophiam. Atque ad hunc modum, et per haec ipsa ego philosophus prodii. » Idem in Paraenesi ad gentes docet, Prophetis et Apostolis esse inhaerendum, « qui sicut a Deo acceperunt, ita doctrinam nobis tradiderunt. Neque enim vel natura, vel ingenio humano res tam sublimes ac divinas cognitione assequi est possibile, sed dono divino opus, quod in viros sanctos descendit. » Ideo in apologia secunda de Platone et aliis Philosophis, qui de Verbo divino, et de Spiritu sancto aliquam notionem habuerunt, scribit: « Non nos eadem cum illis opinamur, sed omnes illi nostra per imitationem proferunt. Apud nos ergo haec audire et discere licet, ab iis etiam, qui nec formas litterarum norunt... ut intelligere liceat, non humana sapientia haec fieri, sed virtute Dei dici. » Quis ergo dicet, Iustinum doctrinam de Trinitate ex Philosophia Platonis hausisse, cum illam non ut suam singularem, sed ut omnibus Christianis notam, non ut haustam ex libris Philosophorum, sed ut divinitus revelatam coram Imperatore atque Gentilibus propugnaverit? — *Clemens Alex.* equidem etiam in Philosophorum scriptis maxime versatus fuit, sed tamen, teste *S. Cyrillo Alex.* (1), non Philosophos, « sed Apostolos ubique secutus est. » Idem de reliquis Patribus dicendum est; quapropter *S. Augustinus*, qui (2) ait, dolere se, quod Platonem laudasset, scribit (3): « An non Trinitatem ex scriptura probamus? an dicemus cum quibusdam gentilibus Philosophis, quorum absurda recoquunt hodierni, Christum et Apostolos Platonis discipulos fuisse? » *c*) Si qui inter veteres fuerunt, qui profanae Philosophiae nimis indulgere videbantur, a Patribus reprehensi sunt. Sic *Tertullianus* (4) exclamat: « Quid vero Athenis et Hierosolymis? Quid academiae et Ecclesiae? quid haereticis et Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est... Viderint, qui stoicum, et platonicum, et dialecticum Christianismum protulerint. Nobis curiositate non est opus post Christum Iesum nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus non esse, quod ultra credere debeamus. » *Origenes* maiore prae aliis omnibus studio gentilium scripta evolvit; at fatentibus ipsis adversariis Platonicus non fuit, sed ex eorum numero, quos Eclecticos vocant. Caeterum ex *Eusebio* (5) discimus, Origenem, huius immoderationis accusatum, necesse habuisse pro se apologiam scribere. Ait autem in Epistola, cuius fragmentum idem Eusebius (6) refert, de hac studiorum suorum ratione loquens: « Confluentibus nunc ad me haereticis, nunc philosophis, scrutari haereticorum dogmata, et quaecunque a philosophis de veritate iactantur, excutere constitui. » Discipulis autem suis suasit, ut *Gregorius Thaumat.*, qui et ipse eius discipulus fuerat, testatur, ut Philosophorum libris non attenderent, sed ut Deo operam darent et Prophetis. — *d*) Certissimum ergo est, laudatos Patres non ex philosophia platonica, sed ex verbo scripto et tradito suam de Trinitate doctrinam hausisse. Quoniam autem ipsis haud ignotum erat, etiam gentiles Philosophos similia quaedam de Trinitate proposuisse, haec quoque,

(1) C. Iulian. l. 6 et 7. (2) L. 1 Retract.
(3) In Epist. ad Paulin.

(4) L. de Praescript. c. 7 et 8.
(5) Hist. eccl. l. 6, c. 19. (6) L. c.

Digitized by Google

ubi adversus Ethnicos pugnabant, proferebant, non ut catholicam doctrinam illustrarent, aut probarent, sed ut eandem contra Gentiles defenderent, hisque auctoritate ipsorum Philosophorum facilius persuaderent, Christianorum de Trinitate doctrinam rectae rationi nullatenus repugnare. Simili argumentationis genere etiam *S. Athanasium* usum esse. ostendit *Petavius* (1).

Nota 3. Contra traditionis argumentum ultimo adversarii opponunt, Patres, qui in tribus primis saeculis floruerunt, eam de Trinitate fidem non habuisse, quam Ecclesia Catholica post Nicaenum et Constantinopolitanum Concilium tenuit, sed de Verbo, et Spiritu sancto aliter disseruisse, quod etiam *Petavius* et *Huetius*, celeberrimi inter Catholicos Theologi, fatentur: ex quo concludunt, ex Patribus antenicaenis argumentum Traditionis pro fide catholica desumi non posse. Ad hanc difficultatem solvendam, sequentia consideranda sunt. *a*) Si concedendum esset, unum vel alterum Patrem circa catholicam de Trinitate doctrinam vere aberrasse, nullatenus tamen argumentum Traditionis infringeretur, quod non ex uno vel altero Patre, qui seorsim spectatus infallibilis non est, sed ex Patribus collective sumptis, ex aliis monumentis ecclesiasticis, et praecipue ex vivo Ecclesiae magisterio, in non interrupta Episcoporum successione semper continuato, desumitur. — *b*) Observat ipse Doct. *Petavius*, tria esse in Trinitatis mysterio sicut in aliis spectanda; substantiam nimirum dogmatis, quaedam consectaria, et loquendi modum. Patres omnes in substantia mysterii et inter se, et cum Ecclesia Catholica consentiunt; ita enim de Trinitate disserunt, ut unum quidem Deum, et tres in Divinitate distinctos profiteantur: ea ergo in quibus a doctrina catholica dissentire videntur, solum minuta quaedam, aut consectaria dogmatis, aut modum loquendi concernunt: quapropter argumentum Traditionis pro ipsa substantia dogmatis firmum et immobile persistit. *c*) Mirum non est, antenicaenos Patres, dum de Trinitate dissererent, non sat accuratis semper terminis usos fuisse, quamvis circa dogmata catholica nullo modo dissentirent. Sensus enim, et usus vocum, quibus doctrina de tanto mysterio proponeretur, nondum satis praecise determinatus fuit; id demum factum est cogentibus haereticis, qui confusione verborum summopere delectabantur ad facilius suas novitates ac impietates propinandas: ideo ex terminis Patrum non satis accuratis nequaquam concludere licet, eos a dogmatibus catholicis dissensisse; nam, uti alia occasione observavit *S. Augustinus*, « securi illi loquebantur, cum nullus aderat hostis. » Multa quippe, addit S. Doctor (2), «ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius praedicantur.» Pari ratione observat adversus Ruffinum *S. Hieronymus*, Patres antenicaenos, « antequam Arius nasceretur, innocenter quaedam, et minus caute locutus fuisse, eorumque verba modosque loquendi ita attemperandos esse, ut a communi Christianorum fide

(1) T. 2, Praef. c. 3, n. 5. (Cf. P. Io. Franc. Baltum S. I. in defensione Patrum de Platonismo accusatorum, Io. Lamium, qui Io. Clericum refutavit, Simp. Schwarzhueber de Platonismo PP. Klüpfel lib. I. § 29 nota 1. Liebermann l. c. § 4, obi. 3.)

(2) L. 16 de Civ. Dei c. 2, n. 1.

non dissidere videantur. » d) Constat equidem, Petavium et Huetium de nonnullis Patribus antenicaenis asseruisse, quod talia de Trinitate protulerint, quae a doctrina catholica deflectunt. Sed, ait Cl. *Liebermann*, « quod Huetium attinet et Petavium, quamvis maximi nominis viri fuerint, eorum tamen auctoritas tanta non est, ut eos etiam errantes sequi oporteret. Praeterea Petavius, quae dura ab eo dicta fuerant, ipse temperavit, ac emollivit in praefatione tomi secundi. » Extiterunt etiam celeberrimi viri, ut Fratres *Ballerinii*, *Witasse, Simonet, Georgius Bullus* et alii, qui Patres contra Petavium defenderunt, et loca eorum ab hoc adducta ita explanarunt, ut fidei catholicae consona ostenderentur. e) Generatim iuxta regulas hermeneuticas loca obscura et ambigua per loca clara et certa exponere oportet. Ast in Patribus, de quibus controversia agitur, loca clara et certa habentur, in quibus catholicam de Trinitate doctrinam profitentur, uti ex allatis citationibus patet: per illa ergo declarari debent alia, quae subobscura, aut minus caute dicta esse videntur; non enim viri doctrina et pietate celebres sibi ipsis contradixisse censendi sunt. Hincinde etiam non sine ratione Patres obscurius et involute locuti sunt, quando nimirum contra Ethnicos disputabant, quos non circa fidei mysteria instruere, sed contra quos doctrinam christianam, in quantum ab ipsis impugnabatur, defendere satagebant. f) Quaenam fuerit Patrum antenicaenorum fides et doctrina, facillime et optime agnoverunt Patres proxime sequentes, qui plura illorum scripta, quae ad nos non pervenerunt, prae manibus habebant, ac etiam sensum vocum seu terminorum, quibus illi utebantur, melius agnoscebant. Ast Patres quarti et quinti saeculi testantur, a priorum saeculorum Patribus non aliam de mysterio Trinitatis doctrinam traditam fuisse, nisi eam, quae in concilio Nicaeno I et Constantinopolitano I definita fuit. Sic *S. Athanasius* (1) ait: « Fides nostra quae recta est, ex Apostolorum, ac Patrum doctrinam confirmatur; » et (2) ait: « Qui in iis permanet, quae tradita sunt, extra periculum est. » *S. Basilius* commendat (3) definitam in Concilio Constantinopolitano I fidem, « quam, qui ab initio constituerunt, successoribus tradentes, procedente cum tempore semper usu, per diuturnam consuetudinem, altis radicibus in Ecclesia defixerunt. » Et *S. Augustinus* (4) ait: « Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae est Deus, divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum scripturas docere, quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unius eiusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres Dii, sed unus Deus; quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit, qui Pater est, Filiusque a Patre sit genitus, et ideo non sit Pater, qui Filius est; Spiritusque sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tantum Patris, et Filii Spiritus, etiam ipse coaequalis, et ad Trinitatis pertinens unitatem. »

II. *Ex aliis ecclesiasticis monumentis.*

§ 74. Ecclesiam catholicam iam tribus primis saeculis credidisse, tres esse in una divina essentia personas,

(1) Epist. ad Adelph.
(2) L. de Incarn. Verbi.
(3) L. de Spir. S. c. 27.
(4) L. I de Trin. c. 4.

etiam 1° *ex forma baptismi*: 2° *ex symbolis*: 3° *ex doxologia*: 4° *ex Martyrum confessionibus*, et 5° *ex damnatione haereticorum*, et *ex Conciliis* in eorum causa habitis probatur.

1. Baptismus enim in Ecclesia semper collatus fuit *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* — Id praeter *Iustinum* (1) testatur etiam *Tertullianus*, qui (2) dicit: « Novissime mandans Christus, ut tingerent in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, non in unum. Nam nec semel, sed ter ad singula nomina in singulas personas tingimur. » Commemorat hic Tertullianus praeter formam baptismi, etiam trinam immersiorem, quae olim in usu fuit ad expressionem Trinitatis significationem. Sicut ergo Fideles baptismi usum ignorare non poterant, ita nec mysterium Trinitatis; nam in declarato baptismi ritu continetur publica, et solemnis professio fidei in tres personas divinas, et essentiae unitatem (Cf. § 71, n. 3.).

2. *Symbola*, seu fidei professiones, quae ab apostolicis temporibus obtinuerunt, ineluctabili aliud suppeditant dogmatis de Trinitate documentum. Antiquissimum sane est symbolum apostolicum, quod tironibus tradebatur, et in quo tum trium personarum distinctio, tum essentiae divinae unitas exhibetur. Quid est enim credere in Deum Patrem, in unicum eius Filium, et in Spiritum sanctum, nisi credere in tres personas distinctas? Cumque Deus dicatur Pater, et Iesus Christus eius Filius, nonne praedicatur unitas naturae in Patre et Filio? Et si eadem fides, quae habenda est in Patrem et Filium, etiam habenda est in Spiritum sanctum, quis non cognoscit, sicut Patrem et Filium, ita etiam Spiritum sanctum esse personam, et quidem Patri et Filio consubstantialem? — Certe Fideles symbolum, circa cuius sensum verum ante baptismum bene instruebantur, hac fide recitabant, ut sicut tres personas divinas, ita unum Deum profiterentur. Extiterunt etiam alia symbola Ecclesiarum particularium, in quibus Trinitas personarum et Unitas essentiae clarius proponebatur, uti exemplum habemus de Ecclesia Neocaesareensi, Antiochena et aliis. Unitarii equidem haec symbola tanquam corrupta reiiciunt, sed non ex alia ratione, nisi quia ipsorum erroribus minus favent: ast ideo nihil de auctoritate sua perdunt, et semper constantis traditionis praeclari testes esse persistunt (3).

3. Doxologia: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, etc. antiquissima est, et a *Baronio*(4) ab ipsis Apostolis repetitur. Id equidem alii non admittunt, sed tamen non negant, eam iam ante Concilium Nicaenum in usu fuisse. Consentiendum ergo nullatenus est *Philostorgio*, homini Ariano (5), contendenti, primum, qui eam formulam inveheret, fuisse *Flavianum* Antiochenum saeculo quinto. Non quidem semper, et ubique doxologia eodem modo proferebatur. *S. Basilius* (6) testatur, se doxologiam, seu glorificationem hac formula: *Deo Patri, et Filio D. N. I. C. cum sancto Spiritu gloria et imperium in saecula saeculorum, Amen;* accepisse frequentatam in omnibus orationibus, ac libris suis a *S. Gregorio Thaumat.* et *a Firmiliano*. Imo iuxta *Philostorgium* (7) et *Nicephorum* (8) quatuor potissimum formulae in Ecclesia viguerunt: I. *Gloria Patri, et Filio, et*

(1) Ap. I. n. 61. (2) Adv. Praxeam c. 27.
(3) Cf. Perrone, I. c. n. 104.
(4) Ad an. 325, n. 171.

(5) Hist. Eccl. I. 3, c. 3.
(6) L. de Spir. S. c. 29. (7) L. c.
(8) Hist eccl. I. 9, c. 21.

Spiritui sancto. II. *Gloria Patri*, *et Filio in Spiritu sancto.* III. *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto.* IV. *Gloria Patri in Filio*, *et Spiritu sancto.* — Absque dubio una divinarum personarum divinitas optime in prima formula exprimitur, in qua gloria, quae Patri, etiam tum Filio, tum Spiritui sancto tribuitur. Ideo Ariani ab hac formula abstinuerunt, et posteriores amplexi sunt, quarum iuxta nonnullorum sententiam ipsi auctores extiterunt; nam *Theodoretus* (1), Arium reprehendit, quod doxologiae in Ecclesia usitatae novam substituerit: Catholici autem in odium haereticorum primam formulam adoptarunt, ut suam de Trinitate fidem expressius profiterentur. — Huc referri etiam potest antiquissima Ecclesiae consuetudo, in fine orationum, homiliarum et actuum publicorum trium divinarum personarum glorificationem apponendi. Id patet ex oratione *S. Polycarpi*, et ex actis martyrii S. Ignatii § praec. allatis. Similia occurrunt in actis *Symphoniani* (2), qui martyr occubuit anno 180, ubi ad calcem haec leguntur: « Praestante D. N. I. Christo, qui sine fine regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. » In actis MM. Scillitanorum an. circ. 200 in fine dicitur: « D. N. I. Christum, cui honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto in saecula etc. In actis S. Felicit. (3): « Qui (Christus) cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum » (4). Haec eadem gloria tribus personis tributa ostendit aequalem earundem divinitatem. Nam apud Veteres tam certum erat creaturam non posse cum Creatore in eandem gloriae societatem coniungi, ut *Dionysius Alex.* cum postulatus fuisset apud *Dionysium* R. P. quod tres et natura et persona diversos induceret, hoc maxime argumento se purgavit, quod doxologiam praeciperet, in qua una eademque gloria Filio, et Spiritui sancto sicut Patri tribuitur.

4. Magnae auctoritatis sunt *confessiones*, quas de sua fide Martyres publice coram iudicibus deponebant, et quae a viris eruditis litteris exaratae, et in Ecclesiis pro aedificatione Fidelium cum summa diligentia conservatae sunt. Talia acta Martyrum plurima collegit, eorumque authenticitatem probavit doctissimus *Ruinart.* Ex his ergo optime cognosci potest, quaenam fuerit in primis saeculis Christianorum fides, pro qua etiam mortem perpeti non dubitarunt. Sed multi Martyres suam de Trinitate fidem publice professi sunt. In actis MM. Lugdunensium, qui passi sunt anno decimoseptimo Marci Aurelii, legimus *S. Epipodium* haec verba protulisse coram praeside, qui os Martyris elidi pugnorum ictibus iusserat: « Christum cum Patre et Spiritu sancto Deum esse confiteor. » In actis Eupli, Diaconi, anno 304, *Euplus* dixit: « Patrem, et Filium et Spiritum sanctum adoro.... adoro Trinitatem inseparabilem, quae Trinitas, unitas Deitatis est. Ego sacrifico et immolo meipsum Patri, et Filio, et Spiritui sancto. » In actis *S. Vincentii*, anno 304, inclytus martyr ait: « Dominum Christum confiteor, Filium altissimi Patris, unici unicum; ipsum cum Patre, et Spiritu sancto unum solum Deum esse profiteor. » — *S. Afra* mortem subitura dixit: « Domine Iesu Christe..., tibi offero sacrificium meum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum (5). S.

(1) Hist. l. 4, c. 1. (2) Ap. Ruinart.
(3) N. 5. (4) Cf. Acta Ss. Agapes, et soc. anno 304; S. Afrae eod. anno; S. Theodori Ep. M. anno 305, Ss. Firmi, et Rustici eod. anno et alia. (5) Pass. S. Afrae n. 3, anno 304.

Iulitta, anno 305, ita ad Christum oravit: « Benedicat Spiritus meus Patrem tuum omnium conservatorem ac universorum opificem, sanctumque Spiritum in saeculum: Amen (1).

5. Quicunque iam in primis saeculis catholicam de Trinitate doctrinam impugnarunt, aut personarum distinctionem, aut essentiae unitatem negantes, tanquam haeretici habiti et condemnati sunt. Sic *Praxeas*, *Noëtus*, *Sabellius*, eorumque discipuli *Patripassiani*, *Theopaschitae*, aut *Sabelliani* dicti, haereticis adnumerati sunt. Contra Praxeam *Tertullianus* catholicam fidem defendit: Sabellium, distinctionem personarum in SS. Trinitate negantem, *S. Dionysius* Alexandrinus scripto refutavit, huiusque doctrinam *Dionysius* Papa, in concilio Romae circa annum 263 habito, orthodoxam declaravit, Sabellianorum errore condemnato. Eodem modo *Ebioni*, *Artemoni* et *Paulo Samosateno*, Arii antecessoribus, consubstantialitatem Filii cum Patre, seu unitatem essentiae in Trinitate negantibus universa Christianorum repugnavit Ecclesia, ut scribit *Alexander* Episcopus Alexandrinus ad Alexandrum Constantinopolitanum apud Theodoretum (2). Contra Paulum Samosatenum iam *S. Dionysius Alex.* scripserat epistolam, in qua, post expositam doctrinam Trinitatis, ac divinitatis Verbi, ac Spiritus sancti, addit: « et sic confessi sunt eum (Verbum) sancti Patres, et ut confiteremur, ac crederemus, nobis tradiderunt » (3). Et (4) concludit: « Ita scilicet divina Trinitas, et sancta monarchiae praedicatio integra servabitur » (5). Duo adversus eundem Paulum Samosatenum coacta sunt Antiochiae concilia: primum anno 264, et alterum anno 270. — In priori professio fidei de Trinitate his verbis emissa fuit: « Decrevimus fidem scripto edere et exponere, quam a principio accepimus, et habemus traditam et servatam in catholica Ecclesia usque in hodiernum diem a beatis Apostolis... esse unum Deum ingenitum.... et Filium genitum, Sapientiam, et Verbum, ac virtutem Dei ante saecula, non praecognitione, sed substantia et hypostasi Deum, Dei Filium etc. » Concluditur autem: « Et omnes Ecclesiae catholicae nobiscum consentiunt» (6). In altero concilio, cui interfuerunt octoginta Episcopi, « auctor ille nefariae apud Antiochiam haereseos Paulus, convictus et ab omnibus manifestissime deprehensus falsi dogmatis reus, ab universa, quae sub coelo est Ecclesia catholica eliminatus est, » ut ait *Eusebius* (7).

Nota 1. Argumentis ex traditione petitis Sociniani opponunt silentium Gentilium. Nam, aiunt, si dogma Trinitatis olim a Christianis creditum fuisset, id scivissent utique Gentiles, et Christianis obiecissent: verum nihil huiusmodi unquam obiectum fuisse legimus: contra autem Atheismi accusatos fuisse Christianos omnibus notum est. — Sed haec adversariorum obiectio quae solum in argumento negativo consistit, neutiquam argumenta positiva iam allata enervare potest. Nam: *a*) nemini ignotum esse potest, veteris Ecclesiae consuetudinem fuisse, Religionis mysteria non paganis tantum, sed et Catechumenis aliisque nondum initiatis reticendi. Haec est illa disciplina arcani, quam Patres religiose observarunt, ne divina dogmata profanorum ludibrio ex-

(1) Ep. Theod. Ep. de martyrio S. Quirici, et matris eius Iulittae.
(2) L. 1, Hist. c. 4.
(3) In Biblioth. vet. PP. t. I, p 275.
(4) In fragm. adv. Sabellianos n. 3.
(5) Ap. Athanas. de decret. n. 26.
(6) V. Coll. Conc. Labbei T. 1.
(7) H. E. l. 7, c. 29.

ponerentur, et sic facile contingere potuit, ut revelata de Trinitate doctrina saltem plerisque Gentilibus ignota maneret. *b*) Non omnia, quae Gentiles contra dogmata christiana blasphemantes protulerunt, a Patribus conscripta sunt, et etiam multa, quae ab his scripta fuerant, ad nos non pervenerunt. *c*) Falso a Socinianis supponitur, Gentiles Christianis Trinitatis doctrinam nunquam obiecisse. Observat enim *Iustinus* (1). Christianos pro insanis a Gentilibus habitos fuisse, quod Christum tanquam Deum colerent, quae accusatio duas saltem in Deo personas esse supponebat. Et *Praxeas* apud *Tertullianum* totus in eo est, ut ex pluralitate personarum plures quoque Deos inferat. Pariter *Origenes* (2) reprimit, quod a Celso obiiciebatur, immerito nempe plurium Deorum cultum a Christianis Gentilibus opponi, quandoquidem et ipsi Christiani Christum tanquam verum Deum adorarent, ac plures admitterent in deitate personas. Notatu digna sunt, quae *Lucianus* habet in dialogo, qui *Philopater* inscribitur, in quo inducit Christianum qui Ethnicum catechizat. Quaerit Ethnicus: « per quem iurabo? » cui catechista christianus respondet: « per Deum alte regnantem, magnum, immortalem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, et ex uno tria. Haec tu Iovem puta, hunc existima Deum. » *d*) Haec obiectio Socinianorum in ipsorum caput revolvi potest. Nam obiicientibus paganis tres Deos in tribus personis coli et adorari, hominemque ultimo supplicio affectum pro Deo ab illis haberi, facillime reposuissent christianae Religionis Apologistae, si cum Socinianis sensissent, se nullatenus Filium et Spiritum sanctum pro vero Deo habere, sed Filium ut excellentem dumtaxat creaturam, et Spiritum sanctum ut Dei virtutem et efficaciam. Atqui longe abest, ut tale quid Ethnicis reposuerint, imo potius publice et intrepide, etiam inter acerbissima tormenta contestabantur, se credere, tres esse distinctas in Deo personas, et unam numero singularem essentiam, seu naturam. Athei autem Christiani a Gentilibus dicti sunt non alia ex ratione, nisi quia a cultu falsorum numinum abhorrebant.

Nota 2. Haec, quae dicta sunt de constanti et universali Christianorum de Trinitate fide, etiam per *argumentum praescriptionis* confirmantur. Omnes enim admittunt, post Concilia Nicaenum I, et CP. I. communem hanc fuisse in Ecclesia catholica fidem, quod tres sint in una divina essentia personae realiter distinctae. Hoc dogma Ecclesia repetit et semper repetiit ex facta nobis a Christo Revelatione, et tamdiu in legitima huius fidei divinae possessione manet, donec adversarii certis argumentis ostenderint, serius doctrinam de Trinitate inventam, et in Ecclesiam introductam fuisse. Sed id Antitrinitarii nunquam adhuc praestiterunt, sed-ipsi inter se dissentientes-nonnisi vana proposuerunt. Primo enim Sociniani dogma de Trinitate a laudatis duobus conciliis in Ecclesiam introductum fuisse dixerunt. Cum autem Catholici multis argumentis ostenderent, fidem in Trinitatem iam ante Concilium Nicaenum I in Ecclesia fuisse, confugerunt ad *Iustinum M.* cuique primum huius dogmatis auctorem ex praeconcepto platonismo affirmarunt, eandemque doctrinam a *Tertulliano* exornatam et propagatam fuisse asseruerunt. Quam absurda autem haec sententia sit, facile ostenditur. Quomodo enim vir unus, au

(1) Apol. 2. (2) L. 8, c. Cels.

alter, etiam quacunque auctoritate pollens, potuisset novum dogma, et quidem dogma rationem humanam longe superans, in totam Ecclesiam introducere, iam per Asiam, Affricam, et Europam late propagatam? Et qua ratione factum est, ut non Iustinus et Tertullianus dogmata de Trinitate proponentes, sed omnes alii, qui hisce dogmatibus adversabantur de innovatione, seu corruptione doctrinae revelatae accusati, et ut haeretici condemnati fuerunt? Accedit quod sat luculenta monumenta ostendant, iam ante Iustinum et Tertullianum fidem de Trinitate in Ecclesia viguisse. Hisce rationibus pressi, recentiores Rationalistae *Gottl. Paulus*, *Wegscheider* et alii eousque temeritatis venerunt, ut dicerent, Ioann. Evang. doctrinam de Trinitate ex alexandrinorum Iudaeorum philosophematibus hausisse, et sublimioribus phantasiae imaginibus sic exornasse etc. — Ipsi ergo adversarii nobiscum fatentur, doctrinam de Trinitate a temporibus Apostolorum repetendam esse. Maxime autem impium et absonum est dicere, ex spurio fonte Ioannem doctrinam suam hausisse, cum e contra, verba in quibus divinarum personarum distinctio clare asseritur (§ 71 n. 2) ex ipso ore Christi prolata esse testetur, et reliqui Apostoli cum ipso consentiant (ibid. n. 3 et 6). Sed Rationalistae ipsam Canonicorum Scriptorum auctoritatem infallibilem negant, et sic ipsa Religionis christianae fundamenta evertere conantur. De ipsis ergo dici potest, quod *S. Irenaeus*(1) de antiquis haereticis scribit: « Putaverunt, semetipsos plus invenisse quam Apostoli.... et Apostolos quidem adhuc quae sunt Iudaeorum sentientes annuntiasse Evangelium, se autem sinceriores et prudentiores Apostolis esse (2).

(1) L. 3. adv. haer. c. 12, n. 12.
(2) Cf. Perrone n. 113.
(3) Cf. Klüpfel l. 1 § 26-36, Dobmayr § 58-80 Staudenmayr § 87-91.

CAPUT II

DE TRIBUS PERSONIS IN UNA DIVINA ESSENTIA REALITER DISTINCTIS SINGILLATIM

§ 75. Deum unum esse in essentia, et trinum in personis per allata iam argumenta invicte probatur. Sed summum hoc Religionis christianae mysterium etiam alia ratione probari potest, si nempe ea conferuntur quae Revelatio de personis singulis, et de essentia divina docet. Nam si in doctrina revelata tribus personis ab invicem distinctis divinitas tribuitur, et tamen una divina essentia, seu unus Deus asseritur, necessario concludendum est, quod tres sint in una divina essentia personae realiter distinctae. Ut vis huius argumenti pateat, *quatuor propositiones*, quae sunt tot dogmata catholica, probandae veniunt; nimirum I. *Pater, qui est persona distincta a Filio et Spiritu sancto, est verus Deus:* II. *Filius, seu D. N. I. Christus, qui est persona distincta a Patre et Spiritu sancto, est verus Deus:* III. *Spiritus sanctus, qui est persona distincta a Patre, et Filio, est verus Deus:* IV. *Tres personae habent unam essentiam divinam, et sunt unus Deus* (3).

PROPOSITIO I.

Pater, qui est persona distincta a Filio et Spiritu sancto, est verus Deus.

§ 76. Vox *Patris* non una ratione Deo tribuitur. Deum nonnulli etiam, quorum tenebris fides lucem non attulit, aeternam substantiam esse intellexerunt, a qua res ortae essent, et cuius providentia omnia gubernarentur, suumque statum et ordinem conservarent. Ex humanis igitur rebus ducta similitudine, quemadmo-

Digitized by Google

dum eum, a quo familia propagata est, cuiusque consilio et imperio regitur, Patrem vocabant: ita hac ratione factum est, ut Deum, quem omnium rerum opificem et rectorem agnoscebant, *Patrem* appellari voluerint. Eodem nomine etiam S. Litterae usae sunt, cum de Deo loquentes, universorum creationem, potestatem, admirabilemque providentiam ei tribuendam indicarent. Legimus enim: *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te* (1)? *Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus* (2)? *Numquid non pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos* (3)? In eodem sensu Christus ait: *Unus est Pater vester, qui in coelis est* (4), ad hunc orare iubemur: *Pater noster* (5), etc.; nam *Pater vester scit, quoniam his indigetis* (6). At vero multo frequentius, et peculiari quodam nomine praesertim in N. T. libris Deus *Pater* eorum dicitur, qui fide et charitate ipsi adhaerentes gratia sanctificante ornantur; hi enim acceperunt spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamant: *Abba (Pater)* (7), eam enim *charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus* (8). Denique frequentissime et singulari plane modo praecipue in N. T. Deus nominatur Pater D. N. Iesu Christi, qui idcirco eius Filius unigenitus et proprius appellatur. Sub hoc respectu Pater distinguitur a Filio et Spiritu sancto, est vera persona, et est verus Deus.

1. Innumera fere sunt loca, in quibus Christus se a Patre suo distinguit, ita ut alius a Patre dicendus sit. Sic ait: *Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem* (9). Cum per triduum in templo Dei commoratus fuerat, Mariae et Iosepho dixit: *Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse* (10)? Christus ipse inquit: *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum* (11). *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* (12). *Solus non sum: sed ego, et qui misit me, Pater* (13). *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus* (14). *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (15). In his multisque aliis locis Christus satis clare semetipsum distinguit ab illo, quem peculiari modo Patrem suum nominat, et cuius Filius *unigenitus* (16), *primogenitus* (17), *proprius* (18) est. Pater etiam a Spiritu distinguitur; hic enim *Spiritus Patris* (19) a Patre *procedere* (20), et a Patre *mitti* (21) dicitur.

2. Pater D. N. I. Christi est vera persona, quia ipsi intellectus, voluntas, et operationes personales attribuuntur. Legitur enim: *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (22). Christus inquit: *Haec est voluntas eius, qui misit me, Patris* (23), etc. et in horto Getsemani oravit: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me: veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat* (24). Praeterea Pater dicitur revelare: *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est* (25);

(1) Deut. 32, 6 (2) Malach. 1, 6. (3) Ib. 2, 10. (4) Matth. 23, 9. (5) Matth. 6, 9. (6) Luc. 12, 30. (7) Rom. 8, 15. (8) 1 Io. 3, 1. (9) Io. 16, 28. (10) Luc. 2, 49. (11) Matth. 7, 21 (12) Matth. 10, 32.

(13) Io. 8, 16. (14) Io. 12, 26. (15) Luc. 23, 46. (16) Io. 1, 18. (17) Hebr. 1, 6. (18) Rom. 8, 32. (19) Matth. 10, 20. (20) Io. 15, 26. (21) Gal. 4, 6. (22) Matth. 11, 27. (23) Io. 6, 39. (24) Luc. 22, 42. (25) Matth. 16, 17.

Digitized by Google

operari: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (1); diligere: *Pater diligit Filium: et omnia dedit in manu eius* (2); clarificare: *Pater, clarifica nomen tuum: Venit ergo vox de coelo: Et clarificavi, et iterum clarificabo* (3); dare: *Pater meus dat vobis panem de coelo verum* (4). Quamvis ergo Pater D. N. I. Christi in S. Bibliis persona non appelletur, tales tamen de ipso actiones praedicantur, quae nonnisi verae personae attribui possunt.

3. Patrem D. N. I. Christi verum Deum esse, clarissima S. Scripturae testimonia evincunt. Quem enim Christus Patrem suum appellat, eundem et verum Deum confitetur. Iesus dixit: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli, et terrae* (5); hunc autem non esse nisi verum Deum, ratio, et revelatio docent. Christus ait: *Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est* (6); Iudaei autem nonnisi unum verum Deum, Iehova profitebantur. Christus ad Patrem suum loquitur: *Haec est autem vita aeterna: ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum* (7). Tam claris verbis Christus publice contestatus est, Patrem suum esse verum Deum, ut exinde offensionem incurreret Iudaeorum; legitur enim: *Propterea ergo magis quaerebant eum Iudaei interficere, quia non solum solvebat Sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum* (8). Apostoli Deum Patrem Iesu Christi frequenter in exordiis maxime, et epilogis suarum Epistolarum laudant. Legitur: *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam* (9); quibus verbis Pater D. N. I. Christi ceu salutis nostrae auctor benedicitur. Paulus scribit: *Unanimes, uno ore honorificetis Deum, et Patrem Domini nostri Iesu Christi* (10). *Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in saecula, scit quod non mentior* (11), quibus locis cultus divinus Patri I. Christi tribuitur. Et dicitur: *Hic est Antichristus, qui negat Patrem, et Filium. Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, et Patrem habet* (12): ex quo patet, veritatem hanc religioni christianae propriam et essentialem esse. Ideo Ecclesia constanti et universali fide Patrem Iesu Christi, Filii eius unici, seu unigeniti ut verum Deum profitetur; nam in symbolo apostolico dicitur: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem coeli et terrae*, etc., et in symbolo Nic.-CP.: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae*, etc.

Nota. Non opus est, ut haec prima propositio multis argumentis comprobetur; nam etiam Ariani et Sociniani Patri D. N. I. Christi personalitatem et deitatem nullatenus denegant. Indirecte tamen Patrem, quatenus ceu prima Trinitatis persona ad secundam, seu ad Filium sibi consubstantialem refertur, omnes negant, qui aeternam Filii generationem non admittunt, et hanc admittere recusant, quicumque veram Filii divinitatem inficiantur. Impius autem istorum error in secundae propositionis demonstratione refellitur.

(1) Io. 5, 17. (2) Io. 3, 35.
(3) Io. 12, 28. (4) Io. 6, 32.
(5) Matth. 11, 25. (6) Io. 8, 54.

(7) Io. 17, 3. (8) Io. 5, 18.
(9) 1 Petr. 1, 3. (10) Rom. 15, 6.
(11) 2 Cor. 11, 31. (12) 1 Io. 2, 22-23.

PROPOSITIO II.

Filius, seu D. N. Iesus Christus, qui est persona distincta a Patre et Spiritu sancto, est verus Deus.

§ 77. Iesum Christum, qui natus ex Maria Virgine, et passus sub Pontio Pilato, crucifixus ac mortuus est, praestantissimum divinae Revelationis praeconem et Religionis christianae auctorem fuisse, iam in Theologia generali P. II, S. I, C. IV probatum est. Id nobiscum profitentur Sociniani, sed maxime a nobis dissentiunt, dum contendunt, Christum non extitisse, priusquam ex B. Virgine nasceretur, nisi in mente Dei per ideam, praevisionem atque praedestinationem, quo in capite Arianos impietate superant: licet enim isti negaverint, Verbum esse Patri consubstantiale ac coaeternum, fatebantur nihilominus, illud ante omnem creaturam a Deo conditum fuisse, tanquam instrumentum ad mundi creationem.

Quantum autem Sociniani aberrent, ex ipsa S. Scriptura patet, quam se nobiscum venerari protestantur. Haec enim clarissime tradit, Christum sub alia ratione iam prius extitisse, quam a Maria conciperetur et ex illa nasceretur. Christus ergo praeter naturam humanam, quam ex matre sumpsit, aliam quoque naturam habet, divinam scilicet, in qua est Filius Dei, non adoptivus, sed naturalis, secunda Trinitatis persona, a Patre et Spiritu sancto realiter distincta.

1. Christum sub aliqua ratione iam prius extitisse, quam per incarnationem homo fieret, S. Litterae clarissime docent. De Christo enim, ut ipsi Sociniani fatentur, loquitur S. Ioannes sub nomine Verbi in capite primo. Ait autem: ***In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum...*** (1). *Omnia per ipsum facta sunt ...* (2) et postea dicit: ***Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*** (3). Verbum erat iam in principio, dum mundus ordiretur, ergo non in tempore per incarnationem incepit: praeterea per ipsum Verbum omnia facta sunt, ergo erat antequam omnia fierent: denique si *Verbum caro factum est*, necesse est, Verbum fuisse antequam caro fieret, hoc est, humanitatem ex B. Virgine assumeret. Hoc idem clare enuntiatur Io. VIII, 56 etc. Iudaei enim humanam solummodo naturam in Christo considerabant: ut autem ad altiora mens ipsorum extolleretur, Christus inquit: *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, et gavisus est. Dixerunt ergo Iudaei ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Si Christus existentiam sibi attribuit, antequam Abraham fieret, profecto iam extitit priusquam ex B. Virgine nasceretur. Non dicit autem Christus: *Antequam Abraham fieret*, ego eram, sed *ego sum*, ut suam exprimeret aeternitatem, quae in continua praesentia consistit. — Frustra *Socinus* vim huius argumenti effugere conatur, dicens, citata verba ita esse intelligenda: Antequam Abraham fiat pater omnium credentium per vocationem Gentilium ad fidem, ego sum Christus, Messias, etc. Haec enim interpretatio omnino nova est, quam ipse Socinus se nonnisi multo labore et post diuturnas preces adinvenisse fatetur; eademque prorsus falsa est: nam de vocatione Gentilium ad fidem hic nec verbum occurrit; Abraham autem iam in veteri lege Iudaeorum credentium pater erat, et de hoc loquitur Christus, quia dicit: *Pater vester exultavit*, etc. Idem confirmatur

(1) Io. I, 1. (2) Ibid. v. 3. (3) Ibid. v. 14.

ex contextu. Apposita enim est Christi responsio ad obiectionem Iudaeorum, qui antiquitatem Christi negabant ex eo, quod nondum quinquaginta annos natus Abraham vidisset: absurda vero et plane irrisoria foret responsio, si hoc unum voluisset, se existere, antequam Abraham reipsa foret pater Gentilium ad fidem conversorum. Quid enim istud faciebat ad institutum sermonem, et qua via sensum tam reconditum subodorari potuissent Iudaei? denique quid in eo singulare fuisset? quandoquidem non tantum Christus, sed et quilibet ex discipulis ipsius extiterit ante vocationem Gentilium ad fidem. Denique Christus, ut suam ante incarnationem praeexistentiam ostenderet, dixit: *Exivi a Patre, et veni in mundum* (1); similiter se a coelo descendisse profitetur: *Descendi de coelo* (2); *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi* (3); et praedicens suam in coelum ascensionem ait: *Hoc vos scandalizat? si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius* (4)? Ergo prius extitit Christus in coelo, unde descendit, quam ex B. Virgine nasceretur, sed prius non extitit secundum naturam humanam, quam a Maria accepit, ergo alia natura in ipso agnoscenda est, nempe divina.— Pressi hisce locis Sociniani dicunt, Christum raptum fuisse in coelum ante inchoatum publicum ministerium, ut ibi a Patre doceretur, ut sic declararent, qua ratione Christus a Patre exiisse et a coelo descendisse dicatur. Sed de hoc raptu in coelum nec verbum in S. Scriptura occurrit; et quomodo factum tanti momenti reticeri potuisset, ex quo iuxta Socinianos tota Christi auctoritas repetenda esset? tota quoque antiquitas de praedicto raptu silet, quem Sociniani solum ad impios suos errores defendendos confinxerunt. Fictitium esse hunc raptum in coelum ex eo quoque patet, quia in tempore, quo contigit, assignando ipsi Sociniani non conveniunt: communiter quidem dicunt, raptum illum contigisse, cum Iesus ab Evangelista dicitur ductus a Spiritu in desertum, in quo per 40 dies et noctes ieiunus permansit. Ast ne apparenti quidem argumento probare queunt, per desertum, in quo Christus esuriit, et a diabolo tentatus fuit, coelum intelligendum esse. Adde quod docet Apostolus Christum introisse *semel in Sancta Sanctorum* (5), hoc est, eodem interprete, *in coelum* (6), dum nimirum post mortem in istud adscendit: quapropter prior Christi introitus in coelum a Paulo penitus negatur (7).

(1) Io. 16, 28. (2) Io. 6, 38.
(3) Ibid. v. 51. (4) Ibid. v. 62-63.
(5) Hebr. 9, 12. (6) V. 24.
(7) Cf. Tournely de Trin. q. 4, art. 2, sect. 1. Berti lib. 7, c. 8.

2. Sicut Iesus Christus propter naturam humanam, quam in tempore ex Maria assumpsit, frequenter in S. Litteris *Filius hominis* nuncupatur, sic etiam propter naturam divinam, quam iam ante incarnationem habuit, dicitur *Filius Dei*. Mariae Angelus dixit: *Paries Filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur* (8). Ioannes Baptista videns Iesum, testimonium perhibuit, *quia hic est Filius Dei* (9): hoc idem testata est mirabili prosus modo aeterni Patris *vox de coelis dicens: Hic est Filius meus dilectus* (10), etc. Nathanaël, cuius ingenua fides laudatur, Christo dicit: *Rabbi, tu es Filius Dei* (11). Petrus dixit: *Tu es Christus filius Dei vivi* (12), quae confessio non solum appro-

(8) Luc 1, 31-32 (9) Io. 1, 34
(10) Matth. 3, 17. (11) Io. 1, 49.
(12) Matth 16, 16.

Digitized by Google

batur, sed et remuneratur, ac supernae revelationi adscribitur. Idem Petrus cum reliquis Apostolis dicit: *Nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei* (1). Martha profitetur: *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti* (2). Centurio videns miracula in morte Iesu Christi contingentia exclamat: *Vere Filius Dei erat iste* (3). Etiam ab Apostolis Christus passim dicitur *Filius Dei* (4).

3. Iesus Christus ergo, qui est Filius hominis propter naturam humanam, quam in tempore assumpsit, est etiam *Filius Dei*, et tanquam Filius Dei est vera persona, quia ipsi intellectus, voluntas et operationes personales adscribuntur. Christus enim ut Filius Dei dicitur cognoscere: *Neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (5) (Cf. Io. XVII, 25); dicitur velle: *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat; sic et Filius, quos vult, vivificat* (6); dicitur operari: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (7); dicitur mittere: *Ego mittam vobis a Patre spiritum veritatis* (8); dicitur confiteri: *Confitebor et ego eum coram Patre meo* (9); est ergo Christus tanquam Filius Dei vera persona, et quidem distincta a Patre; id enim apertissime ex locis tum hic, tum § praec., n. 1 citatis colligitur: eodemque modo est persona realiter distincta a Spiritu sancto, qui expresse *alius Paraclitus* (10) vocatur, et a *Filio* mitti dicitur.

4. Iesus Christus est Filius Dei, non adoptivus, sed naturalis, ex ipsa substantia Patris genitus, ac ideo Patri consubstantialis. Ideo sane dicitur Filius Dei *Unigenitus* (11); *Primogenitus* (12); *Proprius* (13), ut sic distingueretur a Filiis adoptivis, quales sunt omnes, qui gratia sanctificante ornantur. Si autem Christus est Filius Dei naturalis, ex substantia Patris genitus, et huic consubstantialis, est etiam persona divina, seu est verus Deus. — Id negarunt *Ariani*, quos in eodem errore iam praecesserant *Cerinthus, Ebion, Carpocrates, Theodotus* et *Paulus Samosatenus*, et quos secutus est *Photinus*. Eundem errorem renovarunt *Sociniani*, qui docent, solum Patrem esse verum Deum, Christum vero esse purum hominem, et Filium Dei vocari solum propter moralem cum Deo coniunctionem, et propter insignia dona a Deo accepta. Eodem modo etiam recentiores rationalistae in Christo non secundam Trinitatis personam, non Deum, sed hominem, magna sapientia et virtute praeditum venerantur. — Cum autem divinitas Christi praecipuum sit fidei ac religionis cristianae fundamentum, quo everso, totam funditus illam subverti necesse foret, necessarium omnino est, ut paulo diutius in hoc versando argumento immoremur, et tum *ex S. Scriptura*, tum *ex traditione* probemus, D. N. I. Christum verum Deum esse.

ARTICULUS I.

Divinitas Iesu Christi probatur ex S. Scriptura.

§ 78. Dogma de divinitate Christi tam multis Scripturae locis et tam aperte traditum est, ut mirum sit extitisse homines, qui cum Christiani dici vellent, et divinam S. Bibliorum auctoritatem profiterentur, id tamen

(1) Io. 6, 70. (2) Io. 11, 27.
(3) Matth. 27, 54.
(4) Rom. 1, 4 et 8, 32. 1 Cor. 1, 9. Gal. 2, 20. Col. 1, 12. Hebr. 1, 2 et 4, 14. 1 Io. 1, 7 etc.
(5) Matth. 11, 27. (6) Io. 5, 21.
(7) Io. 5, 17. (8) Io. 15, 26.
(9) Matth. 10, 32. (10) Io. 14, 16.
(11) Io. 1, 18. (12) Hebr. 1, 6.
(13) Rom. 8, 32.

Digitized by Google

inficiari ausi fuerint. Verum etenim Iesu Christi divinitatem S. Libri tum *veteris*, tum *novi Testamenti* contestantur.

Nota. In hac tractatione promiscue *Filii Dei*, *Verbi* et *Christi* divinitatem appellabimus, quia, sicut ex iam probatis patet, una et eadem est Filii Dei, Verbi et Christi persona: quid enim est Christus nisi *Verbum caro factum* (1), seu *unigenitus Filius*, ex infinita dilectione a Patre in mundum missus (2)?— Si ergo probaverimus, Christum esse Deum, eo ipso demonstrata est Filii Dei, seu Verbi divinitas, et vice versa.

I. *Argumenta ex veteri Testamento petita.*

§ 79. Iam in Theologia generali probatum est, Iesum Christum esse Messiam in veteri lege promissum, praefiguratum et praenuntiatum (§ 141-148). Si ergo ex divinis V. T. oraculis ostendi potest, illum, qui est verus Messias, esse etiam verum Deum, necessario concludendum est, Iesum Christum, qui est verus Messias, esse etiam verum Deum. Sed in S. V. T. Libris multa loca dantur, quae evincunt, illum, qui est verus Messias, esse etiam verum Deum: praecipua saltem hic referenda sunt.

1. In Ps. II, quem iam antiqui Iudaei de Messia exposuerunt, et Paulus Christo adplicat (3), Messias inquit, v. 7: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Messias ergo proprie et singulariter est Filius Dei, et quidem Filius ab aeterno, Filius generatione; nam *hodie* adverbium est aeternitatis, ut in hunc locum observat *S. Augustinus*, quia in aeternitate nec praeteritum quidquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, sed praesens tantum: ab aeterno autem Messias non factus, non creatus, sed genitus dicitur, ac proinde est Filius Dei aeternus, et verus Deus, quia attributum aeternitatis soli vero Deo competit. Ideo in eodem Psalmo Messiae etiam cultus divinus tribuitur; verba enim v. 21 quae Vulgata ita vertit: *Apprehendite disciplinam*, viri linguae hebraicae peritissimi ita reddunt: *Adorate Filium.* — Locus parallelus habetur in Ps. CIX, qui non potest de alio, quam de Messia exponi, et quem Christus ipse sibi adplicuit Matth. XXII, 42 (4). Ibi enim David, qui nulli homini subiectus erat, dicit: *Dixit Dominus Domino meo* i. e. Messiae; v. 3: *Ex utero ante luciferum genui te: ex utero*, i. e. ex ipsa mea essentia, *ante luciferum*, i. e. ante primariam creaturam non creavi, non feci, sed *genui te*. Similiter Psalmus XLIV ab antiquis Iudaeis ad Messiam referebatur, quia in eodem de conversione Gentium per Messiam perficienda sermo instituitur: ibi autem v. 7, etc. Psalmista ad Messiam sermonem dirigens dicit: *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis*, ubi tum Messias v. 7, tum qui unxit eum v. 8, Deus dicitur (5).

2. *Isaias* sicut adventum Messiae frequenter praedixit, sic etiam eiusdem Divinitatem clarissime asseruit. Is. VII, 14 legitur: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel;* quem textum Christo applicat S. Matth. I, 23. Quid vero nomine Emmanuel significetur, exponit idem Evangelista dicens: *Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus.* Ergo in Messia id ve-

(1) Io. I, 4. (2) Io. 3, 16.
(3) Hebr. I, 4 etc. (4) Cf. Hebr. 5, 6,
(5) Cf. Hebr. I, 8.

Digitized by Google

rificari debuit, ut Deus nobiscum conversetur, iuxta dictum Ioannis I, 14: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;* neque audiendi sunt Sociniani, dum dicunt, Messiam per doctrinam efficere debere, ut Deus nobiscum uniretur; tunc enim etiam Prophetae V. T. et Apostoli N. T. eodem nomine insigniri potuissent, quod tamen nullatenus factum est. Imo Isaias venturum Messiam expresse Deum nominat: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius: et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis* (1): talia autem nomina, quae Messiae tribuuntur, soli vero Deo competere possunt. Idem Propheta, Messiam annuntians populo, ait: *Et dicet in illa die: Ecce Deus noster iste, expectavimus eum...*(2). Et dicit: *Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum* (3). Haec miracula non ab alio nisi a Messia patranda praedicuntur; hic autem dicitur *Deus vester*, i. e. Deus, quem colebant Iudaei, et de vero ac summo Deo sermonem esse, apparet ubi dicitur: *Videbunt gloriam Domini, et decorem Dei* (4). Porro textum illum sibi applicat ipsemet Christus, qui sciscitantibus discipulis, an ipse foret, qui venturus praedicitur, respondet: *Euntes renuntiate Ioanni, quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant* (5), etc.

3. *Ieremias* nomen Iehovae attribuit Messiae; ait enim: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et suscitabo David germen iustum; et regnabit Rex, et sapiens erit: et faciet iudicium et iustitiam in terra. In diebus illis salvabitur Iuda, et Israël habitabit confidenter: et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster* (6), in hebraeo legitur: *Iehova iustitia nostra.* Egregium istud testimonium de Messia intelligi debere non diffitentur veteres Iudaei, sicut erudite ostendit *D. Huetius* (7). Et sane tales characteres in vaticinio indicantur, qui nulli alii, quam Messiae convenire possunt. Inepte sane a *Grotio* Zorobabeli vaticinium applicatur, qui nunquam regia potestate insignitus fuit, et Iehova nec appellatus est, nec appellari potest.

4. *Baruch* III, 36, etc. inquit: *Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinae, et tradidit illam Iacob puero suo, et Israël dilecto suo. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Nemo dubitare potest, sermonem hic esse de vero summo Deo, cui nullus alius aequalis aestimari potest. Hic idem, qui per Moysen in monte Sinai legem suam Israëlitis dedit, et per prophetas *viam disciplinae* revelavit, postmodum *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est:* quod certe solummodo de Messia, qui est *Emmanuel*, seu *Deus nobiscum* intelligi potest. Nam naturaliter per omnipotentiam et beneficentiam suam, atque moraliter per suos legatos Deus etiam in veteri lege cum hominibus conversatus est.

5. *Michaeas* V, 2 locum nativitatis Messiae praenuntians dicit: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, et egres-*

(1) Is. 9, 6. (2) Is. 25, 9.
(3) Is. 35, 4 etc. (4) Ibid. v. 2.
(5) Matth. 11, 4-5. (6) Ier. 23, 5, etc.
(7) Dem. ev. prop. 7 n. 16.

Digitized by Google

sus eius ab initio, a diebus aeternitatis. Locum istum veteres Iudaei de Messia exposuerunt, atque ideo tempore Christi firma erat eorum persuasio, quod Messias Bethlehemi nasciturus sit, uti contestantur Evangelistae(1). Michaeas autem, sicut loquitur de nativitate Messiae temporali, Bethlehemi futura, sic contestatur etiam generationem eius aeternam: aeternitatem vero Messiae attribuens, profitetur eiusdem divinitatem.

6. *Daniel* VII, 13-14 Messiam, quem *in visione noctis* aspiciebat, praenuntians dicit: *Ecce cum nubibus coeli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit: et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient; potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur: et regnum eius, quod non corrumpetur.* Messias hic in natura humana ut filius hominis venturus praenuntiatur; eidem autem etiam summa et aeterna potestas attribuitur, atque additur: *Omnes populi* etc. *ipsi servient*, et sic divina eius natura praedicatur; *Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (2).

Nota 1. Loca allata directe ad Messiam spectant, ipsiusque i. e. Christi divinitatem probant. Loca alia citari possunt, in quibus Filius Dei ab aeterno genitus, tanquam persona divina a Patre distincta proponitur. Sapientia divina ita de se loquens dicit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio* (3): *Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret* (4). *Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram...*(5). *Ante colles ego parturiebar* (6). *Quando praeparabat coelos, aderam...*(7). *Cum eo eram cuncta componens* (8). Sapientiae hoc loco omnes characteres verae personae tribuuntur, et quidem personae a prima persona distinctae; ideo enim dicitur: *Dominus possedit me*, i. e. genuit me; id enim vox *possedit* in Scriptura exprimit, uti Gen. IV, 1 Eva inquit: *Possedi hominem per Deum*, vers. autem 24 et 25 expressis verbis concepta et partu edita dicitur. De persona autem divina sermonem esse, exinde patet, quia ipsi aeternitas, et omnium rerum creatio et ordinatio adscribitur. Sapientia ergo, de qua hic sermo est, non est nisi ipse Filius Dei, secunda Trinitatis persona. Neque dici potest, Salomonem citato loco inducere sapientiam loquentem per figuram prosopopeiae, quomodo solent personae loqui, tametsi verae non sint personae. Praeterquamquod enim tales figurae in libris doctrinalibus vix occurrere soleant, intelligi etiam non potest, cur in figura prosopopeiae personarum distinctio occurrat, seu cur sapientia, quae ut attributum est ipsa essentia divina, dicatur a Domino possideri, ab ipso concepta, partu edita, ipsi adesse, cum eo componere, coram eo ludere etc. Accedit, quod idem auctor Prov. XXX, 4 expresse de *Filio Dei* mentionem faciat dicens: *Quod nomen est eius, et quod nomen Filii eius, si nosti?* Similia occurrunt Eccli. cap. 1, in quo dicitur, v. 1: *Omnis Sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante aevum*, v. 3: *Sapientiam Dei praecedentem omnia quis investigavit?* v. 5: *Fons sapientiae Verbum Dei in excelsis, et in-*

(1) Matth. 2, 6 etc. Io. 7, 42.
(2) Matth. 4, 10.
(3) Prov. 8, 22.
(4) Ibid. v. 23.
(5) Ibid. v. 24.
(6) Ibid. v. 25.
(7) Ibid. v. 27.
(8) Ibid. v. 30.

gressus illius mandata aeterna. Ibidem cap. XXIV ipsa Sapientia dicit, v. 5: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*, v. 6: *Ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram*, v. 7: *Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis*, etc. Ecclesiasticum autem per sapientiam intelligere personam a Patre distinctam, seu Filium Dei, patet ex eo, quia cap. LI, v. 14 dicit: *Invocavi Dominum Patrem Domini mei*, quibus verbis vir sanctus, et in lege versatissimus Dominum invocat Patrem alicuius Filii, quem pariter vocat Dominum suum, respiciens utique ad illa verba Ps. CIX, 1: *Dixit Dominus Domino meo.* Huc etiam referri merentur, quae in libro Sapientiae cap. VII leguntur: ibi enim de sapientia dicitur, v. 25: *Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera*, v. 26: *Candor est enim lucis aeternae, et speculum sine macula maiestatis Dei, et imago bonitatis illius:* quibus verbis sapientia distinguitur ab eo, cuius est vapor, emanatio, candor, speculum et imago: sed tamen haec de sapientia, quae in creaturis apparet, aut hominibus communicatur, intelligi non possunt, quia sapientia, de qua v. 25 et 26 sermo est, distinguitur a sapientia creata, vel communicata, ut causa ab effectu: immediate enim de illa sapientia subiungitur, v. 27: *Et cum sit una, omnia potest; et in se permanens omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei, et prophetas constituit.* Ergo per sapientiam etiam hic Filius Dei, a Patre genitus est intelligendus.

Nota 2. Sociniani omnia loca impugnant, quae ad probandam divinitatem Messiae citantur, eaque vel aliis applicant, vel ita contorquent, ut nullum pro divinitate Christi argumentum erui possit. Sed ipsis omnia ea opponi possunt, quae in Theologia generali (§ 113) de vaticiniis messianis dicta sunt. Pleraque loca a nobis citata iam veteres Iudaei de Messia exposuerunt, quod, teste *Huetio* (1), multi ex recentioribus Rabbinis non diffitentur. Si vaticinia ad Messiam spectantia alteri adplicantur, maximae difficultates et absurditates sequuntur, quia ubique talia occurrunt, quae non aliis quam Messiae applicari possunt. — Singillatim ad impias et captiosas Socinianorum cavillationes responderunt, illasque contriverunt Cl. *Bossuet* (2), *Tournely* (3), *Berti* (4).

(1) Dem. ev. Prop. 7. (2) In adnotat.
(3) De Trin. q. 4, a. 2, sect. 2 et 3.

II. *Argumenta ex novo Testamento deprompta.*

§ 80. Persona, cui in sacris N. T. libris *nomina divina*, *attributa divina*, *opera divina*, et *cultus divinus* adscribuntur, absque dubio est persona divina, seu verus Deus; secus enim ipsa Scriptura sacra de errore et falsitate arguenda esset. Atqui Iesu Christo illa omnia in Ss. N. T. libris adscribuntur: ergo Iesus Christus est persona divina et verus Deus. — Propositio maior certa est ex infallibili S. Scripturae auctoritate, quae in Theol. gen. (§ 174 etc.) probata fuit. Propositio minor hic per partes probatur.

A. *Christus divinis nominibus insignitur.*

§ 81. 1. S. Ioannes in primo Evangelii sui capite loquitur de *Verbo*, per quod Christum intelligi apparet ex v. 14, ubi dicit: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus glo-*

(4) L. 7, c. 10.

riam eius, etc. Sed Verbum a Ioanne Deus appellatur: postquam enim dixisset, Verbum in principio fuisse, et apud Deum fuisse, statim addit: *Et Deus erat Verbum*, qua in propositione *Verbum* est subiectum, et *Deus* est praedicatum; Verbum namque id erat, de quo disserere constituerat Apostolus. Verbum ergo dicitur *Deus*. Neque dicere fas est, Apostolum hic in sensu latiori, aut improprio hanc vocem adhibere; in confesso enim est apud omnes, vocem *Deus* in sensu proprio accipi in propositione immediate praecedenti: *et Verbum erat apud Deum:* quomodo ergo praesumi potest, Ioannem eodem quasi halitu idem vocabulum et proprie et improprie sumpsisse? id a candore scriptoris ingenui penitus abhorret. Dein Gnostici, contra quos Ioannes suum Evangelium scripsit, logum, seu Verbum in latiori significatu Deum esse non negarunt: si ergo Apostolus in oppositione ad eorum sententiam Verbum Deum appellat, confitendum est, de vero proprieque dicto Deo sermonem esse. His adde, in N. T. fere non accipi *Dei* vocabulum nisi pro uno, vero, supremoque Deo, nisi aliunde significationis impropriae ratio colligatur. — Denique S. Ioannes in alio loco manifeste Christum Deum appellat, dicens: *Scimus, quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus, et vita aeterna* (1). His verbis verum et summum Deum designari, ipsi Sociniani fatentur; sed pronomen *hic* ad Deum Patrem referendum esse dicunt: ast perperam; nam pronomen *hic* semper refertur ad eum, de quo proxime sermo habetur, praecipue autem in citato textu; nam si ad prius substantivum referatur, absurda foret S. Ioannis oratio: praedicatum quippe et subiectum idem omnino significarent, et sensus esset: hic verus Deus est verus Deus, quae sententia identica foret et nugatoria. Ideo iam *S. Athanasius* egregie observavit: « Sicut Christus de Patre dixit: *Haec est vita aeterna ut cognoscant te solum verum Deum* (2); ita Ioannes de Filio dicit: *Hic est Deus verus, et vita aeterna* » (3).

2. Paulus laudat V. T. patres, *ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen* (4). — Christus hic dicitur *Deus*, praefixo articulo emphatico ὁ; dicitur Deus *super omnia*, i. e. summus, quo sensu legitur: *Unus Deus, et Pater omnium, qui est super omnes* (5); dicitur *Deus benedictus in saecula*, quod encomium soli vero, ac summo Deo tribuendum est, ut constat ex verbis Apostoli: *Servierunt creaturae potius, quam Creatori, qui est benedictus in saecula* (6). Hoc vero encomium ad Christum referri, ex ipso contextu apparet. Enarrat enim Apostolus varias Israëlitarum praerogativas, quorum, inquit, *adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa* (7); versiculo autem sequenti commemorat id, quod populi illius ornamentum singulare fuit, nimirum nativitatem Messiae secundum carnem ex Iudaeis, qui summa dignitate pollet, quia est *super omnia Deus benedictus in saeculu.* Frustra etiam clamitant nonnulli, vocem Θεός, Deus intrusam esse, quia non in omnibus codicibus invenitur. Nam celeberrimi Critici hanc vocem in omnibus codicibus, paucissimis exceptis, invenerunt; eadem habetur in

(1) 1 Ep. 5, 20. (2) Io. 17, 3.
(3) 1 Ep. 5, 2. — Disp. adv. Arium.

(4) Rom. 9, 5. (5) Eph. 4, 6.
(6) Rom. 1, 25. (7) Rom. 9, 4.

Digitized by Google

versionibus Arabica, Syriaca, Aethiopica aliisque, eamque etiam legerunt Patres *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Origenes*, *Athanasius*, *Gregorius Nyss.*, *Marius Victorinus*, *Hilarius*, *Ambrosius*, *Augustinus* aliique (1). Demum mutationes syntaxis, vel interpunctionum, quibus adversarii argumenti vim infringere studuerunt, non sunt nisi signa desperatae causae. Accedit, quod Paulus non in isto tantum textu, sed in multis aliis locis Christum Deum appellet; Episcopos Ephesi collectos ita alloquitur: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (2): hic Deus, qui Ecclesiam acquisivit sanguine suo, non potest esse alius quam Christus. Idem Apostolus repetitis vicibus ait: *Ut doctrinam Salvatoris nostri Dei, ornent in omnibus* (3): *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri...* (4): *Expectantes... adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi* (5). Expectabant autem Christiani adventum non Dei *Patris*, sed *Iesu Christi:* hunc ergo Paulus magnum Deum vocat (6).

3. Thomas Apostolus, qui aliquamdiu incredulus fuerat, cum Iesum redivivum videret, eiusque vulnera palparet, *dixit ei*, *Dominus meus*, *et Deus meus* (7); Christum ergo Dominum, et Deum nominat, et haec confessio non solum non redarguitur, sed approbatur ab ipso Christo dicente: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt et crediderunt.* Errant etiam Sociniani, dum dicunt, verba Thomae non ad Christum dirigi, sed ad Deum Patrem per exclamationem admirantis referri, sicut homines inexspectata videntes, dicere solent: Deus meus, quid video! Nam in graeco non legitur particula ὦ, quae exclamantis et admirantis nota est, sed simpliciter articulus ὁ; unde etiam in Vulgata non dicitur: *Domine mi* etc., sed *Dominus meus* etc. Praeterea quae praecedunt et sequuntur sensum, illum exigunt, quem nos adstruimus, et quem Patres et Interpretes communi consensu illis verbis tribuunt. Verba enim Thomae ad eum referenda sunt, quem videbat, quem palpabat, quem alloquebatur, quia expressis verbis dicitur: *Respondit Thomas et dixit ei;* nimirum Christo, qui coram ipso stabat. Dein Christus laudat fidem, quam Thomas recuperavit et professus est, sed non fidem in Deum Patrem existentem, sed fidem in divinitatem Christi amiserat, et videndo ac tangendo vulnera recuperavit et professus est, et beati dicuntur, non qui Deum Patrem non viderunt et crediderunt, sed qui Christum redivivum non ad instar Thomae viderunt, sed tamen Dominum et Deum esse crediderunt.

4. Quamvis in Evangeliis non legatur Christum semetipsum Deum appellasse, alia tamen multa, quae idem innuunt, de se pronuntiavit, seque *Filium Dei* nominans divinitatem suam satis clare professus est. Praecipuum autem et maxime decretorium testimonium est illud, quod de se ipso Christus edidit, cum in concilio staret sacerdotum et seniorum. Id unum in isto concilio agebatur, ut causa mortis inveniretur adversus Iesum, et cum convenientia testimonia non essent, surgens Caiphas summus sacerdos, in medium cum auctoritate supremi iudicis Iesum interrogavit, adiurans eum per Deum vivum *et dixit ei: Tu*

(1) V. Klüpfel. l. 1 § 28, not. 2.
(2) Act. 20, 28.
(3) Tit. 2, 10.
(4) Ibid. v. 11.
(5) Ibid. v. 13.
(6) Cf. Dobmayr § 68 n. 6.
(7) Io 20, 28.

Digitized by Google

es Christus Filius Dei benedicti (1)? Iesus autem absque omni verborum ambiguitate, clare et definite respondit: *Ego sum*. Christus ergo palam professus est, se esse Filium Dei, non adoptivum, sed naturalem, ita ut cum Patre sit unus Deus, quod patet ex verbis, quae immediate adiungit dicens: *et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus coeli:* quae verba absona essent, si Christus se solummodo ad instar hominum iustorum, aut ad instar Prophetarum Filium Dei appellasset. Ipsi Iudaei probe intellexerunt, Christum se non Filium Dei adoptivum, sed Filium Dei naturalem, et idcirco verum Deum appellasse, alias Caiphas non dixisset: *Blasphemavit.... audistis blasphemiam;* nec Iudaei clamassent: *Reus est mortis* (2); nam ipsi Iudaei se filios Dei adoptivos profitebantur; dicebant enim: *Unum Patrem habemus Deum* (3). Iudaei ergo Christum blasphemum et reum mortis declararunt, quia, ut alia occasione dixerunt (4), seipsum faciebat Deum. Et tamen Christus non diluit hanc accusationem, sed eam tanquam veram admisit, et ita adprobavit, ut pro eadem confessione etiam mori voluerit.

5. Frequentissime Iesus Christus in N. T. *Dominus* nuncupatur (5). Eruditi observant hunc titulum, *Dominus*, in scriptis Apostolorum simpliciter, et absolute mille vicibus Christo tribui. — Notandum vero est, vocem *Dominus*, quando absolute ponitur, et apud Graecos κύριος cum articulo ὁ idem esse ac Deum. Imo Septuaginta qui Θεός ponunt pro hebraeo *Eloah*, gloriosum nomen *Iehova*, quamquam maxime Deo proprium est, fere semper per κύριος, i. e. Dominus interpretantur. Hinc *S. Chrysostomus* (6) dicit: « Nec enim Deus nomen maius, quam Dominus esse, nec Dominus minus quam Deus patet in V. Testamento. » Sic cum psalmista de veri, et summi Dei maiestate, et potentia locutus esset addit: *Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus: tu solus altissimus in omni terra* (7). Unde et illud consequitur, divinam, aeternamque Christi originem evidenter probari ex eo, quod illi in N. T. nomen κύριος quasi proprium tribuatur. Illud enim nomen Apostoli ex graeca V. T. interpretatione habuerunt, in qua idem ac hebraeum Iehova significat. Accedit et illud, neminem olim Dominum vocatum fuisse apud Romanos. *Svetonius* narrat, Imperatorem *Augustum*, cum ab actore quodam scenico Dominus appellatus fuisset, et omnis multitudo hac insolita compellatione commota oculos in eum intendisset; prohibuisse, ne unquam hoc nomine vocaretur. Postmodum usus per assentationem invaluit, ut imperatores quemadmodum Dii, ita etiam Domini dicerentur: sic *Martialis Domitiani* adulator eum vocat Dominum, Deumque nostrum (8).

B. *De Christo attributa divina praedicantur.*

§ 82. Attributa divina ab essentia Dei realiter non distinguuntur (§ 16): illi ergo qui habet essentiam, substantiam, seu naturam divinam, insunt etiam omnia attributa divina: sicut pariter, de quo vel unum attributum divinum praedicatur, eidem etiam essentiam divinam competere necesse est.

(1) Matth. 26, 63. — Marc. 14, 61.
(2) Matth. 26, 65-66. (3) Io. 8, 41.
(4) Io. 10, 33.
(5) Rom. 1, 4; 1 Cor. 1, 3; 2 Cor. 1, 2; Gal. 1, 3; Eph. 1, 2 etc.; 1 Petr. 1, 3 etc.
(6) Hom. 5 de incompr. nat. Dei.
(7) Ps. 82, 19.
(8) Cf. Liebermann n. 4, ad l. 2.

Digitized by Google

I. Iesus Christus sibi unam cum Patre essentiam, seu naturam attribuit. Serio requisitus a Iudaeis quis esset, respondit: *Ego, et Pater unum sumus*(1): quibus verbis se a Patre distinguit quoad personalitatem, et se cum Patre unum dicit quoad essentiam: ideo *S. Augustinus* (2) scribit: « Quod ait: *unum*, audiant Ariani; quod ait; *sumus*, audiant Sabelliani; et nec illi aequalem, nec isti alterum negando sint vani. » Ipsi Iudaei verba Christi de naturae, seu essentiae unitate et aequalitate intellexerunt; quapropter ira inflammati Christum lapidare voluerunt, dicentes: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: et quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum* (3). Iudaei, ait *S. Augustinus*, hoc caput Ioannis explicans, « intellexerunt, quod non intelligunt Ariani: ideo enim irati sunt, quoniam senserunt, non posse dici: *Ego, et Pater unum sumus*, nisi ubi aequalitas est Patris et Filii. » Christus autem Iudaeos a sua opinione adeo non deterret, ut eamdem sententiam magis confirmet; addit enim: *ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre* (4). Similia et in aliis locis occurrunt, ab ipso Christo prolata. Sic Iesus ait: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem... Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est* (5)? Et inquit: *Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt* (6). Atqui Pater habet divinam essentiam, ergo et Christus; unde *S. Augustinus* (7) dicit: « Nihil Patre minus habet ille, qui dicit: *Omnia, quae habet Pater, mea sunt:* aequalis est igitur. » Eiusdem se esse cum Patre substantiae luculenter declarat, hisce verbis Patrem alloquens: *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt* (8). His perceptis, quis dubitabit, communem sibi cum Patre Filium habere naturam? Idem testatur S. Ioannes, dicens: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (9) ubi Christus dicitur esse *in sinu Patris*, i. e. in essentia Patris (10), et dicitur *unigenitus Filius*, ut ab illis distinguatur, qui per gratiam adoptionis, seu per charitatem Deo coniunguntur. Idem claris verbis enuntiat Paulus de Christo, scribens: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo* (11): forma Dei est ipsa Dei natura, quemadmodum humana natura per ea, quae sequuntur exprimitur: *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (12). Et de Christo ait: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (13). Nullum hic verbum occurrit, quod ponđus et momentum non habeat ad probandam divinam Christi naturam et essentiam; nam dicitur *plenitudo divinitatis*, non derivata portio, non aliqua dumtaxat participatio, quae vel in gratia, vel in miraculis, vel in munere etc., posita sit, sed *plenitudo*, i. e. totalitas divinitatis: praeterea dicitur *inhabitat*, non assistit extrinsecus, non morali quadam unione, ut docuit Nestorius, sed inhabitat, i. e. intrinsecus inhaeret; et quidem *corporaliter*, hoc est, per veram, physicam et hypostaticam unionem, per quam *Verbum caro factum est*.

2. Varia attributa divina de Christo in specie praedicantur. Nimirum Christo tribuitur *aeternitas*: *In principio erat Verbum* (14); principium est initium temporis; tempus autem incepit, quando creaturae ortae sunt: in hoc autem principio non factum

(1) Io. 10, 30. (2) Serm. 56 de verb. Dom.
(3) Io. 10, 31 et 33. (4) Ibid. v. 38.
(5) Io. 14, 9 etc. (6) Io. 16, 15.
(7) L. 1, c. Maximin. c. 11.
(8) Io. 17, 10. (9) Io. 1, 18.
(10) Cf. Ps. 109, 3. (11) Phil. 2, 6.
(12) Ibid. v. 7. (13) Col. 2, 9.
(14) Io. 1, 1.

est Verbum, sed iam *erat*; ergo tempus excedit, utpote aeternum. Ideo *Nonnus* (1) exponens textum Ioannis, *In principio*, vocat Verbum ἄχρονος, sine initio temporis. Profitetur praeterea Christus ipse, fuisse se ante mundi constitutionem; ait enim: *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te* (2). Haec autem phrasis, *Priusquam mundus esset*, vel *ante mundi constitutionem*, familiari loquendi modo Scriptoribus sacris usitato aeternitatem denotat, quandoquidem ante mundum conditum praeter Deum nihil fuerit. Ita sane aeternitas Dei exprimitur Ps. LXXXIX, v 2: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, et orbis; a saeculo, et usque in saeculum tu es Deus:* idemque colligitur ex Eph. 1, 4: *Sicut (Deus) elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*: quibus verbis aeternum electionis decretum significatur. Decreta autem Dei omnia aeterna sunt, et etiam mundi constitutio in Deo ab aeterno decreta fuit, sed non ab aeterno executioni mandata: si ergo Christus claritatem sibi attribuit, priusquam mundus esset, id necessario non de claritate in decreto, sed de claritate actu ab aeterno habita intelligendum est; quod etiam confirmatur ex verbis Christi in eodem capite dicentis: *Ut videat claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi* (3). Aeternitas Christo etiam tribuitur in Apoc. I, 17, ubi dicitur: *Primus, et novissimus:* iisdem enim verbis summi Dei aeternitas exprimitur Is. XLI, 4. *Primus* autem nullus dici potest, qui a Deo factus initium habuit: si ergo Christus est *primus, et novissimus*, dubio caret, attributum aeternitatis Christo competere eumque verum Deum esse, cum nemo aeternus sit, nisi solus Deus.

3. Iesu Christo tribuitur *omniscientia*. Ipse etenim libere, et contingenter futura praevidit et praenuntiavit (v. Th. gen. § 136 etc.). Cognoscit etiam cogitationes hominum; legitur enim: *Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum:* Luc. VI, 8: *Ipse sciebat cogitationes eorum* (4): unde Christus dicit: *Ego sum scrutans renes et corda: et dabo unicuique vestrum secundum opera sua* (5). Cuncta quoque arcana divinitatis mysteria Christus perspicit; ait enim: *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei* (6). *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius* (7) *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem* (8); iuxta quae verba Christus Patrem comprehendit, sicuti a Patre comprehenditur; divina, seu infinita ipsi idcirco scientia tribuitur, quia Deus infinitus a nullo spiritu finito comprehendi potest. Christum omniscium proclamarunt Apostoli dicentes: *Nunc scimus, quia scis omnia* (9): et Petrus ait: *Domine, tu omnia nosti* (10). Paulus de Christo scribit: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi* (11).

4. Christum *immensum* esse, colligitur ex Io. III, 13: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo.* In terris erat, cum haec dicebat Christus, et tamen declarat se in coelo etiam esse. Aberrat procul dubio Socinus, dum tempus praesens exponit per praeteritum, ut sensus sit: *Filius hominis de coelo descendit, et in coelo fuit*: repu-

(1) In sua Metaph. (2) Io. 17, 5. (3) Ioan. 17, 24. (4) Matth. 9, 4. (5) Apoc. 2, 23. (6) Io. 5, 20.

(7) Matth. 11, 27. (8) Io. 10, 15. (9) Io. 16, 30. (10) Io. 21, 17. (11) Col. 2, 3.

gnant etenim verba Christi ὁ ὢν i. e. existens in coelo, quibus aperte demonstratur, Christum in coelo esse, quo puncto temporis loquebatur. *Immutabilitas* Christo adscribitur Hebr. I, 10 etc. ubi ipsi verba Ps. CI, 26 applicantur: *Opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent... tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Ipsa *Veritas* solus Deus dici potest (Th. gen. § 34). Sed Christus ait: *Ego sum via, et veritas; et vita* (1). Eodem modo solus Deus ipsa vita dici potest, quia ipsi soli competit a se, et per essentiam vivere (§ 27). Christus ergo *se vitam* appellans attributum sibi vindicat divinum. In eodem sensu S. Ioannes scribit: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae: et vita manifestata est, et vidimus et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis* (2).

5. Summa Christi *maiestas, et excellentia* variis modis in S. Scriptura praedicatur. Ioannes Bapt. de Christo ait: *Qui de coelo venit, super omnes est* (3). Paulus inquit: *Deus novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula. Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis* (4). In eadem Epistola Christus praedicatur praestantior Prophetis (5), Moyse (6). Sacerdotibus V. T. (7), ipsis Angelis (8), et dicitur *excelsior coelis factus* (9). Idem Apostolus vocat Christum *Dominum gloriae* (10), et supereminentis magnitudinis virtute praeditum in nos, constitutum ad dexteram Dei *in coelestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro, et omnia subiecit sub pedibus eius* (11). Apoc. XIX, 16 de Christo dicitur: *Et habet in vestimento, et in femore suo scriptum: Rex Regum, et Dominus Dominantium.* Tam magnifica autem de solo summo Deo recte praedicantur.

C. Christo opera divina attribuuntur.

§ 83. 1. Opus divinum est *creatio;* haec enim (12) Deo adscribitur, et Deus ipse dicit: *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum* (13). Sed omnium rerum creatio etiam Christo adscribitur; nam Io. I, 3 dicitur de Verbo, i. e. de Christo: *Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est;* et v. 10, *mundus per ipsum factus est.* Paulus de Christo ait: *In ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt* (14). Non poterat Apostolus verbis apertioribus, et significantioribus Christum tum mundi visibilis, tum mundi invisibilis, i. e. Angelorum Creatorem appellare. Idem dicit: *Deus... locutus est nobis in Filio... per quem fecit et saecula* (15), et Deus Pater ad Filium suum dicit: *Tu in principio, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt*

(1) Io. 14, 6. (2) 1 Ep. 1, 1-2. (3) Io. 3, 31. (4) Hebr. 1, 1 etc. (5) C. 1, v. 1 etc. (6) C. 3, v. 5 etc. (7) C. 7 et c. 9. (8) Hebr. 1, 4 etc.

(9) C. 7, v. 26. (10) 1 Cor. 2, 8. (11) Eph. 1, 19 etc. (12) Gen. 1, 1. (13) Is. 44, 24. (14) Col. 1, 16. (15) Hebr. 1, 2.

Digitized by Google

coeli (1), quod Ps. CI, v. 26 certe de uno, vero et summo Deo dictum fuit.

2. Opus divinum est totius Universi *conservatio;* dicitur enim: *non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus* (2). Sed illa sicut Deo Patri, ita etiam Iesu Christo adscribitur. Cum enim Iudaei occasione patrati miraculi de violatione Sabbati conquererentur, Iesus respondit: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (3), i. e. ego, et Pater meus pleno dominio, quod legi Sabbati adstrictum non est, mundum ab exordio regimus: opus ergo, quod unum cum Patre feci, reprehendi non potest. Hunc esse verborum Iesu sensum ex contextu apparet; nam ait: *propterea ergo magis quaerebant eum Iudaei interficere: quia non solum solvebat Sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo* (4); quam tamen offensionem Iesus adeo non tollit, ut potius dicta sua confirmans addat: *Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecunque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit* (5). Omnium conservationem Christo adscribit etiam Paulus, dicens: *Ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* (6); ac *portansque omnia verbo virtutis suae* (7).

3. Opus divinum est *patratio miraculorum;* dicitur enim Ps. LXXI, 18, *Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus.* Ideo Moyses, Prophetae aliique Sancti miracula, quae patrarunt, non propriae sed divinae virtuti adscripserunt. Christus autem propria virtute miracula patravit. Leproso dixit: *Volo, Mundare* (8); defunctae Iairi filiae acclamavit: *Puella (tibi dico), surge* (9). Imo Christus aperte profitetur: *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat* (10); ex verbis: *sicut Pater;* item: *quos vult* evidenter elucet, Christum virtute propria, non aliena, ut Apostoli aliique Sancti, miracula edidisse. Imo resurrectionem, quae omnium miraculorum praecipuum est, expressis verbis Christus sibi attribuit: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.... ille autem dicebat de templo corporis sui* (11); et: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam* (12). Sicut Prophetae, invocato nomine Dei, ita Apostoli, invocato nomine Iesu, miracula patrabant: Petrus claudo dixit: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, et ambula* (13); et restitutam illi sanitatem non propriae virtuti et potestati, sed Iesu Christo adscribit, coram Iudaeis dicens: *Hunc, quem vos vidistis, et nostis, confirmavit nomen eius* etc. (14). Idem Apostolorum Princeps paralytico dixit: *Aenea, sanat te Dominus Iesus Christus: surge, et sterne tibi. Et continuo surrexit* (15).

4. Opus divinum est *remissio peccatorum;* ad offensum enim spectat offensas remittere: ideo Deus ipse ait: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas* (16). Et legitur: *Unus est Deus, qui iustificat* (17). Verum Iesus Christus propria auctoritate peccata remittit; ait paralytico: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* (18); et cum ideo de blasphemia ob arrogatam sibi divinam potestatem a Iudaeis argueretur, Christus Iudaeis respondens: *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade* (19)

(1) Ibid. v. 10. (2) Sap. 12, 13. (3) Io. 5, 17. (4) Ibid. v. 18. (5) Ibid. v. 19. (6) Col. 1, 17. (7) Hebr. 1, 3. (8) Matth. 8, 3. (9) Marc. 5, 41. (10) Io. 5, 21.

(11) Io. 2, 19 etc. (12) Io. 10, 17. (13) Act. 3, 6. (14) Ibid. v. 16. (15) Act. 9, 34. (16) Is. 43, 25. (17) Rom. 3, 30. (18) Matth. 9, 2. (19) Ib. v. 6.

Digitized by Google

etc. Petrus de Christo ait: *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum* (1).

5. Opus divinum est *iudicium universale*, quod summo ac vero Deo in V. T. (2) adscribitur. Sed in N. T. satis clare Christus ut Iudex supremus pronuntiatur. Nam Iesus ait: *Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio* (3). *Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae; et congregabuntur ante eum omnes gentes* (4) etc. Petrus de Christo ait: *Ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum, et mortuorum* (5). Disputans cum Atheniensibus Paulus inquit: Deus *statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in aequitate, in viro, in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis*, i. e. *in Iesu Christo* (6): *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi* (7).

6. Denique opus divinum est *hominum glorificatio*, seu *beatitudinis aeternae elargitio*, iuxta verba: *Gratiam, et gloriam dabit Dominus* (8). Sed aeternae beatitudinis elargitio Iesu Christo adscribitur, qui, loquens de ovibus suis, inquit: *Et ego vitam aeternam do eis: et non peribunt in aeternum* (9): Huc etiam spectant verba Christi: *Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die*(10): sermo hic est de resuscitatione ad gloriam, et haec adscribitur Christo.

(1) Act. 10, 43.
(2) Ps. 95, 13, Ps. 97, 9, et alibi.
(3) Io. 5, 22. (4) Matth. 25, 31-32.
(5) Act. 10, 42. (6) Act. 17, 31.
(7) Rom. 14, 10.—Cf. 2 Cor. 5, 10. Apoc. 1, 18.
(8) Ps. 83 12. (9) Io. 10, 28.

D. *Christo attribuitur cultus divinus.*

§ 84. Quod soli Deo cultus latriae debeatur, seu quod nemo praeter unum verum Deum honore divino colendus sit, S. Scriptura tum V. tum N. T, innumeris in locis docet. Deut. VI, 13, X, 20 hoc primum ac summum praeceptum, imponitur Luc. IV, 8: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. Idem repetitur Matth. IV, 10. Is. XLII, 8 Deus ait: *Gloriam meam alteri non dabo*. Neque propter intimam cum Deo coniunctionem Sanctis, aut Angelis cultus latriae impendi potest. Ideo cum Lystrenses Paulum et Barnabam adorare vellent, constanter hunc a se cultum refugerunt Apostolis dicentes: *Viri, quid haec facitis? et nos mortales sumus, similes vobis homines* (11). Angelus pariter adorationem sibi a Ioanne delatam indignatus recusavit, dicens: *Vide, ne feceris: conservus tuus sum* (12) etc. Sed cultus latriae, soli Deo debitus, etiam Iesu Christo adscribitur.

1. Io. V, 22 etc. dicitur: *Pater.... omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem:* idem ergo cultus, qui Patri exhibetur, etiam Filio, i. e. Christo est exhibendus: sed Patri exhibendus est honor divinus, seu cultus latriae, ergo et Christo. Non solum ab hominibus, sed etiam ab Angelis Christus adorandus dicitur: *Adorent eum omnes Angeli Dei* (13). Ideo Paulus scribit: *In nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum* (14); per hanc vero genuflexionem summum latriae cultum intelligi patet ex Is. XLV, 23-24, ubi Deus

(10) Io. 6, 40 (11) Act. 14, 14.
(12) Apoc. 19, 10. (13) Hebr. 1, 6.
(14) Phil. 2, 10.

Digitized by Google

ipse dicit: *In memetipso iuravi..... mihi curvabitur omne genu.* Summus latriae cultus Iesu Christo etiam adscribitur Apoc. V, 11 etc. ubi S. Ioannes scribit: *Audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum: et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. Et omnem creaturam, quae in coelo est, et super terram, et sub terra, et quae sunt in mari, et quae in eo: omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in saecula saeculorum.*

2. Praecipui cultus latriae actus sunt fides, spes et charitas, quae virtutes etiam theologicae nuncupantur, quia Deum immediate pro obiecto habent. Easdem vero erga Christum exercere oportet. Nam Christus dicit: *Creditis in Deum, et in me credite* (1); eadem ergo fides, quae in Deum est habenda, etiam in Christum est habenda. — In Christum etiam sperandum est; nam legitur: *Et in nomine eius gentes sperabunt* (2). *Paulus Apostolus Iesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Iesu spei nostrae* (3). Ps. LXXXIII, 13 *beatus* dicitur, qui *sperat* in eum: porro Ierem. XVII, 5 *maledictus homo* dicitur, *qui confidit in homine;* Christus igitur, in quo confidimus, Deus est factus homo. Amor Iesu Christi non solum maxime proficuus, sed et ad salutem necessarius declaratur. Christus ipse ait: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (4). *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema* (5).

3. Teste S. Scriptura, Apostoli et primi Fideles etiam practice fidem suam de divinitate Iesu Christi ostenderunt, cultum latriae ipsi exhibentes. Magi ab Oriente venientes *invenerunt puerum cum Maria, matre eius, et procidentes adoraverunt eum* (6). Caecum a nativitate, qui per stupendum miraculum lumen oculorum obtinuit, Christus interrogavit: *Tu credis in Filium Dei* (7)? *At ille ait: Credo, Domine, et procidens adoravit eum* (8). Petrus concludit secundam suam Epistolam his verbis: *Crescite vero in gratia, et in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Iesu Christi. Ipsi gloria et nunc, et in diem aeternitatis* (9): plus de ipso *Iehova* non potuit dicere. Paulus per Christum iurat, dicens: *Veritatem dico in Christo* (10), i. e. teste Christo, et iudice, *non mentior*, cum tamen iuxta Deut. VI, 13, per solum Deum verum iurare liceat. Idem Apostolus tali erga Christum charitate inflammatus erat, ut pro eo omnes aerumnas, et ipsam mortem sustinere non dubitaverit, dicens: *Quis nos separabit a charitate Christi* (11)? etc. Apostoli ante electionem Matthiae Christum invocant: *Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum* (12). Stephanus lapidibus obrutus exclamat: *Domine Iesu, suscipe spiritum meum* (13) et: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (14). Ananias ad Christum, qui illi in visu apparuit, ait: *Domine, audivi a multis de viro hoc* (Saulo)... *hic habet potestatem a principibus sa-*

(1) Io. 14, 1. (2) Matth. 12, 21.
(3) 1 Tim. 1, 1. (4) Io. 14, 23.
(5) 1 Cor. 16, 22. (6) Matth. 2, 11.
(7) Io. 9, v. 35. (8) Ibid. v. 38.

(9) 2 Ep. 3, 18. (10) Rom. 9, 1.
(11) Rom. 8, 35. (12) Act. 1, 24.
(13) Act. 7, 58. (14) Ibid. v. 59.

Digitized by Google

cerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum (1); primi ergo Fideles invocabant nomen Iesu Christi, quem non solum hominem, sed et verum Deum esse crediderunt.

Ex dictis iam apertissime elucet, in S. Scriptura N. T. Iesu Christo nomina divina, attributa divina, opera divina et cultum divinum adscribi. Est ergo Iesus Christus verus Deus.

De difficultatibus
quae ab adversariis huius dogmatis moventur.

§ 85. Sicut antiquitus Ariani omnia tentarunt, ut fidem in divinitatem Iesu Christi eliminarent, ita nostris temporibus eandem Sociniani et Rationalistae iniquis cavillationibus et fallacibus sophismatibus impugnant. Ideo partim S. Scripturae loca, ad divinitatem Iesu Christi probandam allata, ita iniquis explicationibus suis contorquent, ut omnis vis dogma nostrum probandi infringatur: partim ipsi quoque ex eadem S. Scriptura contra divinitatem Iesu Christi varia loca, fallaci exegesi corrupta, in medium proferre non verentur. Ad impia eorum conamina retundenda sequentia observanda sunt. *a)* Ex hactenus dictis abunde constat, in S. Scriptura N. T. plurima loca inveniri, quae obvio ac naturali sensu intellecta divinitatem Christi enunciant; satis clare enim ipsi nomina divina, attributa divina, opera divina et cultus divinus adscribuntur. Id quodammodo ipsi adversarii practice fatentur, dum non sine magno ingenii acumine philologicas, hermeneuticas et criticas cavillationes undique congerere coguntur, ut vim argumentorum biblicorum aliquo modo declinare valeant. Si autem S. Scriptura, obvio ac naturali sensu intellecta, divinitatem Christi pronuntiat, dubitari nullo modo potest, Iesum Christum esse verum Deum. Certum enim est, quod ipsi quoque adversarii contestantur, revelationem christianam eo praecipue tendere, ut polytheismus et idololatria e mundo eliminarentur. Ast si Iesus Christus non esset verus Deus, per ipsam S. Scripturam novum polytheismi, seu idololatriae genus invectum, et plurimis ac stupendis miraculis confirmatum fuisset. Contradictio ergo in Deum ipsum refunderetur, qui per libros sua auctoritate conscriptos homines in necessarium errorem induxisset, a quo liberandi non essent, donec Socinus eiusque sequaces rectam textuum biblicorum interpretationem, ante prorsus incognitam afferrent. Quod si haec insulsa et blasphema hypothesis admitti nequit, etiam novae ac fallaces adversariorum expositiones reiiciendae sunt. *b)* Sensum verborum, in quodam libro adhibitorum, nemo melius intelligere potest, quam ipse auctor, qui illum composuit: huius ergo interpretatio cunctae philologicae, hermeneuticae et criticae eruditioni praeferenda est. Auctores autem sacrorum N. T. librorum sunt Apostoli et Evangelistae, quibus munus docendi a Christo commissum fuerat, et qui absque dubio ea, quae afflante Spiritu sancto scripserant, iis praecipue exposuerunt, quos Praesules Ecclesiarum constituerunt. Hos ergo eorumque successores, id est, Ecclesiae Traditionem prae caeteris rectae interpretationis adminiculis audire oportet, ut verus locorum biblicorum sensus intelligatur. Ecclesiae autem traditionem penitus cum nostra citatorum textuum expositione consentire, in articulo sequenti ostendetur. *c)* Impia Socinianorum et Rationalistarum conamina, quibus biblica de divinitate Christi testimonia enervare student, apertis-

(1) Act. 9, 13-14.

Digitized by Google

sime ostendunt, S. Scripturam etiam in dogmatibus principalibus, seu in articulis fundamentalibus tam claram non esse, ut, si spiritui privato exponenda relinquatur, in pravum sensum contorqueri non possit. Inde patet necessitas magisterii authentici et infallibilis, cui omnes se submittere teneantur, et cui tuto acquiescere possint. Tale magisterium nos Catholici in Ecclesia universali docente veneramur, cuius auctoritate suffulti, adversariorum fallacias facile confundimus, ita ut cum *S. Hieronymo* dicere liceat: « poteram omnes errorum rivulos uno Ecclesiae sole siccare. »

d) Ne autem videamur luctam cum adversariis reformidare, praecipuas saltem difficultates, quas propositae doctrinae opponunt, in medium proferre, et e medio tollere oportet.

Hinc 1° *obiectiones solvemus*, quibus argumenta nostra biblica enervare student, et 2° *argumenta diluemus*, quibus ipsi ex Scriptura divinitatem Christi impugnare tentant.

I. *Obiectiones contra allata argumenta biblica refelluntur.*

§ 86. Nullum extat argumentum, quod a Socinianis aliisque divinitatis Christi adversariis impugnatum non fuerit. Variae huiusmodi obiectiones iam in ipsa argumentorum expositione solutae fuerunt. Reliquas, quae alicuius momenti esse videntur, hic refellere oportet.

Obi. I. Ioannes c. I, v. 1 dicens: *In principio erat Verbum*, non designat principium mundi, sed initium praedicationis Evangelii; nam illud: *In principio* exponi debet secundum subiectam materiam, quam auctor pertractare incipit, hanc autem esse historiam evangelicae praedicationis, omnes norunt. Idem confirmatur ex locis parallelis: *Vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis* (1). *Quod fuit ab initio, quod audivimus, annunciamus vobis* (2). *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt* (3). In omnibus his locis ἐν ἀρχῇ non exprimit, nisi exordium evangelicae praedicationis. Si Ioannes aeternitatem, seu praeexistentiam Verbi indicare voluisset, dicere expresse debuisset: *In principio mundi*, vel potius *ante principium*. Simpliciter ergo Ioannes dicit: *In principio* praedicationis evangelicae erat Verbum, i. e. Christus. *Et Verbum erat apud Deum*, i. e. notum soli Deo, hominibus vero occultum, qui Christum ceu Messiam tunc non agnoscebant. *Et Deus erat Verbum*, Deus scilicet a *Iehova* factus, constitutus, sicut Moyses constitutus dicitur Deus Pharaonis: *Omnia per ipsum facta sunt;* i. e. omnes homines, quantum ad mores, per evangelii doctrinam a Christo allatam emendati sunt; nam vox: πάντα, *omnia* non semper universaliter usurpatur, sed saepe ad certa quaedam, praecipue ad homines restringitur, uti patet ex loco parallelo, in quo Christus ipse rem explicat, dicens, datam sibi esse *potestatem omnis carnis* (4), quo in loco per omnem carnem homines intelligi nemo nescit. Ergo etiam verba Ioannis, *Omnia per ipsum facta sunt*, de creatione mystica seu morali intelligi debent. Perperam itaque ex isto capite argumenta pro Divinitate Christi petuntur.

Resp. Ipse *Socinus*, sinistram hanc interpretationem prolaturus, statim in fronte sui ad cap. 1 Ioannis commentarii praemonet, « Se nova et inaudita, imo et forte multis suspecta dicturum, » qua declaratione in seipsum damnationis sententiam pro-

(1) Io. 15, 27. (2) 1 Io. 1, 1 etc. (3) Luc. 1, 2. (4) Io. 17, 2.

nuntiat; recedens enim ab antiqua et universali traditione, etiam a mente auctoris recedit. — Absurdum omnino est, citata verba Ioannis de principio evangelicae praedicationis explicare. Nam inauditum est, ut vox *principii*, quoties absolute et simpliciter in Scripturis usurpatur, aliter accipiatur, quam pro temporis initio, seu omnium rerum creatarum exordio: sed hic vox principii absolute et simpliciter ponitur, ac S. Ioannes manifeste alludit ad illa verba: *In principio creavit Deus coelum et terram* (1), ac si diceret: In principio, quando Deus creavit coelum et terram, Verbum iam erat. Praeterea in eodem sensu ἐν ἀρχῇ in aliis Scripturae locis sumitur, ut: *Ille homicida erat ab initio* (2): *Ab initio diabolus peccat* (3). *Tu in principio, Domine, terram fundasti* (4). *Fecit hominem ab initio* (5) etc.—Non negamus quidem, etiam in alio sensu idem vocabulum adhiberi, sed id ex adiecto termine, vel ex contextu dignosci debet, prouti etiam in communi vita nominamus principium anni, initium mensis, diei, actionis etc.; sub principio tamen, nude et simpliciter pronuntiato, omnium rerum, seu totius mundi initium intelligentes. Male ergo adversarii illa nobis loca opponunt, in quibus iam ex adiunctis clare apparet, de initio praedicationis evangelicae sermonem esse: haec idcirco loca nullatenus cum sententia Io. I, 1 parallela dici possunt, quamvis eadem vox in illis occurrat. Neque ex subiecta materia desumi potest, Ioannem de initio praedicationis evangelicae loqui. Huius enim historiam, teste *S. Irenaeo* aliisque, Ioannes ad hunc praecipue finem conscripsit, ut Gnosticos refelleret, qui non existentiam Christi in principio praedicationis evangelicae, sed aeternitatem ac divinitatem Verbi negarunt. Ex scopo ergo auctoris apparet, quod de principio temporis, seu de initio omnium rerum creatarum loquatur; ideo enim dicit: *In principio* non factum est, sed *erat Verbum*, et *erat apud Deum*, et *erat Deus*, et *omnia per ipsum facta sunt*. Ideo etiam necesse haud fuit, ut diceret: in principio mundi, aut ante principium, quia per ea quae addidit, aeternitatem et divinitatem Verbi, *sine quo factum est nihil quod factum est*, satis clare expressit. — A veritate etiam penitus abhorret interpretatio Socinianorum, dum dicunt verba, *Et erat apud Deum*, significare, Christum soli Deo tunc notum fuisse, cum praedicatio Evangelii inciperet: contrarium sane ex Scriptura constat; erat quippe Messias inde a nativitate sua notus Angelis, Matri Virgini, Pastoribus bethlehemiticis, Magis orientalibus, seni Simeoni, Annae prophetissae etc. Pessime quoque Sociniani dicto Ioannis, *Deus erat Verbum*, addunt *factum*, seu *constitutum*, quod in textu nullatenus legitur, et nullo modo admitti potest. Etsi enim nomen Dei rebus contingentibus aliquando tribuatur, nullus tamen in tota Scriptura locus est, quo aliquid quod non est Deus, simpliciter et absolute Deus appelletur. Ubique enim quidpiam adiicitur, quo pateat, nomen hoc improprie accipi. Nihil autem tale apud Ioannem de Verbo Dei disserentem occurrit, sed vocem *Deus* hic in sensu proprio sumendam esse, tum ipse contextus, tum plurima alia Scripturae loca ostendunt, ut iam supra demonstratum est. Ideo etiam verba: *Omnia per ipsum facta sunt*, non de emendatione hominum, sed de creatione totius Universi intel-

(1) Gen. 1 (2) Io. 8, 4. (3) 1 Io. 3, 8. (4) Hebr. 1, 10. (5) Matth. 19, 4.

ligenda sunt. Absonum enim est dicere, S. Ioannem laudasse hominum emendationem per evangelicam praedicationem productam, priusquam ipsius Verbi incarnationem v. 14 commemorasset, et de Christi praecursore v. 6 etc. verba fecisset. Accedit, quod etiam in aliis Scripturae locis non solum hominum emendatio, sed totius Universi creatio Iesu Christo adscribatur (1).

Obi. II. Per *Verbum*, de quo loquitur Ioannes cap. 1, non intelligitur nisi mens, seu ratio Dei essentialis, vel Sapientia divina, quae utpote attributum divinum, a Deo personaliter non distinguitur. Haec vero iuxta morem orientalium poëtico modo sub ratione personae repraesentatur, quod iam in libris V. T. (2) factum fuisse constat. Praecipue autem *Philo* philosophicam hanc ideam prosecutus est, et sapientiam summi Dei Iehovae sub nomine Λόγου i. e. Verbi personificavit. Cum autem Philonis doctrina inter Iudaeos maxime pervulgata esset, etiam Ioannes se genio aevi sui accommodavit, ut apud nationales suos eo facilius doctrinae suae viam panderet. De Sapientia ergo divina dicit, quod *in principio erat*, et *apud Deum erat*, et *Deus erat*, ne quis de alia persona divina cogitaret. Cum autem dicit, *Verbum caro factum est*, non aliud indigitat, nisi quod Sapientia divina in homine Iesu se praecipuo modo manifestaverit.

Resp. Quam infirma et insipida sit haec obiectio facile ostenditur. Nam *a*) interpretatio verborum Io. I, 1 etc omnino nova, et toti antiquitati contraria est, quia non solum Catholici, sed etiam Gnostici et Ariani distinctam a Deo Patre personam per *Verbum* intellexerunt, quamvis huius aeternitatem et consubstantialitatem negarent. Quomodo autem admitti potest, rectum verborum Ioannis sensum usque ad nostra tempora ignotum fuisse, cum ipsi Apostoli, qui ad docendum missi fuerant (3), ea quae senserunt et scripserunt, cum maxima solertia discipulis suis communicaverant et declaraverant? - *b*) Interpretatio adversariorum nulli solido fundamento, sed potius falso supposito innititur. Admittunt enim ipsi in citatis ex V. T. locis sapientiam divinam sub ratione personae repraesentari; sed quia supponunt, plures in Deo personas non dari, ideo dicunt, iuxta morem orientalium poëtico modo sapientiam divinam personificari. Cum autem longe validiores rationes ostendant, in citatis locis vere secundam Trinitatis personam seu Filium Dei designari (§ 79, n. 1), cavillatio adversariorum omni solido fundamento caret. *c*) Maxime iniuriosa est hagiographis scriptoribus adversariorum sententia, qua dicunt, Ioannem philosophema Philonis in Evangelium suum transplantasse, ut Iudaeorum animos sibi devinceret. Optime in hanc rem Cl. *Perrone* (4) dicit: « Philosophema non est Scriptorum sacrorum, sed rationalistarum, qui contra omnes sanae exegeseos canones illud per nefas invexerunt. Profecto ipsos puderet illo uti in cuiuscunque profani scriptoris interpretatione. » *d*) Si etiam concedatur, Philonis philosophiam aevo Ioannis apud Iudaeos obtinuisse, nullatenus tamen admitti potest, eam omnibus communem fuisse, sed certe pauci inter Iudaeos extiterunt, qui Graecorum, aut orientalium, aut etiam Phi-

(1) § 83 n. 1 Cf. Feier Tom. 2, § 53 in notis.
(2) Prov. c. 1, v. 20, et c. 8, v. 22. Sap. c. 7, c. 8, et c. 9 Eccli. 1, 6-9 et 18, 14-18.

(3) Matth. 28.
(4) De Trin. c. 3, n. 168.

lonis scripta cognoscerent, legerent, eiusque placitis philosophicis adhaererent. Pro his autem paucis Ioannes suum Evangelium non exaravit, quod quasi supplementum est trium Evangeliorum, quae manifeste pro communibus Christianis, ex Iudaismo et Gentilismo conversis, scripta sunt. Accedit, quod, ut eruditi (1) ostenderunt, primorum saeculorum haeretici praecipue ex Philonis scriptis errores suos hauserint: quomodo ergo admitti potest, Ioannem, qui ex testimoniis Veterum praesertim contra Cerinthi, et Gnosticorum errores Evangelium suum exaravit, in hoc Philonis philosophema quasi fundamentum posuisse? — *e*) Character Ioannis, et stilus simplex ac apertus nequaquam sinunt, ut eiusmodi philosophema eidem attribuamus, ac scripto ad instituendos homines quales communiter erant Iudaei et Gentiles, destinato, hoc fundamentum substituamus. *f*) Denique expressiones Ioannis de *Verbo* magis determinatae sunt, quam ut purae philosophicae speculationis instar haberi queant, quamvis phantasia orientalium nonnihil vividior supponatur. Si Verbum tantum attributum divinum, seu Dei Sapientia est, nequaquam potuit dici: *Verbum caro factum est*. Etiam Ioannes Baptista eiusdem testimonio, fuit propheta, legatus Dei, vox clamantis, in quo divina Sapientia se manifestaverat: attamen diligenter distinguitur Logos, Verbum a sapientia Dei in Ioanne existente. Praeterea si Verbum caro factum solum pro philosophemate, seu in sensu figurato accipiendum esset, sequeretur, quod omnia, quae in decursu Evangelii de Christo narrantur, in eodem sensu intelligenda essent. Quot autem exinde absurditates et contradictiones orirentur, cum Ioannes apertissime de Christo, tanquam de subiecto personali, a Deo Patre distincto, et ab eodem misso loquatur, uti apparet ex locis in probationibus iam allatis! — His iisdem rationibus refutantur etiam criticorum philosophorum commenta, qui sub nomine Verbi vel cum *Kant* ideam perfectissimae moralitatis, quae ex Deo processit, et homines ad Deum ducit, vel cum *Fichte* complexum moralium Dei attributorum, quatenus ad homines referuntur, vel cum *Hegel* ipsam rationem practicam, in divinitatis thronum exaltatam, intelligunt. Satis sane manifestum est, interpretationes istas contra omnes rectae exegesis regulas peccare, quoniam Philosophi nominati non sensus suos verbis Ioannis, sed verba Ioannis placitis suis accommodare student (2).

Obi. III. Cum Christus dicit, *Ego et Pater unum sumus* (3), non loquitur de unitate naturae et substantiae sed de unitate voluntatis et consensus. Id patet ex eo, quia Christus eandem unitatem, quam ipse habet cum Patre, postulat etiam pro discipulis suis, dicens: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi: ut sint unum sicut et nos* (4). At haud dubie non postulabat Christus unitatem substantiae inter suos discipulos, sed tantum unionem animorum et voluntatem, de qua dicit Apostolus: *Qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est* (5); et: *Multitudinis autem credentium erat cor unum* (6). Ergo ex hoc et similibus locis non potest consubstantialitas Christi cum Patre probari, quia in ipsis sola unio moralis cum Deo significatur.

(1) Petav. l. 1 de Trin. c. 1 et 2. Staudenmayr etc. (2) Cl. Feier l. c. nota 10.

(3) Io. 10, 30. (4) Io. 17, 11. (5) 1 Cor. 6, 17. (6) Act. 4, 32.

Resp. Quae hic obiiciuntur, vim argumenti (§ 82, n. 1) propositi nullatenus enervant. Diximus nempe, Iudaeos quoque sententiam hanc: *Ego et Pater unum sumus*, de naturali ipsius unitate intellexisse, et nedum reprehensos a Magistro veritatis, sed et in sua opinione confirmatos fuisse aliis Salvatoris verbis. Et sane nemo propter moralem animi et voluntatis unionem dicere potest: *Qui videt me, videt et Patrem meum*, aut: *Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt*, aut — Deum ipsum alloquens: — *Mea omnia tua, et tua mea sunt.* Ex his ergo, aliisque locis parallelis abunde constat, Christum in citato loco non de unitate voluntatis, et consensus, sed de unitate naturae, et substantiae loqui. — Perperam etiam nobis obiiciunt verba Io. XVII, 11. Christus enim hic pro discipulis suis eam animorum et voluntatum unitatem petit, cuius capaces illi erant, non autem unitatem naturae et substantiae, eo modo ac sensu quo Matth. V, 48 Christus discipulis praescribit, ut sint *perfecti, sicut Pater coelestis perfectus est:* quis vero dicet, discipulos in mandatis habuisse, ut eam omnem assequerentur perfectionem, quae Deo propria est? Ipsi adversarii id non contendunt, sed fatentur, eam dumtaxat exigi, ad quam homo mortalis adspirare potest. Pariter ergo Christus eam tantum pro discipulis a Patre unitatem petit, cuius illi capaces sunt, Deus ergo proponitur Io. XVII, 11 tanquam exemplar unitatis, sicut Matth. V tanquam exemplar perfectionis, et si ex isto loco non sequitur perfectionem Dei finitam esse, etiam ex illo nequit inferri, unitatem Patris cum Filio haud essentialem esse. Denique in loco citato Io X, 30, non de sola morali, sed de essentiali unitate, seu consubstantialitate Filii cum Patre sermonem esse, extra omne dubium ponit constans Ecclesiae traditio. In *Synodo Sardicensi*, ut refert *Theodoretus* (1), inquiunt Patres: « Depravata et execrabilis est Arianorum interpretatio, qui contendunt, Servatorem ideo dixisse: *Ego, et Pater unum sumus*, quod sit inter eos consensus et concordia. Nos enim et credimus et adfirmamus, et intelligimus sacram illam Servatoris sententiam de unitate essentiae, quae una est eademque in Patre et Filio, capiendam esse. » Eadem ratione locum hunc exponunt *S. Basilius* (2), *Athanasius* (3), *Hilarius* (4), *Gregorius Naz.* (5), *Hieronymus* (6), *S. Augustinus* (7). Denique *Concilium Lateranense IV* damnavit errores Abbatis Ioachim, qui moralem inter divinas personas unionem adstruebat, et inter alia (8) dicit: *Cum Veritas pro fidelibus suis ad Patrem orat:* volo, *inquiens*, ut ipsi sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus; *hoc nomen, unum, pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia: pro personis vero divinis, ut attendatur identitatis in natura unitas, quemadmodum Veritas alibi ait: Estote perfecti, sicut et Pater vester* coelestis perfectus est. *Ac si diceret manifestius: Estote perfecti perfectione gratiae, sicut Pater vester coelestis perfectus est perfectione naturae; utraque videlicet suo modo, quia inter Creatorem, et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda.*

Obi. IV. Si in libris N. T. Christo nomina divina, attributa divina, opera divina et cultus divinus attribuuntur,

(1) L. 2, hist. eccl. c. 8. (2) L. 1 adv. Eunom. (3) Orat. c. Arian. (4) 1, 7 et 8 de Trinit. (5) Tract. 41 de fide. (6) In 6 Isa. (7) L. 4 de Trinit. (8) Cap. 2.

haec non in sensu proprio intelligenda, sed per exaggerationem, per emphasin et hyperbolen dicta censenda sunt. Discipuli enim Christi, magistri sui admiratione et amore abrepti, ut ipsum coram hominibus glorificarent, magnificis encomiis non pepercerunt, et iuxta morem illius aevi divinitatem ipsi adscripserunt. Praecipue Ioannes dilecti sui magistri virtutem sublimioribus phantasiae imaginibus exornavit, et Paulus similem imaginandi normam secutus est. Et quia Christus tanquam sapientissimus Doctor habebatur, ideo hominibus propositus fuit tanquam sapientia incarnata; i. e. in homine manifestata, et haec deinde cum ipsa sapientia divina confusa fuit, ac si una eademque esset. His consideratis patet quidem, Apostolos valde magnifice de suo magistro locutos esse, sed haec testimonia per emphasin prolata talia non sunt, ut divinitatem Christi evincant. Ita *Wegscheider*, *Strauss*, aliique.

Resp. Recentiores Rationalistae probe observarunt, admissa infallibili S. Scripturae auctoritate, inania fuisse conamina, quibus Socinus cum suis asseclis testimonia de divinitate Christi per contortas interpretationes ex sacris N. T. libris eliminare studuerunt. Idcirco aliam viam ingressi sunt, ipsam S. Librorum auctoritatem impugnantes, et asserentes discipulos amore erga magistrum suum abreptos, multa ex ingenio suo humano, errori obnoxio, illis inseruisse: huc referunt omnia, quae magnifice de Christo, tanquam de Deo, in eorundem scriptis dicta leguntur. Tali agendi modo infensissimi divinitatis Christi adversarii egregium contra antiquiores Socinianos testimonium ferunt, quod citata a nobis S. Librorum loca, in obvio ac naturali sensu accepta, non aliter quam de vera Christi divinitate exponi possint. — Impia autem Rationalistarum sententia, qua ipsam S. Scripturae auctoritatem aggrediuntur, satis refutatur per ea omnia, quae ad probandam S. Librorum N. T. auctoritatem in studio biblico proferuntur, sicut etiam per ea quae in Theologia generali de scientia, et veracitate S. Scriptorum (§ 89 etc.) et de inspiratione S. Librorum (§ 174 etc.) dicta sunt, quibus addi possunt, quae (§ 166) in specie contra impium Straussii systema prolata fuerunt. Et sane tota antiquitas christiana divinam S. Scripturae auctoritatem venerata est, et nunquam S. Scriptores de mendaciis aut exaggerationibus, ex caeco erga magistrum suum amore prolatis, accusati sunt. Ipsi Ariani, quamvis divinitatem Christi impugnarent, a tali tamen sententia, neque interno, neque externo argumento innixa, abhorruerunt. Quomodo ergo Rationalistae saeculi decimi noni dicere non verentur, Scriptores sacros phantasiae et imaginationis partus, ac idearum confusiones pro veritate venditasse? Multo certius ita ratiocinantes *phantasiae*, *imaginationis confusionisque* malo laborant, quam Apostoli sanctitate conspicui, magisterio Spiritus sancti directi (1), evangelium praedicantes, *Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (2).

Obi. V. Apostoli cum divinitatem Christi asseruerunt, non ex propria mente locuti sunt, sed iuxta opinionem Iudaeorum, qui Messiam Deum fore sibi persuasum habuerunt. Ita *Semler*, quem nonnulli secuti sunt.

Resp. In sacris V. T. Libris praenuntiatum fuisse, illum, qui est ve-

(1) Io. 16, 7-15, Act. 2.

(2) Marc. 16, 20.

Google

rus Messias, esse verum Deum, et hanc veritatem nonnullos ex Iudaeis, maiori scientia imbutos, agnovisse (§ 79), probatum fuit. Sed talem persuasionem tempore Christi communem fuisse plebi Iudaeorum, aut etiam Principibus synagogae, Pharisaeis et Scribis, vix solido argumento probari potest. Ipsum ergo fundamentum obiectionis vacillat. E contra certum est, Christum et Apostolos per ea, quae de Messiae divinitate testimonia tulerunt, non gratiam, sed indignationem Iudaeorum incurrisse. Denique Christus et Apostoli, tanquam veritatis magistri, erroneas opiniones corrigere studuerunt: ergo certo talem errorem (si error fuisset) in re tanti momenti non adprobassent, et multo minus etiam ad Gentiles conversos propagassent.

II. *Argumenta ex Scriptura contra divinitatem Christi petita diluuntur.*

§ 87. Argumenta quibus Sociniani, sacrae Scripturae effatis abutentes, divinitatem Christi impugnare nituntur, ad sequentia reduci possunt: dicunt in S. Scriptura solum Patrem Deum nominari; Christo autem partim ea denegari, quae vero et summo Deo necessario competunt, partim ea attribui, quae vero et summo Deo convenire nullatenus possunt; imo Christum etiam quoad naturam sublimiorem, quam Catholici eidem adscribunt, a vero et summo Deo distingui. — Fallaces istae adversariorum argumentationes facile diluuntur, si sequentia rite attendantur. *Primo* enim etiam nos Catholici unicam admittimus divinam essentiam, seu unum Deum, qui hincinde etiam in relatione ad totum Universum, quod creat et conservat, et praecipue in relatione ad homines quos paterne gubernat, *Pater* dici solet (§ 76). *Secundo* observandum est, duplicem esse in Christo naturam, divinam et humanam; nam *Verbum caro factum est* (1), seu Filius Dei assumpsit naturam humanam, ita ut sit una persona Deus et homo. Ideo fit, ut diversa de Christo praedicentur, modo ea, quae divinitatis, modo ea, quae humanitatis sunt: etsi vero haec secum pugnare videantur, reapse tamen non pugnant, si naturarum, quae Christo insunt, habeatur ratio; eo fere modo, quo homo idem et mortalis dicitur et immortalis, habita ratione naturarum, ex quibus constat. *Tertio* notandum est, quod Christus ut Filius Dei, quamvis quoad essentiam unum sit cum Patre, tamen ratione personalitatis realiter ab ipso distinguatur, ita ut recte cum Ecclesia catholica dicatur: *alia est persona Patris, alia Filii* etc. His rite attentis, haud difficile est, omnia adversariorum argumenta diluere, quibus dogma de Divinitate Christi ex ipsa S. Scriptura impugnare tentant.

Obi. I. Solus Pater per exclusionem Filii et Spiritus sancti Deus in Scripturis dicitur. Ipse enim Christus ait: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum* (2); ubi profecto adiectivum exclusivum, *solus*, Patri tanquam subiecto affixum, excludit a communione praedicati, nempe *veri Dei*, non solum falsos Gentilium Deos, sed ipsum Filium et Spiritum sanctum; excludit enim omnes, qui non sunt ipse Pater; sed Filius et Spiritus sanctus non sunt ipse Pater, ergo nec verus Deus. — Paulus ait: *Scimus, quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi sunt, qui dicantur dii... nobis tamen unus Deus,*

(1) Io. 1, 14. (2) Io. 17, 3.

Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum (1); quo in loco Paulus explicans, quis sit ille unus Deus, simpliciter dicit, esse Patrem, non Patrem, et Filium et Spiritum sanctum. — Idem scribit: *Unus Deus, et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis* (2). Et legitur: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus* (3): ubi per unum Deum intelligitur Pater, et in oppositione ad ipsum Christus mediator et homo appellatur. Denique nullus est alius Deus, quam qui dictus fuit Deus Abraham, Isaac, et Iacob; atqui hic est nullus alius quam Pater; nam dicitur: *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Iesum* (4), qui hic a vero, et summo Deo aperte distinguitur.

Resp. In citatis S. Scripturae locis dogma de unitate Dei traditur, sed ideo divinitas Filii nullatenus negatur. Nam Io. XVII, 3 ostenditur adversus Gentilium superstitionem, non Deos plures dari, sed agnoscendum esse unum solum verum Deum, qualis est Pater; τὸ *solus* enim non Patrem afficit tanquam subiectum, sed praedicatum, *verum Deum*, quod apparet ex textu graeco, in quo adiectivum *solus* disiungitur a pronomine *te* per interpositum articulum τὸν (σὲ τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν) ac si diceretur: *ut cognoscant te* illum *solum verum Deum*. Sensus ergo propositionis non est, solum Patrem esse verum Deum, sed Patrem esse illum verum Deum, qui solus, seu unus est. Imo etiamsi concederetur, quod vocabulum *solus* ad Patrem tanquam ad subiectum referatur, tamen divinitas Filii non excluderetur. Huiusmodi enim exclusivis particulis eam vim non inesse, ut omnes etiam coaequales personas excludant, multis Scripturae testimoniis ostendi potest. I Mach. X, 70: *Tu solus resistis nobis*, ait Apollonius ad Ionatham; neque tamen Simonem fratrem Ionathae, duces, aut milites excludebat. Luc. IX, 36, finita transfiguratione dicitur: *inventus est Iesus solus*; aderant tamen Petrus, Iacobus, et Ioannes: solus ergo dicitur, quia evanuere Moyses, et Elias. Luc. X, 40, Martha se solam dixit, excludens sororem, non servos, non ancillas. Io. XVI, 32, dum dixisset Christus discipulis suis: *Me solum relinquatis:* statim subiungit, *et non sum solus, quia Pater mecum est.* Sicuti ergo Filius dicitur solus, et non solus, solus respectu discipulorum, et non solus respectu Patris, ita Pater dicitur verus Deus solus, et non solus; solus idolorum respectu, non solus respectu Filii et Spiritus sancti. — Neque ex iis, quae sequuntur, *et quem misisti Iesum Christum*, contra huius divinitatem aliquid inferri potest; haec enim adduntur, non quasi Iesus Christus non esset Deus cum Patre, sed ut significetur, Christum non solum esse Deum, sed esse aliquid aliud quoque, nempe hominem, adeoque ad vitam aeternam non sufficere si credatur Deus unus et trinus, sed etiam requiri, ut credatur incarnatus. Quidam cum *S. Chrysostomo* (5) et *S. Augustino* (6) sic citatum locum exponunt: *ut cognoscant te, et quem misisti Iesum Christum, esse solum verum Deum*, neque enim insolitum est in S. Scripturis, ut una res de duobus simul praedicetur, et ta-

(1) I Cor. 8, 4 etc.
(2) Eph. 4, 6.
(3) I Tim. 2, 5.
(4) Act. 3, 13.
(5) Ap. Wiest § 331.
(6) Lib. 6 de Trin. c. 9.

men inter utrumque interponatur: sic I Io. III, 10 dicitur: *Omnis, qui non est iustus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum*, id est: *Omnis qui non est iustus, et qui non diligit fratrem suum, non est ex Deo.* — Verba I Cor. VIII, 6 pariter nihil evincunt; nam Apostolus dicit Patrem unum Deum, non ut excludat Filium et Spiritum sanctum, sed Deos Gentilium. Sicut ergo dum dicit Filium unum Dominum, non excludit Patrem a consortio dominationis, ita cum dicit Patrem unum Deum, non excludit Filium a consortio divinitatis. Quantum ad illud Eph. IV, 6, manifestum est, *Patris* nomen poni hoc loco pro ipsa essentia divina, quae communis est Patri, et Filio, et Spiritui sancto; non enim nominatur Pater Iesu Christi, sed *Pater omnium:* agitur ergo de eo, qui creator est et conservator rerum omnium, cui ob curam providam, paternamque nostri gubernationem, Patris nomen rectissime tribuitur. Paulus unum Deum praedicans nullatenus negat, hunc unum Deum esse Patrem, Filium et Spiritum sanctum; dum autem addit: *unus mediator* (1), etc., Christum ut hominem considerat, quia Mediatoris partes in humana natura obiit. — Deus Abraham, de quo Petrus (2) loquitur, est unus et summus Deus in tribus personis subsistens; quod autem dicatur glorificare Filium suum Iesum, illud de Filio intelligi debet, quia homo est. — Generatim ad similes obiectiones solvendas notandum est, istud Scriptoribus sacris familiare esse, ut una persona nominata ceteras subintelligant, et nullatenus excludant. Ita (3) postulantibus Sacerdotibus, *qua virtute*, et *in quo nomine* claudus sanatus fuisset, respondet S. Petrus, id factum fuisse *in nomine Iesu Christi*: an dices, S. Petrum exclusos voluisse Patrem et Spiritum sanctum? Pariter Petrus *iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi* (4); an propterea a forma baptismi excluduntur Pater et Spiritus sanctus? Non certe. Carceris custos petit: *Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Iesum* (5); an excluditur fides in Patrem, et in Spiritum sanctum? Quis dixerit? Etsi ergo una solummodo nominetur persona divina, aliae tamen non idcirco exclusae censeri debent, imo potius inclusae subintelliguntur. Eam ob rem S. Scriptores modo tres divinas personas distincte exprimunt (6), modo duas tantum (7), modo unam tantum, eamque vel Patrem (8), vel Filium (9); vel Spiritum sanctum (10).

Obi. II. Filius Dei, seu Christus non est aeternus, sed in S. Bibliis creatus dicitur, et factus. Nam Prov. VIII, 22, ubi Hebraeum, et Vulgata habent: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, in versione LXX legitur: *Dominus creavit me initium viarum suarum.* Eccli. XXIV, 14 Sapientia dicit: *Ab initio, et ante saecula creata sum:* haec autem loca Patres de Filio Dei, seu de Christo exponunt. Ioannes Bapt. Christum praenuntians ait: *Qui post me venturus est, ante me factus est* (11). Petrus ait: *Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis* (12). A Paulo Christus dicitur: *Primogenitus omnis creaturae* (13), et: *Tanto melior Angelis effectus* (14).

(1) I Tim. 2, 5 (2) Act. 3, 13.
(3) Act. 4 (4) Act. 10, 48. (5) Act. 16, 30-31.
(6) Matth. 28, 19. 2 Cor. 13, 13 etc.
(7) Loc. cit., et alibi. (8) 2 Cor. 11, 31.
(9) Gal. 6, 18.
(10) Act. 13, 4. Hebr. 3, 7 etc.
(11) Io. 1, 15. (12) Act. 2, 36.
(13) Coloss. 1, 15. (14) Hebr. 1, 4.

Digitized by Google

Resp. Nonnulli Patres graeci dicunt, in citatis locis Prov. VIII. Eccli. XXIV, sermonem esse de Sapientia, quae in Universo se conspicuam reddidit, et quae ideo per synecdochen creata dicitur: sic *S. Basilius* (1) inquit: « Illud: *Dominus creavit me initium viarum ipsius*, de ea sapientia, quae in mundo apparet, usurpat; quae velut per ea, quae videntur, vocem emittens admonet, se a Deo factam esse, neque fortuito tantam sapientiam in effectis creatisque rebus elucere » (2). Alii autem negant, Sapientiam in sensu stricto creatam dici; quia praeferendus est textus originalis, cui consentit Vulgata, in qua dicitur: *Dominus possedit me*, i. e. genuit me, iuxta locum parallelum Gen. IV, ubi Eva dicit: *possedi*, i. e. genui *hominem per Deum*. Nonnulli cum *Eusebio* (3) et *S. Hieronymo* (4), putant, mendum irrepsisse in versionem LXX vitio exscriptoris, qui pro ἔκτησε, possedit, scripsit ἔκτισε, creavit. Caeterum apud Graecos *creare*, et *gignere* promiscue sumitur, ut constat ex Deut. XXXII, 10 et Ps. LXXXIX, 2, ubi apud Septuaginta verbum γίνομαι sum, vel gignor, sumitur ad generationem perinde, ac creationem significandam. Quin etiam apud Latinos non raro *creare*, et *generare* promiscue ad idem significandum sumitur, ut observant *S. Hieronymus* (5) et *S. Augustinus* (6). — Idcirco autem, teste *S. Hilario* (7), S. Scriptura hinc inde verbum *creare* potius quam *generare* usurpat, ut ostendat, divinam Verbi generationem cuiuslibet mutationis et passionis expertem esse. Egregie id declarat *S. Thomas* (8), dicens: « Ex hoc, quod Sapientia et creata et genita nuncupatur, modus divinae generationis nobis insinuatur. In generatione quod generatur accipit naturam generantis, quod perfectionis est: sed in generationibus, quae sunt apud nos, generans ipse mutatur, quod imperfectionis est: in creatione vero creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo Filius simul creatus et genitus, ut ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, ex generatione unitas naturae in Patre et Filio. Et sic huiusmodi S. Scripturae intellectum synodus exposuit, ut per *Hilarium* patet. » — Id quod Ioannes dicit, *ante me factus est*, non significat, Christum productum esse ante Ioannem, sed Ioanni praelatum, et antepositum fuisse: ita locum explicant *S. Ambrosius*, aliique Patres (9). Genuinam esse hanc explicationem patet ex contextu, quia Ioannes praelationis causam assignat immediate addendo: *quia prior me erat*, scilicet aeterna generatione, alias frustra adderetur ista ratio causalis: « quis enim, ait *S. Chrysostomus*(10), adeo stolidus et insanus est, ut qui ante eum factus est, illum eodem tempore priorem non intelligat? » — Quae Act. II, 36 leguntur, ad humanitatem Christi pertinent, quae a Deo facta, et per unionem hypostaticam gratia, et gloria repleta est. — Si Christus Col. I, 15 dicitur *primogenitus omnis creaturae*, non est sensus, quod sit creaturarum prima, sed quod sit genitus, antequam fieret ulla creatura; alibi enim dicitur Dei Patris *unigenitus*, quomodo autem unigenitus, si esset ex creaturis una? Hanc esse mentem Apostoli demonstrant ea, quae adduntur: *primogenitus*

(1) L. 2 c. Eunom.
(2) Cf. S. Greg. Naz. or. 2 de Theolog.
(3) L. 3, c. 2 adv. Marcell
(4) Ep. 139. (5) In Eph. c. 1.
(6) L. de fid. et symb. (7) L. de Synod.
(8) L. 4 c. Gent. c. 8.
(9) Cf. Bellarmin. l. 1 de Chr. c. 18.
(10) In h. l.

omnis creaturae: quoniam in ipso condita sunt universo in coelis, et in terra... v. 17, *et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant:* v. 18, *ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* Quis, haec audiens, dicet, Paulum, v. 15 voluisse Christum cum creaturis confundere? — Denique (1) Christus non factus, aut creatus, sed per ipsam aeternam generationem supra omnes Angelos constitutus, et declaratus dicitur. Hunc esse sensum Apostoli demonstrat ratio, quam affert, dicens: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?*

Obi. III. Christo multa denegantur, quae a vero Deo abesse non possunt. Denegatur ipsi summa potestas; nam Christus de se ait: *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (2), et ad discipulos dicit: *Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis* (3). Denegatur Christo summa bonitas; ipse etenim adolescenti respondit: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus* (4). Denegatur eidem omniscientia; nam ipsam doctrinam a se praedicatam repetit a Deo dicens: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me* (5): porro fatetur, quod ne ipse quidem noverit diem iudicii: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater* (6). Denique Christus dicitur, non a se ipso venire (7); non quaerere voluntatem suam (8); non quaerere gloriam suam (9); quae omnia verae divinitatis notioni obstant: ergo non est verus Deus.

Resp. Huic adversariorum argumento opponimus loca (§ 82 et § 83) citata, in quibus Christo omnipotentia, omniscientia et alia attributa divina adscribuntur. Neque haec in locis, quibus adversarii abutuntur, illi denegantur, quod facile patet, dummodo ea, quae iam ab initio observata sunt attendantur, nempe quod in Christo sit etiam natura humana, finita, creata, et quod Christus etiam ut persona divina, seu ut Filius Dei omnia habet a Patre, a quo per aeternam generationem procedit. His praenotatis facilis est ad singula loca responsio. *a)* Verba Io. V, 19, Christus de se profert ut Filius hominis, inde tamen minime sequitur, quod non simul fuerit Deus, cum in eodem capite dicat: *Quaecunque ille* (Pater) *fecerit, haec et Filius similiter facit.* Imo etiamsi dicatur, Christum in citato loco ut Filium Dei loqui, sensus non est, quod non sit omnipotens ut Pater, nec quod non agat propria et divina virtute, sed quod eam habeat a Patre per aeternam generationem, et sic non operatur a se ut persona ingenita, sed ut nata et orta a Patre, et consequenter prout viderit Patrem facientem. Ideo *S. Ambrosius* (10) scribit: « Quid superest, nisi ut per unitatem inseparabilem potestatis nihil credamus Filium facere, nisi quod viderit Patrem facientem, quia per inseparabilem unitatem nihil a se facit Filius, quoniam nihil vult, quod Pater nolit, quod utique non infirmitatis, sed virtutis est. » *b)* Matth. XX, 23 Christo non denegatur potestas dandi regni coelestis; hanc enim Christus sibi adscribit dicens: *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra* (11), et: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum* (12). In loco ergo citato Christus ad mentem in-

(1) Hebr. I, 5
(2) Io. 5, 19
(3) Matth. 20, 23.
(4) Marc. 10, 18.
(5) Io. 7, 16.
(6) Marc. 13, 32.
(7) Io. 7, 28.
(8) Io. 5, 30.
(9) Io. 8, 50.
(10) L. 4 de fide c. 3.
(11) Matth. 28, 18.
(12) Luc. 22, 29.

terrogantium respondet, suum non esse eas sedes distribuere, quas postulabant filii Zebedaei. Petebant enim isti a Christo tamquam ab homine sibi affinitate sanguinis coniuncto, et affectu quodam carnali, ut concederet sedes illas coelestes; quibus merito respondet, suum non esse eo modo, quo illi cogitabant, sed illas distribuere, illosque monet, prius bibendum tribulationum calicem quam sedes illas consequantur. Sensus ergo verborum Christi est: *Non est meum dare* ambitiose petentibus, sed quibus paratum est a Patre in aeterno praedestinationis decreto, vel, ut S. Agustinus (1) exponit: « *Non est meum dare*, id est, non humana potestate ista do, sed divina a Patre communicata, quia *omnia, quae habet Pater mea sunt.* » *c*) Marc. X, 18, Christus tacite adolescentem carpit, ac informat, qui cum existimaret, Christum esse purum hominem, eum tamen appellabat bonum. Sensus ergo verborum Christi est: Cur tu, qui in me nihil praeter hominem vides, me vocas bonum, cum solus Deus bonus sit? ergo vel bonum me non appella, vel Deum me esse confitere: ita *S. Ambrosius* (2); *S. Augustinus* (3). *d*) Cum Christus ait: *Mea doctrina non est mea*, etc., utrumque dicit, ut *S. Augustinus* (in hunc locum) observat, nimirum et suam esse doctrinam, et non suam, suam, quia Christus Verbum est, in quo sunt omnes thesauri sapientiae absconditi; non suam, quia ut Deus omnia a Patre habet, a quo generatur, ut homo autem scientiam habuit a Deo sibi communicatam, ut quae audivit a Patre, nota faceret nobis. Praeterea notandum est, Christum ad sensum Iudaeorum dixisse, doctrinam suam, non esse suam, hoc est non esse contrariam, ut isti putabant, doctrinae Patris, sed plane consentientem, imo eandem omnino. *e*) Ad Marc. XIII, 32, dicimus haec de Christo intelligi non posse eo sensu, quod ipse diei illius notitiam non habuerit. « Quomodo enim, ait *S. Ambrosius* (4), nescivit iudicii diem, qui horam iudicii, et locum, et signa expressit, et causas? quomodo nescivit ille, qui *constitutus est a Deo iudex vivorum, et mortuorum* (5)? » — Posita indubia hac Christi scientia, duplex est ad citatum locum Theologorum et Patrum responsio. Nonnulli intelligunt allata verba de Christo ut homine, non hoc sensu, quod nesciat diem iudicii simpliciter, sed quod nesciat ex conditione naturae humanae: sic *Gregorius M.* (6) scribit: « In natura quidem humanitatis novit diem et horam non ex natura humanitatis novit. Ideo scientiam, quam ex natura humana non habuit, in qua cum Angelis creata fuit, hanc se cum Angelis habere denegavit. » Alii autem respondent Christum dicere, se ignorare diem iudicii, in quantum Dei ad homines legatus erat, quia illum non ita sciebat, ut eum revelare hominibus posset. Sic legatus, cum interrogatur de secretis Regis sui, vere respondet, se ea nescire, etiamsi illa sciat; quia illa nescit ut legatus, neque enim in mandatis Principis habet, ut ea revelet, sed ut ea reticeat. Audiendus est hac de re *S. Augustinus*, qui (7) inquit: « Sicut scire Deus dicitur, etiam cum scientem facit, sicut scriptum est: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis eum* (8). Non enim sic dictum est hoc, quasi nesciat Deus, sed ut ipsi

(1) L. 1 de Trin. c. 12. (2) L. 2 de fide c. 1.
(3) L. 3, c. Maxim. c. 23.
(4) L. 5 de fide c. 16. (5) Act. 10.
(6) Ep. 42. (7) L. 83, q. 60.
(8) Deut. 13, 3. Cf. Gen. 22, 12.

sciant, quantum in Domini dilectione profecerint... Et ipsum *tentat* pro eo positum est, quod tentari sinit. Sic et cum dicitur nescire, aut pro eo dicitur, quod non approbat,... aut pro eo, quod utiliter nescientes facit, quod scire inutile est. Ideo bene accipitur id quod dictum est, solum scire Patrem, sic dictum esse, quia facit Filium scire: et quod dictum est, nescire Filium, sic dictum esse, quod facit nescire homines, id est, non prodit eis, quod inutiliter scirent. » *f*) Denique Christus a seipso non venit, id est, non venit contra voluntatem Patris ut pseudoprophetae, sed ex Patre procedit, a quo missus est, quae missio originem quidem importat, seu ordinem Filii a Patre, non dependentiam, aut inferioritatem. Eodem plane sensu dicitur non facere voluntatem suam, nec suam gloriam quaerere, quia nihil unquam facit contra Patris voluntatem, dicens: *Quae placita sunt ei, facio semper* (1), et quia in statu exinanitionis, cui se voluntarie ut homo subiecit, nonnisi gloriam divinam promovere voluit.

Obi. IV. Multa in Scripturis de Christo affirmantur, quae de vero, et summo Deo affirmari non possunt. Io. XIV, 28, Christus ipse dicit: *Pater maior me est;* ergo utpote Deo minor, huic aequalis, seu vere infinitus non est. Christus etiam dicitur Patris mandata accepisse, et adimplevisse; ait enim ibid. v. 31: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio* (2). Ideo Phil. II, 8 dicitur *obediens* fuisse: sed in vero Deo obedientia cogitari nequit, cum absonum sit, voluntatem divinam, quae est ipsa essentia divina, sibi ipsi subiici. Porro Christus dicitur Hebr. V, 7 humiles preces ad Patrem fudisse, eiusque orationes Io. XVII, 1, Matth. XXVI, 39, Luc. XXII, 41 et alibi exhibentur: Deus autem, ut etiam Patres dicunt, non orat, sed oratur. — Insuper Matth. XXVII, 46, pendens in cruce exclamat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* quomodo autem Deus est, qui se a Deo derelictum lamentatur? — Denique I Cor. XV, 28 dicitur: *Cum autem subiecta fuerint illi omnia: tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia:* qui autem Deo in aeternum subiectus erit, Deus non est.

Resp. Loca citata, quae in speciem divinitati Christi adversari videntur, nihil habent quod catholicae doctrinae repugnet, et hac sola distinctione diluuntur, quod duplex sit in Christo natura, divina et humana. « Pia mens, ait *S. Ambrosius* (3), quae leguntur secundum carnem divinitatemque distinguit; sacrilega confundit, et ad divinitatis detorquet iniuriam, quidquid secundum humilitatem carnis est dictum. » Et *S. Chrysostomus* (4) dicit: « Cum humile aliquid dicitur de Christo, qui carne praeditus est, non ad divinitatis abiectionem trahendum est, quod dicitur, sed incarnationi conveniat. » His praenotatis facilis est ad citata loca responsio, quae de humana Christi natura intelligenda sunt. *a*) Sic Pater dicitur maior Filio ratione humanitatis, non ratione divinae essentiae; idem enim Christus, qui ut homo dicit: *Pater maior me est;* ut Deus testatur: *Ego, et Pater unum sumus.* Ita respondent *S. Athanasius* (5), *S. Hilarius* (6), *S. Basilius* (7), *S. Gregorius Nyss.* (8), *S. Ambrosius* (9), *S. Augustinus* (10), *S. Cy-*

(1) Io. 8, 29. (2) Cf. Io. 10, 18, et Io. 15, 10.
(3) L. 7 de fide c. 8. (4) Hom. 26. in 1 Cor.
(5) L. de hum. nat. suscepta.
(6) L. 9 de Trin. (7) Epist. 141.
(8) L. de Abraham. (9) L. 3 de fid. c. 4.
(10) L. 3 c. Maximin. c. 14.

rillus Alex. (1). Eadem expositio confirmatur per Symbolum Athan. in quo de Christo dicitur: *Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.* Idem ex contextu apparet; nam Christus ait: *Vado ad Patrem, quia Pater maior me est;* ex quo ita concludit *Bellarminus* (2): « In ea natura est Filius minor, in qua vadit ad Patrem; non autem ibat ut Deus, sed ut homo. » *b*) Hoc ipso sensu, ratione scilicet humanitatis assumptae Christus Patris mandata accepit, eadem executus, et *obediens factus est usque ad mortem;* humanam enim suam voluntatem Patri subiecit dicens: *Non mea voluntas, sed tua fiat. c*) Idem dicendum est de humilibus precibus, quas Christus in humana natura ut Mediator Dei et hominum ad Patrem fudit: sic vero Christus ut homo Deum orat, ut simul tanquam verus Deus declaret, omnia, quae Patris sunt, sua esse (3); — idemque Christus, qui ut homo orat, tanquam Deus a nobis adorandus et invocandus est (§ 84). *d*) Sicut Christus ut homo crucifixus est, sic etiam ut homo se a Deo derelictum dixit, non desperans, sed nobis maximam miseriam et desolationem manifestans, quam humanitas, divino auxilio et consolatione destituta, in cruce sustinuit iuxta voluntatem Patris, cui se perfectissime subiecit, et in cuius manus moriens spiritum suum commendavit. Ex his autem quae de humanitate Christi dicta sunt, nullatenus sequitur, divinitatem ab ipso recessisse, cum qua etiam in cruce pendens nexu hypostatico coniunctus fuit. « Quidam, ait *Theophylactus* (4), hoc intellexerunt, quod Salvator in se personam gerat Iudaeorum, et dicat: ut quid dereliquisti iudaicum populum, o Pater, ut tantum admittat peccatum, et perditioni tradatur? Christus enim tanquam ex Iudaeis natus, *dereliquisti me*, dicit, hoc est, meam cognationem, meumque populum. » *e*) Quod attinet illud I Cor. XV, 28, fatendum est, locum esse obscurissimum, atque videri unum ex his, quae a Petro dicuntur *difficilia intellectu* (5); quod ipsi Sociniani inficiari haud queunt, dum recogitant. apud eundem Apostolum legi, regnum Christi ita fore stabile, ut nunquam finem sit habiturum; nam Hebr. I, 8, Pater *ad Filium* dicit: *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi,* conformiter Luc. I, 33, *Regni eius non erit finis.* Cum Paulus certe sibi non contradicat, quae I Cor. XV scribit, de Christo secundum humanitatem intelligenda sunt. Quamdiu enim hoc praesens saeculum durabit, omnia in potestate Filii sunt non solum qua Deus, sed etiam qua homo est: sic enim dicitur *mediator Dei, et hominum, homo Christus Iesus* (6); *semper vivens ad interpellandum pro nobis* (7). Ipse tandem veniet Iudex vivorum et mortuorum: post hoc autem universale iudicium cessabit Ecclesia militans, cessabit et mediatoris officium, et erit Deus *omnia in omnibus*: sic istum locum exponit *S. Augustinus*, qui (8) *cum tradiderit regnum Deo, et Patri* scribit: « Cum credentes ex fide, pro quibus nunc Mediator interpellat, perduxerit ad contemplationem, cui percipiendae suspiramus, et transierit labor, iam non interpellabit pro nobis, sed manifeste Patrem nobis ostendet. » Item *Theodoretus* in hunc locum ait: « *Tunc*, id est, in magno illo triumpho Christus ratione huma-

(1) L. 10 in Ioan. (2) L. 1 de Christo c. 16.
(3) Io. 16, 15. (4) In h. l.
(5) 2 Ep. 3, 16. (6) 1 Tim. 2, 5.
(7) Hebr. 7, 25.
(8) L. 1 de Trin. c. 10 in v. 24.

Digitized by Google

nae naturae erit Patri subiectus. »Erit igitur, ut observat *Estius*, cum consummata fuerint omnia, ad quae peragenda Christus venerat, ut ipse secundum naturam humanam. Caput Ecclesiae quam acquisivit sanguine suo, una cum fidelibus subiiciatur Patri, *ut sit Deus omnia in omnibus*; quae verba non ita ad Patrem restringuntur, ut Filium excludant, qui Deus est unius eiusdemque cum Patre substantiae, maxime quod simili phrasi utatur Paulus ad dominium Christi exprimendum, dicens: *Omnia, et in omnibus Christus* (1). Notatu digna sunt etiam, quae in eundem locum scribit *Theophylactus*: « *Gregorius* Theologus asserit, quod Filius omnia nostra sibi propria faciens nostram etiam subiectionem propriam reputet. Nunc vero seditionem ciemus adversus Deum, infideles quidem, cum eum abnegant; fideles vero, cum affectibus suis inserviunt multi, et secundum hoc rebelles sumus. Cum vero alii quidem agnoverint, quem nunc negant, alii vero transmutati fuerimus ab huius vitae affectibus, tunc vere dicitur Filius subiici. Humanitatis enim personam subiens, sua facit, quae nostra sunt. »

Obi. V. Non solum quoad naturam humanam, sed etiam quoad aliam naturam, quam Catholici Christo tribuunt, hic a Deo distinguitur; dicitur enim: *Verbum erat apud Deum* (2), et vocatur *imago Dei* (3). Porro Christus dicitur omnia a Patre habere: *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei* (4), et: *Dedit et Filio habere vitam in semetipso* (5); etiam mitti a Patre: *Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, et quid loquar* (6): *Accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam* (7). Quomodo autem verus Deus est, qui vitam non habet a se, et divinitatem, ac caetera omnia accipit? — Christus ipse ad instar Iudaeorum Iehova nominat Patrem suum, et Deum suum: *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum* (8); et vicissim. Deus *Caput Christi* (9) vocatur. Ideo Christus negat, sibi fidem divinam deberi; ait enim: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me* (10). Denique Christus sibi applicat verba Ps. LXXXI, 6: *Ego dixi: Dii estis* (11), ut ostendat, se sicut Iudices improprio tantum sensu Deum dici.

Resp. Loca allata doctrinae catholicae non adversantur, sed eam confirmant; haec enim tradit, Filium quoad essentiam unum esse cum Patre, quoad personalitatem vero realiter a Patre distingui, a quo per aeternam generationem procedit. *a*) Ideo Verbum dicitur *Deus*, et dicitur esse apud Deum, atque vocatur *imago Patris*, quia Filius ex intellectu divino procedens, est Patri perfectissime aequalis et consubstantialis. *b*) Eodem modo, quia Pater Filio per aeternam generationem essentiam suam communicat, ideo dicitur Filio omnia demonstrare, vitam dare, habere in semetipso, eundem mittere etc.; et in eodem sensu Filius dicitur accipere, qui ait: *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo* (12): sed Apoc. V, sermo est de agno, qui occisus est, seu de Christo incarnato, qui per humillimam exinanitionem, summam exaltationem promeruit (13); et si agnus dignus dicitur accipere divinitatem, per hanc intelliguntur encomia

(1) Col. 3, 11. (2) Io. 1. (3) 2 Cor. 4, 4. (4) Io. 5, 20. (5) Ibid. v. 26. (6) Io. 12, 49. (7) Apoc. 5, 12.

(8) Io. 20, 17. (9) 1 Cor. 11, 3. (10) Io. 12, 44. (11) Io. 10, 34. (12) Matth. 11, 27. (13) Phil. 2.

divinitatis, sicut versu praecedenti innuitur: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam et honorem, et virtutem;* id est, virtutis, et potentiae confessionem, et commendationem. *c*) Verba Io. XX, 17, praeclare exponit *S. Augustinus* (1), dicens: « Christus non ait *Patrem* nostrum; aliter ergo *meum*, aliter *vestrum*: natura *meum*, gratia *vestrum*: ergo et hic aliter meum, aliter vestrum: *Deum meum*, sub quo et ego homo sum, *Deum vestrum*, inter quos et ipsum mediator sum. » — Et sane — in loco citato Christus de ascensione loquitur, quae ad humanam suam naturam spectat: secundum hanc ergo Patrem Deum suum vocat, et secundum hanc Apostolus Deum caput Christi appellat. *d*) Verbis Io. XII, 44 opponimus verba Io. XIV, 1: *Creditis in Deum, et in me credite*: haec duo loca optime consentiunt; in priori enim Christus dicit: *Qui credit in me, non credit in me* solum, seu in purum hominem, *sed in eum qui misit me*, credens quippe me ut Filium unigenitum, credit etiam in Patrem, a quo procedo, et qui testimonium perhibet de me. *e*) Io. X, 34, Christus divinitatem suam non negat, sed defendit, ita arguens: Si blasphemus non est, qui Dei nomine ornat iudices, aut reges terrae, qui potestate a Deo accepta saepe abutuntur; multo minus ego blasphemiae arguendus sum, quod me Deum, et Filium Dei dicam, qui a Patre missus sum in mundum, eiusque voluntatem impleo: *Operibus*, ait ibid. v. 39 *credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.* De vera divinitate locutum esse Christum, cognoverunt Iudaei, qui his auditis eum ut blasphemum lapidibus obruere volebant.

(1) Tract 121 in Io.

ARTICULUS II.
Argumenta pro Divinitate Christi ex Traditione hausta.

§ 88. Ipsi Sociniani et caeteri divinitatis Christi adversarii non negant, post Concilium Nicaenum I communem fuisse Catholicorum fidem, quod Iesus Christus sit verus Deus, Filius Dei ab aeterno genitus, Patri consubstantialis. Sed asserere non vereutur, hanc fidem in saeculis praecedentibus inter Christianos non viguisse, et solum per Concilium Nicaenum, agitante *Athanasio*, in Ecclesiam introductam ac propagatam esse. Quantum autem in sua assertione temeraria adversarii aberrent, facile ostenditur. Nam iam ante Concilium Nicaenum I semper, ubique, et ab omnibus Catholicis creditum est, Christum esse verum Deum, Filium Dei unigenitum, Patri consubstantialem: id 1° *ex Patribus antenicaenis* et 2° *ex aliis ecclesiasticis monumentis* eiusdem aevi probatur.

I. *Ex Patribus antenicaenis.*

§ 89. Ecclesiae Patres antiquissimi S. Scripturae, et oretenus ab Apostoli traditae doctrinae fideliter inhaerentes, Divinitatem Christi clare profitentur, dum ipsi nomen Dei, attributa, et opera divina, atque cultum divinum adscribunt.

1. Saeculo primo *S. Clemens Rom.* (2) inquit: « Fratres, ita oportet nos sentire de Christo, tamquam de Deo, Iudice vivorum et mortuorum. » *S. Barnabas* (3) de Christo dicit: « Dominus sustinuit pati pro anima nostra, cum sit orbis terrarum Dominus, cui dixit Deus ante constitutionem saeculi: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » In eadem epistola statim ab initio de Christo Salvatore dicitur: « Ad extremum

(2) Ep. 2 ad Cor. n. 1. (3) In Epist. n. 5.

docens Israëlem, atque tam magna prodigia et signa faciens..... palam fecit, se esse Filium Dei. Nisi enim venisset in carne, quomodo servati fuissemus nos homines? » et (1) addit: « In nomen Domini facti sumus novi, iterum ab integro creati, quare in domicilio nostro vere Deus existit, habitat in nobis, quomodo? — Quare si cupit esse salvus, non in hominem respicit, sed in eum, qui in homine habitat, atque loquitur : » quibus verbis Christus tum Filius Dei, tum Deus appellatur, qui homo factus nobiscum habitat, et ad nos loquitur. - *Hermas*, cuius mentio fit Rom. XVI (2), scribit: « In servili conditione non ponitur Filius Dei, sed in magna potestate, et imperio. » Et (3) inquit: « Filius quidem Dei omni creatura antiquior est, ita ut in concilio Patri suo affuerit ad condendam creaturam; » et (4) addit: « Nomen Filii Dei magnum et immensum est, et totus ab eo sustentatur orbis: » Atqui qui in servi conditione non ponitur, Deus est, omne enim, quod non est Deus, Deo serviat necesse est; qui immensus et omni creatura antiquior est, Deus est; qui condidit et sustentat orbem, Deus est; qui affuit Patri socius in condendo orbe, est cum Patre Deus, et sub aliqua ratione, nempe ut persona, a Patre distinctus. *S. Ignatius M.* saepius Iesum Christum Deum appellat; sic alibi (5) scribit: « Deus noster Iesus Christus in Patre existens magis apparet, » et inferius: « Opto vos valere in Deo nostro Iesu Christo, » et iterum: « Sinite me imitatorem esse passionis Christi Dei mei. » Alibi (6) ait: « Unus est medicus, carnalis et spiritualis, factus et non factus, in carne existens Deus, in morte vita vera, et ex Maria, et ex Deo... Iesus Christus Dominus noster. » Aeternitatem ei tribuit (7), vocans Christum eum, « qui est super omne tempus - sine tempore » et (8): « Iesus Christus ipsius (Dei) Verbum aeternum. » Cultum divinum Christo attribuit (9) his verbis: « Glorifico Iesum Christum Deum. »

(1) N. 16.
(2) In lib. Pastor l. 3 similitud. 5 n. 6.
(3) Similitud. 9, n. 2. (4) N. 14.
(5) Ep. ad Roman. n. 3.
(6) Ep. ad Ephes. n. 7.
(7) Ep. ad Polycarpum.
(8) Ep. ad Magnesian. n. 8.

2. Saeculo secundo *S. Polycarpus* in Epist. Ecclesiae Smyrn. (10) et in eadem (11) de Christo dicitur: « Illum siquidem, ut Filium Dei adoramus. » Ap. Ruin. (12) vocat Christum « aeternum Pontificem, omnipotentem Iesum, » et (13) ipsi eandem gloriam tribuit, ut Deo Patri - *S. Iustinus M.* (14) reprehendit illos, qui negant, Christum « Filium esse Patris universorum, qui cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est, ac prius quidem Moysi, et caeteris Prophetis in specie ignis, et imagine incorporea visus est, nunc autem Augusti temporibus ex Virgine homo factus. » Et (15) docet, Iesum Filium Dei non esse hominem tantum, sed modo singulari et a communi creatione diverso genitum ex Deo. Apol. 2 (16), de Christo disserens, ait: « Porro Filius eius, qui solus proprie dicitur Filius, Verbum simul cum illo (Patre) existens, et nascens, per quod cuncta condidit, et creavit. » In dialogo cum Tryphone (17) dicit, se vaticinia prolaturum esse, ut ostendat, « quod Christus et Deus, et Dominus exercituum, et Iacob in parabola (i. e. quia Iacob Messiae figura fuit) a Spiritu sancto appellatus sit. » Ideo (18) ait: « Verba Ps. XLVI, 6, etc.

(9) Ep. ad Smyrnaeos, n. 7.
(10) De martyr. S. Polycarpi n. 14.
(11) N. 17. (12) Act. mart. (13) Ibid.
(14) Apol. 1, n. 63 (15) Ibidem n. 22.
(16) N. 6. (17) N. 36. (18) N. 37.

de Christo pronuntiata sunt: *Ascendit Deus in iubilo, et Dominus in voce tubae. Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis terrae Deus, psallite sapienter. Regnabit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam etc.*» Simili modo divinitatem Christi ex aliis vaticiniis probat, et dicit, Iudaeos longe aberrare, qui haec de Christo exponere recusant: quos alloquens (1) concludit: « Si dicta Prophetarum intellexissetis, non inficiati essetis, illum (Christum) esse Deum, singularis, et ingeniti, ineffabilisque Dei Filium: » et (2) addit, « Christum Dominum, et Deum esse: » ait quoque: « Adorandus est Deus, et Christus. » Generationem quoque Filii eiusque consubstantialitatem cum Patre clarissime tradit (3), dicens: Primitus ante creaturas omnes Deum genuisse ex se virtutem quamdam rationalem, quae quidem et gloria Domini a Spiritu sancto vocatur, nonnunquam autem Filius, aliquando Sapientia, quandoque Angelus, interdum Deus, aliquando Dominus et Verbum. Qualem generationem in nobis quoque quodam videmus fieri modo. Verbum enim aliquod proferentes, verbum gignimus, non per resectionem, ita quod in nobis proferentibus est, imminuatur verbum. Et quomodo in igne videmus alium fieri, non decrescente illo, unde facta est alterius accensio, sed in eodem statu permanente, quippe qui ex ipso incenditur, et ipse apparet, non imminuens illum, unde est succensus. Cuius rei mihi testimonium est Verbum sapientiae, ipse ille Deus, ex Patre universorum genitus, qui etiam Verbum, et Sapientia, Virtus et Gloria Creatoris dicitur. » Denique S. Pater, ut eorum opinionem confutaret, qui vim illam Patris negabant subsistens quiddam esse, ac solidum, sed efficientiam dumtaxat neutiquam ab eo persona distinctam asserebant, quemadmodum lucem solis in terra esse dicimus, (4) dicit: « Virtutem illam esse Dei, ac Deum a Propheta nuncupari, non ita ut solis lux solo vocabulo numeratur, sed numero alterum quiddam esse (i. e. aliam personam, a Patre distinctam); non tamen recisione, tanquam Patris substantia secetur.... quemadmodum in igne videmus alium fieri, non decrescente illo, unde facta est alterius accensio. » In quae verba *Petavius* (5) ait: « Quid ad hanc professionem fidei, ac Trinitatis potest adiici? aut quid in Nicaeno ipso Patrum consessu, vel post ipsum expressius, significantius, efficacius proditum est? nam solemni illi formulae, quae ibi constituta est, *Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero,* praeivit Iustinus sententia ista, ex qua et τὸ ὁμοούσιον hoc est substantiae sine ulla partitione communio et identitas efficitur. » — *Auctor* Epistolae ad Diognet, quae etiam S. Iustino adscribi solet, egregium pro divinitate Christi testimonium fert; ait enim: « Deus qui est omnipotens, et omnium Conditor, ac invisibilis, e coelis veritatem, ac Verbum sanctum ac incomprehensibile inter homines locavit — non quemadmodum aliquis coniicere possit, misso hominibus ministro aliquo, aut Angelo, aut principe, sed ipso opifice et creatore omnium.... Hunc ad eos misit, tanquam rex mittens Filium, misit tanquam Deum, ad homines misit.... Filium suum unigenitum misit... qui ab initio erat etc. » *Athenagoras* (6) inquit: « Filius Dei

(1) N. 126. (2) N. 128. (3) N. 61.

(4) N. 126. (5) Praefat. ad Tom. 2, c. 3 n. 1.
(6) Legat. pro Christ. n. 10.

Digitized by Google

est Verbum Patris in idea et efficacia, ab ipso enim et per ipsum facta sunt omnia, cum Pater et Filius unum sint, ita, ut Filius sit in Patre, et Pater in Filio per unionem Spiritus, siquidem mens et Verbum Dei Filius Dei est; » et inferius Dei Filium vocat « primigeniam Patris progeniem, quae facta non est, » eundemque etiam Deum appellat. — *Tatianus*, Iustini Discipulus (1), nominat Spiritum sanctum « ministrum Dei passi; » et (2) ait: « Non desipimus, o Graeci, neque nugas vobis proferimus, Deum sub hominis forma natum annuntiantes. » *S. Irenaeus* (3) dicit: « Christo Iesu, Domino nostro, et Deo et Salvatori, et Regi secundum placitum Patris invisibilis omne genu curvetur. » Alibi (4) ait: « Semper coëxistens Filius Patri olim, et ab initio semper revelat Patrem. » Dein (5) scribit: « Nemo igitur alius Deus nominatur, nisi qui est omnium Deus, et Dominus, qui et Moysi dixit: *Ego sum, qui sum*, et huius Filius Iesus Christus. » Et (6): « Nil comparabitur Verbo Dei per quem facta sunt omnia, qui est Dominus noster Iesus Christus. » Et (7): « Si ergo natus est, non erat ante Christus? - ostendimus, quia tunc non coepit Filius Dei, existens semper apud Patrem. » Et (8): « Ipse proprie Deus, et Dominus, et rex aeternus, et unigenitus: » Et (9): « Filius Dei, qui Deus est... quoniam Deus, et quoniam in Bethlehem adventus eius.... Deus igitur homo factus est. » — *Theophilus Antioch.* (10) scribit: « Deus existens Λόγος, utpote ex Deo progenitus. » Ait (11), Ethnicos praemia et honores decernere Christianis, « qui sonora voce Deum contumeliis afficiunt: » atqui Christiani non compellebantur ab Ethnicis supremum Deum, Patrem omnium, primam rerum omnium causam negare, vel contumeliis afficere, sed Christum. — *Clemens Alex.* (12) ait: « Hic ergo Verbum Christus, et ut nos olim essemus, erat enim in Deo, et ut bene essemus, in causa fuit. Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo, Deus et homo; » dein loquitur de incarnatione, ac iterum Christum nominat « Verbum divinum, qui manifestissime est verus Deus. » Item (13) dicit: « Aeternus hic est Iesus; » et (14) dicit Filium Dei « tempore et principio carentem... sine principio existentem. » Loquens de Verbo incarnato, seu de Christo exclamat (15): « O magnum Deum! o perfectum puerum! Filius in Patre, et Pater in Filio; » et postea subiungit: « Scriptura Deum, qui est Verbum, qui propter nos homo factus est, qui nobis in omnibus assimilari volebat, vocavit Agnum Dei, Filium Dei infantem Patris. » Et (16) ait: « Paedagogus noster sanctus Deus Iesus: » et (17) inquit: « Nihil ergo odio habet Deus, sed neque Verbum; Alibi utrumque enim unum est, nempe Deus. »

3. Saeculo tertio *Tertullianus* (18) ait: « Pauca de Christo ut Deo. — Hunc ex Deo prolatum didicimus, et prolationem generatum, et idcirco Filium Dei, et Deum dictum unitate substantiae... de Deo Deus ut lumen de lumine accensum.... quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius, et unus ambo, et de Spiritu Spiritus, et de Deo Deus, ut lumen de lumine. » Idem (19) dicit: « Solum autem

(1) Adv. Graecos n. 13. (2) Ibid. n. 21.
(3) L. 1 adv. haer. c. 2. (4) L. 2 c. 55.
(5) L. 3 c. 6. (6) Ibid. c. 8.
(7) C. 20. (8) C. 22. (9) C. 23.
(10) L. 2 ad Autol. n. 10. (11) Lib. 3.

(12) In cohortat. ad Gentes c. 1.
(13) In eod. lib. (14) L. 4 Strom. c. 7.
(15) Lib. 1 Paedagog. c. 5. (16) Cap. 7.
(17) Lib. ult. Paedag. (18) Apol. c. 21.
(19) Adv. Prax. c. 13.

Digitized by Google

Christum potero Deum dicere, unius, et individuae substantiae cum Patre: » et (1): « Dei non duo dicuntur, nec Domini, sed qua Pater et Filius duo, et hoc non ex separatione substantiae, sed ex dispositione, cum individuum et inseparatum Filium a Patre pronuntiamus: » et (2): « *Ego, et Pater unum sumus* ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem pertinet. » — *Origenes* (3), ubi de Magis loquitur, Christum vocat Deum cui eo nomine thus obtulerunt. Et (4) his qui obiiciebant a Christianis hominem ut Deum coli, respondet: « Sciant isti criminatores, quem ab initio Deum, Deique Filium credimus, eum esse Verbum ipsum, Veritatem ipsam, Sapientiam ipsam. » Et (5) obiicienti Celso, etiam Christianos plures Deos colere, cum et ipsi Christum a Patre distinctum pro Deo haberent, reponit Origenes, Christianos non plures adorare Deos, quia Pater et Filius sunt unus et idem Deus: « Unum igitur Deum, Patrem et Filium colimus: » et observandum est, Origenem his in locis non suam dumtaxat, sed omnium Christianorum de divinitate Christi fidem contestari, dicendo: « credimus, colimus. » *S. Cyprianus* (6) scribit: « Habemus advocatum et deprecatorem pro peccatis nostris Iesum Christum et Dominum, et Deum nostrum. » Alibi (7) ait: « Quae erit gloria, et quanta laetitia, admitti.... ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis aeternae gaudium capias. » Alio loco (8) inquit: « Filius Dei mittitur.... hic in Virginem illabitur.... Deus cum homine miscetur; hic Deus noster, hic Christus est » (9). *Lactantius* (10) ait: « Cum dicimus Deum Patrem, et Deum Filium non diversum dicimus, nec utrumque secernimus, quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius a Patre secerni (i. e. segregari).... una utique mens, unus spiritus, una substantia est. » — *Arnobius* Afer (11) ait: « Ideo Christus, licet vobis invitis Deus, Deus inquam Christus, hoc enim saepe dicendum est, ut infidelium dissiliat et disrumpatur auditus, Dei principis iussione loquens sub hominis forma. » — *S. Dionysius Alex.* (12) inquit: « Unus est Christus, qui est in Patre, coaeternum Verbum, una eius persona, Deus invisibilis et visibilis factus. Deus enim apparuit in carne natus ex muliere, qui erat ex Deo Patre genitus ex utero ante luciferum: » idem (13) vocat Christum « increatum et creatorem: » *Patres Synodi Antiochenae* (14) dicunt de Christo: « Hunc autem Filium Unigenitum.... Verbum, ac virtutem Dei ante saecula non praecognitione, sed substantia, et hypostasi Deum cum in veteri, et novo Testamento cognoverimus, confitemur, et praedicamus. » Denique *S. Felix*, Romanus Pontifex (15) scribit de Christo: « Cum perfectus Deus esset, factus est simul homo perfectus ex Virgine incarnatus » (16).

Nota. Ex allatis iam testimoniis satis constat, Patres antenicaenos divinitatem Christi clare professos esse. Sed tamen adversarii contrarium ostendere tentant, et variis Ss. Patrum sententiis abutuntur, ut probent, eosdem illam de divinitate Christi fidem nullatenus habuisse, quae in concilio Nicaeno I definita fuit. *Petrus Jurieu* eo usque temeritatis ve-

(1) C. 19. (2) C. 25. (3) L. 1 c. Cels.
(4) Ibid. lib. 3, n. 41. (5) L. 8, n. 12.
(6) Ep. 3. (7) Ep. 56 de exh. martyr.
(8) L. de Idol. vanit. n. 7.
(9) Cf. Epist. 74. (10) Div. inst. l. 4 c. 29.
(11) L. 2 adv. Gent. c. 29.
(12) In Ep. ad Paul. Samos.
(13) Ibidem. (14) In Epist. ad Paul. Samos.
(15) Ep. ad Maxim. Ep. et Cler. Alex.
(16) Cf. Klupfel § 29. Klee, p. 146, etc.

Digitized by Google

nit. ut diceret, Arii doctrinam omnium Theologiam, nemine excepto, ante Nicaenum synodum fuisse. Ipse quoque *Petavius* (1) fidem multorum Patrum ante-nicaenorum suspectam facit. Ast ad omnes difficultates, quae ex dictis Patribus contra catholicum de divinitate Christi dogma petuntur, solvendas, ea omnia attendere oportet, quae iam § 73, nota 3 observata fuerunt. Nimis sane longum esset, omnia loca, quae ab adversariis male exponuntur, in medium proferre, declarare, et doctrinae catholicae consona ostendere. Id iam praestiterunt clarissimi Theologi *Tournely* (2), *Herminier* (3), *Billuart* (4), *Berti* (5), *Bossuet* et alii. Necessarium tamen in re tanti momenti nostris praecipue temporibus esse videtur, ut praecipuae saltem difficultates, quae ex antenicaenis Patribus nobis opponi solent, in medium proferantur atque solvantur.

Obi. I. Patres antenicaeni Christo aeternitatem abiudicant; dicunt enim Dei Filium, seu Verbum non ab aeterno, sed ante res caeteras fuisse prolatum, seu genitum a Deo, ut per istud hanc rerum universitatem conderet. Ita sentiunt *Athenagoras* (6), *Tatianus* (7), *Theophilus Antioch.* (8), *Tertullianus* (9), *Hippolytus* (10).

Resp. Citati Patres duplicem Verbi generationem distinguunt, unam internam, et proprie dictam, qua Verbum ab aeterno erat veluti in sinu Patris inclusum; alteram externam, metaphoricam, seu improprie dictam, quando Verbum quasi ex Patre foras prodiit in rerum creatione. Comparatio a creatis sumpta est. Sic in homine existit cogitatio, seu Verbum in mente conceptum, quod tamen proprie verbum, aut sermo non appellatur, nisi quando exterius profertur, quod in mente latebat. Sic homo in utero matris latens verus quidem homo est, et propriam habet subsistentiam, at filius proprie non dicitur, nisi dum fuerit per partum editus. Quando ergo Patres dicunt, Verbum prodiisse, seu productum esse a Patre, dum mundi creationem decerneret; loquuntur de generatione externa, seu de manifestatione Verbi, nullatenus autem negant generationem internam, sed hanc ut aeternam ipsi quoque admittunt atque defendunt. Hunc fuisse Ss. Patrum sensum ex ipsorum dictis rite perpensis apparet. Sic *Athenagoras* (11) dicit: « Quidnam sibi velit hic Dei Filius paucis dicam. Primogenia hic est Patris progenies, quae non ut facta, (a principio enim Deus, qui est aeterna mens, habuit ipse in seipso Λόγον, cum aeternum sit λογικός), sed ita, ut, cum producenda erant coelum et terra, et ea, quae in eis sunt, idea et energia eorum esset, prodierit. » *Theophilus Antioch.* (12) dicit: « Non erant prophetae, cum mundus crearetur, sed sapientia Dei, quae in ipso est, sermoque (Λόγος) eius sanctus ipsi semper praesto erat » quod probat ex proverbiis, et Io. I, 1, ac inferius addit: « Antequam quidquam eorum, quae facta sunt, fierent, hunc (Λόγον) Consiliarium habuit, ut qui mens, et prudentia eius foret. Cum vero iam condere, quae deliberaverat, instituisset, hunc sermonem genuit prolatum, primogenitum omnis creaturae: » quibus verbis solummodo externam generationem innuit, cum apertissime doceat, Verbum iam prius in ipso Patre extitisse, et aeque

(1) L. 1 de Trin. c. 3, 4 et 5.
(2) T. 2. quaest. 4 art. 2 sect. 4.
(3) T. 2, p. 120 ed. Venet.
(4) T. 2 diss. prooem. art. 3. (5) Lib. 8.
(6) In Legat. n. 10. (7) Or. c. Graecos.
(8) L. 2 n. 19. (9) C. Praxeam c. 7.
(10) L. de Antichr. n. 30. (11) L. c.
(12) L. 2 ad Autol.

aeternum esse, ut ipsam mentem divinam. — *Tertullianus* (1) ait: « Sermo (seu Verbum) et in Patre semper, sicut dixit: *Ego in Patre*, et apud Patrem semper, sicut scriptum est: *et Verbum erat apud Deum*, et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia *ego, et Pater unum sumus.* » Quid ergo sibi voluit, dum (2) dixit, tunc perfecte genitum Filium, cum dixit Deus: *Fiat lux;* nisi tunc externe manifestatum? » — Optime autem omnem difficultatem adimit ipse *Hippolytus*, qui (3) dicit, quod ante mundi constitutionem « nihil erat praeter ipsum (Deum), ipse solus multus erat, nec erat sine ratione (τῷ λόγῳ), sine sapientia, sine potentia, sine consilio, omnia erant in eo, ipse erat omnia. Quando voluit, et quomodo voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis, per quod omnia fecit... quod Verbum, cum in se haberet, essetque mundo creato inadspectabile, fecit adspectabile, emittens priorem vocem, et lumen ex lumine generans. »

Obi. II. Patres quidam expresse docuerunt, Filium etiam quoad naturam divinam esse Patre inferiorem, ad quod probandum provocarunt ad verba Christi dicentis: *Pater maior me est*. Sic *Tertullianus* (4) ait: « Pater tota substantia est, Filius vero derivatio totius, et portio, sicut ipse profitetur: *Pater maior me est*: » *Origenes* (5) inquit: « Non deesse quosdam, qui temere affirment, quod servator sit ille universorum Deus: - nos certe hoc non facimus, qui credimus ipsi dicenti: *Pater maior me est*. » *Clemens Alex.* (6) dicit: « Beneficentissima est natura Filii, quae soli omnipotenti propinquissima est: » ergo non aequalis et ideo Filius non est Deus.

Resp. Patres qui Patrem Filio maiorem appellarunt, nihil aliud ea phrasi voluerunt, quam quod ipsum concilium Nicaenum exprimit his verbis: *Deus de Deo*, quibus insinuatur, Patrem inter et Filium ordinem esse intuitu principii, non praecellentiam aevi, potestatis et dignitatis. Quamquam igitur natura divina et Patri et Filio competat, est tamen id discriminis, quod Pater sit solus etiam hypostatice αὐτόθεος, i. e. etiam ratione personalitatis a seipso Deus; Filius autem ratione originis et processionis, ut divina hypostasis, a seipso non est, sed a Patre. Etiam alii Patres, de quibus nemo dubitat, quod divinitatem Filii et firmiter crediderint et strenue defenderint, Patrem Filio maiorem dixerunt, in quantum improprie aliquis altero prior origine, eo dicitur maior; Pater enim ingenitus est, Filius autem, quamvis eidem consubstantialis, ab ipso tamen per generationem procedit. Ita dogmatizarunt *Alexander Alex. Ep.* (7), *Concil. Sardicense* (8), *S. Athanasius* (9), *S. Chrysostomus* (10), *S. Cyrillus Alex.* (11) et alii (12). Eodem sensu etiam Patres antenicaeni Patrem Filio maiorem dixerunt, quin tamen huius divinitatem et consubstantialitatem negarent. Quamvis enim illo tempore non sat accuratis terminis uterentur, ipsorum tamen dicta talia non sunt, ut adversariorum opinionem confirment. Sic *Tertullianus* (13) totam substantiam Patri tribuit, Filium autem portionem Patris nominat, sed portionis nomen pro derivatione vel emanatione, quam nos processionem

(1) C. Prax. c. 8. (2) C. 7.
(3) C. haer. Noëti cap. 10.
(4) C. Prax. c. 9. (5) L. 8 c. Cels.
(6) L. 1 Strom.
(7) Ad Alex. Episc. ConstPtanum.
(8) Ep. Synod. quam refert Theodoretus l. 2, c. 8 (9) Or. 2 c. Arian.
(10) Hom. 75 in Io. (11) L. 2 Thesaur.
(12) V. Petav. l. 1 de Trin. c. 2. (13) L. c.

dicimus, usurpat, quae derivatio totius sit substantiae in Filio. Nec enim ignorare poterat vir doctissimus, quod et rudes sciunt, divinam substantiam simplicissimam esse et individuam, ex qua nulla portio rescindi possit, sed quae aut tota communicetur, aut nulla modo. Totam autem Filio communicari, et hunc ratione substantiae Patri omnino aequalem esse, Tertullianus in variis locis docet; ait enim (1): « Patrem Filio se non minori tradidisse omnia. » Et (2): Filium « parem sibi faciens Pater. » *Origenis* sententia a nonnullis ut Ariana censurata fuit, sed tamen catholice exponi potest. Nam agit contra Noëtianos, qui volebant, Filium esse Deum Patrem, quem illius temporis scriptores his vocibus « universorum Dominum » significabant; unde ut eos, qui personarum distinctionem negabant, refelleret, asseruit, Verbum non esse illum universorum Deum, sumendo Deum pro persona Patris. Quod sic debeat, intelligi Origenes, patet ex eo, quia in aliis locis satis clare Christi divinitatem et consubstantialitatem confitetur. *Clemens Alex.* in citato loco naturam usurpat pro persona Filii, quae ideo dicitur Patri propinquissima, nimirum ordine originis, quia prima procedit a Patre. Porro quod naturam pro persona usurpet, constat, tum quia apud Veteres vox οὐσία, seu natura sumebatur etiam pro persona, tum quia alias tam eruditus et subtilis vir sibi contradixisse dicendus esset, qui de Patre et Verbo dixit: « Utrumque enim unum est, nempe Deus. »

Obj. III. Antiqui Patres hinc inde Filium dicunt a Patre, seu supremo Deo factum, aut productum, et idcirco Patrem conditorem, aut causam Filii nominant: praeterea Filium administrum vocant Dei universi conditoris, et eius veluti instrumentum: denique testantur, Christianos Filium Dei secundo loco habere et venerari. Talia docet *Iustinus* (3).

Resp. Dum Patres Filium a Patre factum, productum etc. dicunt, nonnisi aeternam eiusdem generationem praedicant; nam facere apud Graecos idem est ac gignere; imo et inter Latinos *Tertullianus* haec verba, nasci et condi, promiscue usurpat. Sic etiam dicitur Pater Filii causa, non creatione, sed generatione, non prioritate naturae, aut temporis, sed originis. Idem est apud Veteres, Patrem Filii esse causam ac esse principium, quia Filius reipsa est a Patre genitus, licet non factus, nec creatus. Etiam post concilium Nicaenum nonnulli Patres graeci, qui consubstantialitatem Filii strenue defenderunt, ut *S. Basilius* (4), *Gregorius* Naz. (5), *Damascenus* (6), Patrem Filii causam nuncuparunt, per causam illud idem intelligentes, quod Latini melius per principium exprimunt. – Si Patres dicunt, Verbum divinum in rerum creatione Patri ministrasse, et si illud Patris administrum, vel etiam instrumentum vocant, cavendum est, ne instrumentum intelligatur Deo externum, aut administer inferior Deo universorum conditori. Longe id erat a Patrum illorum doctrina, qui solummodo ad captum humanum declarare voluerunt, Patrem omnia creasse per Filium suum, cui per aeternam generationem essentiam et omnipotentiam communicavit, et qui ipsa sapientia Patris nominari solet. Nullatenus ergo ideo divinitatem Verbi negabant, uti etiam ex eorundem scriptis apparet. Sic Auctor Ep. ad Dio-

(1) L. 4 c. Marcion. c. 25.
(2) C. Prax. c. 7. (3) Dial. c. Tryph.
(4) L. 1 c. Eun. (5) Or. 29.
(6) L. 3 orth. fid. c. 5.

gnet. ait: « Omnium conditor Deus Verbum suum inter homines locavit... non quemadmodum aliquis coniicere possit, misso hominibus ministro aliquo, sive Angelo; sed ipso opifice et creatore omnium... tanquam rex mittens filium regem, misit tanquam Deum. » *S. Irenaeus* contra Gnosticos, qui mundum ab Angelis fabricatum esse dicebant, idque praeter summi Dei voluntatem, probat, mundum a summo Deo conditum esse per suam ipsius progeniem. Praecepit igitur Verbo, ut mundus fieret, non ut Dominus servo, sed ut Pater Filio: unde (1) ait: « Hic Pater, hic Deus, hic conditor, hic factor, hic fecit ea per semetipsum, hoc est, per Verbum et sapientiam suam. » — Si Iustinus testatur, Christianos Filium secundo loco habere et venerari, id non ratione naturae et dignitatis, sed ratione originis asserit, quia Filius a Patre genitus est, atque ideo S. Pater nil aliud dicit, nisi quod omnes veri Christiani profitentur, scilicet, Filium esse secundam Trinitatis personam. Iustinus, si Filium ut verum Deum non habuisset, nullatenus ei aequalem cum Patre latriae cultum in Apol. 2 attribuisset.

Obi. IV. Constat ex veterum scriptis, negasse ipsos Filii Dei immensitatem atque invisibilitatem, hasque proprietates soli Patri tribuisse. Ita enim fere argumentati sunt: In V. T. saepe dicitur Deus apparuisse: is autem non erat Angelus creatus, quoniam Iehova appellatur; nec Deus Pater, quia immensus est, et invisibilis, neque, ut loquitur *Iustinus* (2), censendum est, Patrem « reliquisse supercoelestia omnia, et in pusilla terrae parte se exhibuisse; » superest itaque, velut infert (3), ut ille descenderit, qui dicitur Dei Filius, Dei Verbum. Ita cum Iustino arguunt *Tertullianus* (4), *Theophilus Antioch.* (5), *Irenaeus* et alii. Ergo Patres Filium etiam quoad essentialia attributa, et quoad ipsam naturam a Patre distinctum credebant.

Resp. Dum Veteres Patrem immensum et invisibilem, Filium vero visibilem appellant, non loquuntur de natura Filii divina, quam non negant, sed de natura humana, quam per incarnationem suscepturus erat. Putabant enim, apparitiones omnes Dei in V. T. ad oeconomiam referri, quam suscepit Filius Dei: quae oeconomia Patri, quippe qui nullo ortus est principio, nequaquam conveniat, neque missus, aut mittendus dicatur in S. Litteris. Arbitrati sunt praeterea iidem Patres, eas apparitiones, quae in V. T. commemorantur, praeparationes fuisse quasdam ad Verbi incarnationem. Imo in ea quoque sententia fuerunt, quod Deus, cum loqueretur Prophetis et Patriarchis, Filium suum miserit in eo humana figura, quam assumpturus erat in incarnatione. — Patres solum quoad naturam humanam visibilitatem tribuere Filio Dei, divinitatem autem eius haud negare, ex eorundem scopo elucet. Haereticos enim illorum temporum impugnare studuerunt, qui negarunt, Filium Dei esse in persona distinctum a Patre. Ut autem hanc distinctionem evincerent, recurrerunt ad incarnationem, ad quam etiam Theophanias referebant, et quae non Patri, sed soli Verbo adscribitur: quibus positis sic fere argumentati sunt: praeter illum invisibilem, immensum et ineffabilem Deum universi conditorem, alius quoque dicitur Deus, qui se visibilem ostendit Patriarchis et Prophetis: hic autem non

(1) L. 2 c. 55.
(2) Dial. c. Tryph.
(3) Ibidem.
(4) Adv. Prax. c. 16.
(5) L. 2 ad Autol.

Google

est Pater, cuius natura invisibilis est, sed Filius qui visibilem naturam assumere voluit: ergo persona Dei Filii distinguitur a persona Dei Patris. - Si allata Patrum dicta non ita intelligerentur, sequeretur quod sibimet turpissime contradixissent, et quod *Iustinus M.* etiam Deo Patri immensitatem, seu omnipraesentiam denegasset.

Obi. V. *Artemon*, qui initio saeculi III vixit, teste *Eusebio* (1), affirmavit: « Priscos omnes, ipsosque Apostolos, docuisse, Christum esse purum hominem, et praedicationis veritatem esse custoditam usque ad tempora Victoris: a tempore autem Zephirini Papae, qui Victoris successor fuit, immutatam fuisse antiquam fidem. »

Resp. Id quidem asseruit Artemon haereticus, sed insani hominis calumniam, illo adhuc vivente, confutavit *Caius* Presbyter romanus, qui tractatum scripsit contra Artemonis haeresin. De hoc *Caio* sic habet Photius(2): « De Christo vero Deo aptissime loquitur; quando et ipsam Christi appellationem ipsi tribuit, et inenarrabilem ex Patre generationem. » Porro praecipua argumenta, quae *Caius* contra Artemonem urget, haec sunt: Christi divinitas clare in S. Litteris et scriptis antiquissimorum Patrum adstruitur: celebratur in hymnis et canticis longe ante Victoris tempora conscriptis: Victor ipse Theodatum coriarium, qui primus Christum nudum hominem esse asseruit, a communione Ecclesiae eiecit (3).

II. *Ex aliis ecclesiasticis monumentis.*

§ 90. Iesum Christum iam in tribus primis saeculis a Christianis orthodoxis ut verum Deum habitum fuisse, probari etiam potest 1° *ex symbolis*, 2° *ex cultu divino, publice eidem exhibito*, 3° *ex confessionibus Martyrum*, 4° *ex accusationibus Gentilium, et Iudaeorum*, 5° *ex haereticis et eorum condemnatione, et in specie*, 6° *ex historia haeresis arianae.*

1. Divinitatem Christi non obscure iam *in symbolo apostolico* exprimi, superius (§ 74 n. 2) notatum est. Dicitur enim in isto Iesus Christus Filius Dei *unicus*, per quod satis declaratur, ipsum non esse Filium Dei adoptivum, sed naturalem et consubstantialem: idem confirmatur per sequentia verba: *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos, et mortuos*, cum tamen in V. T. (4), solus verus Deus iudicaturus praenuntietur. In *Symbolo S. Gregorii Thaumaturgi*, quod in maximo honore antiquis temporibus habebatur, divinitas Iesu Christi clare exprimitur. Celebre quoque est illud quod exhibent *Constitutiones Apostolicae*(5) ubi sic fides in Christum exprimitur: *Et in unum Dominum I. Chr. unigenitum eius Filium, qui ante saecula beneplacito Patris genitus est, non creatus, per quem omnia facta sunt in coelis, et in terra, visibilia, et invisibilia* etc.

2. Cultum divinum a Christianis Iesu Christo publice exhibitum fuisse, etiam gentiles scriptores attestantur. Sic Plinius iunior (6) ad Traianum de Christianis scribit: « Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae, vel erroris, quod fuissent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, tanquam Deo, dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne adulteria, ne latrocinia committerent. » — *Lucia-*

(1) L. 5 Hist. c. 28. (2) Cod 48
(3) Cf. Euseb. Caes. l. c.

(4) Ps. 95. 13, Ps. 97, 9. (5) L. 7, c. 4.
(6) L. 9, Epist. 97.

nus (1) de Christianis scribit: « Deos Graecorum abnegant, at hunc suum crucifixum Sophistam adorant, et eius mandata observant. » *Celsus* (2) obiecit Christianis primaevis: « Deridetis eos, qui Iovem adorant, quia eius sepulcrum Cretae visitur; attamen vosmetipsi hominem illum, qui sepultus est, qua Deum adoratis; » quibus verbis Celsus cultum a Christianis Christo exhibitum comparat cum cultu, quem Gentiles Iovi, supremo suo Deo, exhibebant. Christum ut Deum in primaeva Ecclesia glorificatum fuisse, testatur etiam *Eusebius*, qui (3) dicit: « Psalmi quoque et cantica fratrum iam pridem a fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo. » *Tertullianus* (4) de Christo ait: « Ubique creditur, ubique regnat, ubique adoratur... omnibus Rex, omnibus Iudex, omnibus Deus et Dominus est. » *Arnobius* (5) inquit: « Christum coli, et a nobis accipi, et aestimari pro Numine, vulneratis accipiunt auribus. » His accedit antiquissima consuetudo, in fine orationum Christum ut Deum laudandi, uti e. g. in pass. *S. Symphoriani* n. 4 legitur: « Regnante Domino Nostro Iesu Christo, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. » Simili doxologia *Clemens Alex.* (6) et *Origenes* fere omnes suas homilias concludit, atque etiam *Melito* in apologetico apud auctorem chronici paschalis his affinia habet.

3. *Ss. Martyres* suam de divinitate Christi fidem publice confessi sunt, ita ut pro hac confessione omnia supplicia et ipsam mortem sustinere non dubitarint. *In Actis S. Ignatii*, qui Theophorus, seu Deifer dicebatur, cum interrogasset *Traianus*: « Quis est Theophorus? » — Ignatius respondit: « Qui Christum habet in pectore... Unus est Deus... et unus est Christus Iesus Filius Dei unigenitus. » *In Act. Symphorosae* et 7 filiorum, an. circ. 120 B. Symphorosa indici, dicit: « Dii tui me in sacrificium accipere non possunt; sed si pro nomine Christi Dei mei incensa fuero, illos daemones tuos magis exuro. » *In Act. S. Felicitatis* et 7 fil; an. 150 respondit *Alexander*: « Ego servus Christi sum, hunc ore confiteor, corde teneo, incessanter adoro. Infirma autem aetas, quam cernis, canam habet prudentiam, si unum Deum colat. » Ibidem ait *Martialis*: « Omnes, qui non confitentur, Christum verum esse Deum, in ignem aeternum mittentur. » *In Act. S. Iustini* an. 167, S. Martyr ait: « Dominum Iesum Christum Dei Filium confitemur. Ego quidem homo imbecillis sum, et longe minor, quam ut de infinita illius Deitate aliquid magnum dicere possim. » *In Act Epipodii, et Alexandri*, circ. an. 178, S. Epipodius inquit: « Sempiternum Dominum nostrum Iesum Christum, quem crucifixum memoras, resurrexisse non nosti, qui ineffabili mysterio homo pariter, et Deus famulis suis tramitem immortalitatis instituit. » *In Act. Martyrum Scyllitanorum*, circ. an. 200, *S. Donata* dixit: « Honorem Caesari reddimus; timorem autem, et cultum Christo Deo vero praestamus. » *In Act. Petri, Andreae, et aliorum*, an. 200, Petrus Lampsacenus dixit: « Oportet me magis Deo vivo et vero Regi saeculorum omnium Christo sacrificium offerre orationis, deprecationis, compunctionis, et laudis. » *In Actis Nicephori*, circ. an. 260, S. Martyr profitetur: « Nos Christiani Christum Deum habemus

(1) De morte Peregrini, c. 13.
(2) Apud Origenem l. 3.
(3) L. 5 Hist. ecl. c. 28. (4) Adv. Iud. c. 7.
(5) L. 1 adv. Gent. c. 12. (6) Lib. Paedag.

Regem, quoniam est ipse solus verus Deus, et creator coeli et terrae. » *In Act. S. Felicis Nolani* haec legitur eiusdem professio: « Credimus in Dominum Nostrum Iesum Christum.... qui, cum perfectus Deus esset, factus est simul et homo perfectus, ex Virgine incarnatus.» *In Act. Victoris, Alexandri et Sociorum*, circ. an. 290 legitur: « Victor Iesum Christum Deum esse certa publice ratione confirmans etc., ait: Deus permanens homo factus apparuit.... omnipotens creator et auctor omnium.... Deus et Rex. » *In Act. Saturnini, Dativi et Soc.*, an. 304, Martyres conclamant: « Domine Iesu Christe! Christiani sumus; tibi servimus. Tu es spes nostra. Tu es spes Christianorum, Deus sanctissime, Deus omnipotens. » *In Act. Vitalis, et Agricolae*, circ. an. 304, *Vitalis* ita precatur: « Domine Iesu Christe, Salvator meus, et Deus meus. » *In Act. Theodori* Episcopi Iconii, circ. an. 305, Theodorus dixit: « Mihi vero Deus Christus. » *In Act. Quirini*, circ. an. 309, praeses interrogavit: « Quis hoc praecepit? » *Quirinus* Episcopus respondit: « Christus, qui verus est Deus.... semper nobiscum est et ubique fuerimus, Dominus, quem colimus, subvenire potest.... Ipse est in coelo, et in terra, et in mari. Ipse est in omni loco, omnibus autem superior, quoniam per ipsum cuncta facta sunt, et in ipso constant universa... Nec vestris legibus acquiesco, quia Christi Dei mei legitima servo, quae fidelibus praedicavi » (1).

4. Argumentum pro divinitate Christi peti etiam potest *ab accusatione Gentilium et Iudaeorum*, qui Christianis polytheismum, aut idololatriam obiecerunt. Ansam talia obiiciendi desumpserunt ex dogmate de divinitate Christi aut mysterio Trinitatis perperam intellecto. Quodsi Christiani non credidissent, Christum esse verum Deum, facillimum fuisset impactae criminationi respondere. Negassent scilicet, se credere, Christum esse verum Deum, et hac una confessione ora adversariorum obstruxissent. Sed alienissimi erant ab huiusmodi responso, et quod Christianorum omnium dogma certum erat, constanter professi sunt, asserentes, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum non esse tres Deos, sed unum Deum; Filium naturam humanam assumpsisse, quod naturali ratione demonstrari, aut plane intelligi posse negabant, credendum tamen affirmabant propter divinam S. Scripturarum auctoritatem. Humanam autem rationem non prorsus excederet incarnationis mysterium, si Christus, qui naturam nostram induit, in qua crucifixus est et mortuus, in ordinem rerum creatarum omnimode referendus esset, neque esset verus Deus. De hoc argumento conferendi sunt Religionis christianae Apologetae. Sic *Thrypho S. Iustino* obiecit: « Rem incredibilem, et quae omnino fieri non possit, demonstrare aggrederis, Deum nasci et hominem fieri dedignatum non esse: » Iustinus autem (2) respondet id vere factum esse, et ad id probandum testimonia S. Scripturae in medium profert. Idem fere legitur in *Tertulliano* (3), et in *Arnobio* (4). In l. 1 *Origenis* c. Celsum (5) quaerit per iocum Iudaeus, cur Christus in Aegyptum fugerit, cum Deum mortem timere non deceat; ait enim: « At metus mortis in Deum non cadit; an non potuit magnus ille Deus, qui iam duos propter te Angelos miserat, te proprium filium suum domi tutum

(1) Cf. Klüpfel § 29, l. 1, Klee p. 157, Perrone t. 2, n. 207.

(2) Dial. c. Thryph. n. 68. (3) L. 3, c. Marc. (4) L. 1, c. Gentes. (5) N. 66.

Digitized by Google

praestare? » Alibi similia obiicit (1). Num ad haec respondet Origenes, male a Iudaeo exponi doctrinam de divinitate Christi? Absit. Sed quo magis ille quaerebat impugnare hanc divinitatem proprie dictam, ipse eandem magis confirmare satagebat, distinguens in Christo duas naturas, divinam et humanam.

5 Fidem in divinitatem Christi iam in tribus primis saeculis in Ecclesia christiana viguisse, confirmatur etiam *ex historia haeresum*, quae illo aevo emerserunt. Adfuerunt ibi *Docetae* seu *Phantasiastae*, qui, teste Tertulliano (2), docuerunt: « Christum in substantia corporis non fuisse, et phantasmate tantum passum fuisse: » huius erroris a nonnullis auctor dicitur *Simon Magus*, quem secuti sunt *Menander*, *Saturninus*, et *Basilides*; certum vero est, ita aberrasse *Marcionitas* et *Manichaeos*. Ideo autem Docetae Christo verum corpus humanum abnegabant, quia putaverunt, corpus humanum tot miseriis obnoxium, personam divinam non decere. Divinitatem ergo Christi non negarunt, sed potius ipso suo errore fidem in illam contestati sunt: neque illorum temporum scriptores orthodoxi, ut istos haereticos confutarent, divinam Christi dignitatem obscurarunt, sed hac admissa, ex Scripturis eiusdem humanitatem probarunt, et incarnationem tanquam singulare divinae charitatis opus, Deo infinite bono dignissimum exhibuerunt, ut constat ex *Tertull.* (3). Idem colligere pronum est *ex condemnatione Sabellianae haereseos*. Apertum enim est, confessos fuisse Sabellii sectatores, Christum verum esse Deum, at negasse, alium esse a Patre. Ideo etiam qui ita sentiebant *Patripassiani* dicti sunt, ex qua denominatione patet, ipsos ita persuasos fuisse, verum Deum passum, crucifixum, mortuum esse, ut haec de ipso Patre praedicarent. Quia autem huius generis haeretici personam Patris a persona Filii non distinguebant, propterea condemnati impugnatique a Patribus, ac iussi sunt, praeter veram divinitatem Christi quam agnoverunt, una profiteri, esse Christum non sola cogitatione, nec solo nomine, sed realiter a Patre distinctum, quod orthodoxa fides docet, quemadmodum elucet ex accusatione *Dionysii Alexandrini*. — *Nazaraei* quoque teste *S. Hieronymo* (4), et *S. Augustino* (5), divinitatem Christi professi sunt: quodsi *Epiphanius* et *Theodoretus* de iisdem contrarium asserunt, vel hanc sectam parvam et obscuram non recte cognoverunt, vel, ut putat *Moshemius*, loquuntur de secta saeculo IV aut V exorta. — *Novatianos* quoque fidei in Christum Deum firmiter institisse, ex eo patet quia propter hanc confessionem *Valens*, Imperator Arianus, persecutiones in ipsos movit. — Extiterunt equidem iam in tribus primis saeculis nonnulli, qui divinitatem Christi negarunt: sed isti ut haeretici, seu ut dissentientes a recta universalis Ecclesiae fide, habiti et condemnati sunt. Sic *Cerinthus*, qui Christum hominem purum, ordinaria via ex Maria genitum, esse asseruit, a *S. Irenaeo* (6), ab *Eusebio* (7), et a *Theodoreto* (8) haereticis adnumeratur, iidemque scriptores narrant, S. Ioannem Evang. Ephesi ex balneo, ubi Cerinthum viderat, protinus aufugisse: testatur quoque *S. Hieronymus*, Ioannem suum Evangelium data opera

(1) N. 67, et ita passim.
(2) De praescr. c. 46. (3) L. de carne Chr.
(4) Ep. 80 ad August. (5) L. de haeres.
(6) L. 3 c. 5.
(7) L. 3, Hist. c. 38, et l. 4 c. 5.
(8) L. 2 haer.

contra Cerinthum scripsisse, ac ideo de divinitate Christi studiosius tractasse. — *Theodotus Coriarius*, qui Christi divinitatem negavit, a *S. Victore* Rom. Pontifice communione privatus fuit, ut refert *Eusebius* (1) — *Ebion*, *Carpocrates*, eorundemque sectatores, Christum purum hominem dicentes, semper ut haeretici habiti, et omni execratione digni reputati sunt, sicut testantur *S. Irenaeus* (2), *Eusebius* (3), *Theodoretus* (4) et alii. — Idem sentitum fuit de *Artemone*, qui pravam Theodoti doctrinam amplexus est, ut tradit Euseb. (5) — *Paulus* a loco nativitatis *Samosatenus* dictus, Episcopus Antiochenus, asserere ausus est, Christum ante Mariam non extitisse, et verum Deum non esse. Contra ipsum celebratum fuit anno 264 *Concilium Antiochenum*, in quo is a Praesulibus Asiae, inter quos S. Gregorius Thaumaturgus et Firmilianus fuerunt, damnatus est, qui tamen subdole poenitentiam simulavit, et palinodiam dixit. Idem tamen postea larvam deposuit, et perversum dogma pertinacius asseruit; quare celebratum fuit anno 270 alterum *Concilium Antiochenum*, in quo Paulus damnatus, et a sede sua deiectus fuit. Eodem modo Paulum Samosatenum damnarunt Patres *Concilii Alexandrini*, qui ad dogma de divinitate Christi defendendum ad Traditionem provocarunt (6).

6. Quamvis *haeresis ariana*, quae Christi divinitatem impugnavit, et in coetu quoque episcopali fautores invenit, Traditionis argumentum obscurare videatur, contrarium tamen ex eiusdem haeresis historia colligitur, per quam universalis antiquioris Ecclesiae fides in divinitatem Christi confirmatur. Nam *a*) certum est, *S. Alexandrum*, Ecclesiae Alexandrinae Antistitem, publice Christi divinitatem praedicasse, et omnes in hac fide cum ipso consensisse, excepto *Ario*, qui Episcopi sui, cuius promotionem ex ambitione et livore aegre tulit, doctrinam primum occulte, tum palam et aperte impugnare coepit, docens, Verbum ex nihilo creatum Deum non esse. Quam primum autem haec dogmatizare ausus fuit, statim omnium suffragio damnatus, et ab Ecclesia, quae Christi divinitatem adorat, eiectus est. *b*) Arius, Alexandria expulsus, in Palestinam se contulit, et nonnullos variis artibus in suas partes traxit. Cum idcirco maiores turbines orirentur, habitum est *Concilium generale Nicaenum I*, in hoc trecenti et octodecim Episcopi Arii impietatem damnarunt, et divinitatem Filii, seu Christi tam clare definierunt, ut haereticorum fallaciis omnis via praecluderetur. Episcopi Arii fautores vix 20 numerabantur, et etiam ex his plerique proposito symbolo subscripserunt. *c*) Certum est, Episcopos catholicos, qui adversus Arianos pugnabant, confidenter ad tribunal anteriorum Patrum appellasse; Arianos autem constanter declinasse Traditionis auctoritatem, quamvis plures inter illos reperirentur in historia ecclesiastica, et Patrum scriptis versatissimi. Iam ante Concilium Nicaenum, ubi primum serpere caepit ariana haeresis, de Ario eiusque asseclis ita scribit *S. Alexander*, Episcopus Alexandrinus (7): « Nullos ex antiquis sibi comparari volunt, nec eos quibus nos ab ineunte aetate magistris usi sumus, coaequari sibi patiuntur. — Solos dogmatum inventores, solos

(1) Hist. l. 5 c. 28. (2) L. 1 c. 24 etc.
(3) L. 4 c. 7 et l. 6 c. 17.
(4) L. 2 haeret. fab. c. 1. (5) L. 5 c. 28.

(6) In Epist. ad Alex. Byzant. apud Theodoretum l. 1 c. 4.
(7) Apud Theodoretum l. 1, c. 4.

se esse iactantes, sibique solis ea esse revelata, quae nemini mortalium in mentem venerint. » — Post Nicaenam Synodum S. *Athanasius* (1) ita audacter Arianos compellat: « Ecce nos demonstramus vobis nostram sententiam a Patribus ad Patres transiisse; vos autem, o novi Iudaei, quos Patres, qui vestris voculis faveut, exhibere potestis? nullum certe profertis, omnes a vobis abhorrent. » Denique quod Arianis ipsis persuasum fuerit, nullum sibi in veterum Doctorum auctoritate praesidium esse, ex illo insigni facto probatur, quod *Socrates* (2) refert: Cum nempe Theodosius Imperator, suadente *Nectario*, Arianorum aliorumque haereticorum principes convocasset, et ab iis quaesiisset, utrum vellent Patrum illorum auctoritate stare, qui ante ortam dissensionem floruissent; in varias et discordes abierunt sententias ac re infecta discesserunt. *d)* Universalem fuisse Ecclesiae de Christi divinitate fidem, etiam ex modo confirmatur, quo Ariani in sua sententia proponenda et defendenda processerunt. Vix enim Arii sectatores aperte pronuntiare ausi sunt, Christum Deum non esse, sed plerique sententiam suam fallaci terminorum involucro contegere, ambiguis loquendi formulis uti, et etiam symbola proponere consueverunt, quae nec veritatem profiterentur, nec errorem manifestarent, sicut semper procedere solent, qui nova, communi sententiae contraria, propugnare gestiunt.

Nota 1. Ex allatis argumentis iam abunde constat, Iesum Christum in primis Ecclesiae saeculis ut verum Deum creditum et adoratum fuisse. Quapropter Concilium Nicaenum I tum S. Scripturae, tum antiquae Traditionis doctrinam secutum est, cum divinitatem Filii, seu Christi sollemniter definivit. Ista autem definitio his verbis concepta est: ***Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium, et invisibilium factorem. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre, Unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, Lumen ex Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt*** etc. In fine ita concluserunt: ***Eos autem, qui dicunt: erat tempus, quando non erat, et quia ex nullis extantibus factus est; aut ex alia substantia dicunt esse, aut mobilem, aut mutabilem Filium Dei, anathematizat sancta Dei catholica, et apostolica Ecclesia.*** — Eodem fere tempore *S. Sylvester* Papa Romae, cum 284 Episcopis concilium celebrans, ita decrevit: ***Quidquid in Nicaea Bithyniae constitutum est ad robur sanctae matris Ecclesiae catholicae, et apostolicae a sanctis Sacerdotibus*** 318, ***nostro ore conformiter confirmamus, et omnes, qui ausi fuerint definitionem sancti, et magni concilii dissolvere... anathematizamus, et dixerunt omnes: Placet.***

Nota 2. Ariani aegre tulerunt, quod Christus in symbolo ὁμοούσιος, i. e. *consubstantialis* Patri dictus fuerit; clamitarunt enim, hanc vocem nec in S. Scripturis, nec in Patribus antenicaenis inveniri. Eadem vox tum in Concilio, tum post Concilium etiam nonnullis piis et orthodoxis viris displicuit, qui ab illa abstinendum esse censuerunt, et iam antea Synodus Antiochena contra Paulum Samosatenum habita dictam vocem repudiaverat. — Sed his non obstantibus dicendum est, Concilium Nicaenum sapientissime vocem ὁμοούσιος elegisse, et dictante Spiritu sancto qui Ecclesiae

(1) L. de decr. Nic. Syn.

(2) L. 5 Hist. c. 10.

in docendo semper assistit, symbolo apposuisse. — Et sane nullius momenti sunt ea, quae huiusce vocis usui opponuntur. Quamvis enim haec vox in S. Scriptura non legatur, ipsa tamen res, per dictam vocem indigitata, in S. Scriptura invenitur, quae satis clare docet, Christum verum Deum esse unius eiusdemque cum Patre substantiae: « quod si ita credendum est, aiebat *S. Gregorius Naz.* (1) cur non ita profitendum? » — Merito quoque hoc argumentum in Arianos retorquent *S. Ambrosius*, *S. Augustinus* aliique Patres, illos provocantes, ut ostendant, in quo Scripturae loco *Filius* dicatur ὁμοιούσιος, vel ὅμοιος, vel ἀνόμοιος? — « Decernis *similem* Patri Filium, ait *S. Hilarius*, contra Constantium Arianorum fautorem, Evangelia non praedicant: quid est, quod non refugis hanc vocem! in uno novitas eligitur, in alio submovetur. Ubi occasio impietatis patet, novitas admittitur, ubi autem Religionis maxima et sola cautela est, excluditur. » — Falsum quoque est, vocabulum controversum ante Nicaenam Synodum usurpatum non fuisse. Namque illud legere est apud *Tertullianum*, qui (2) Patrem, Filium, et Spiritum sanctum unius substantiae esse dicit, quod idem sonat ac ὁμοούσιος; eadem vox invenitur apud *Origenem*, teste Ruffino (3); *Dionysius* quoque Rom. Pontifex, teste S. Athanasio (4), a Dionysio Alexandrino exegit, ut Christum Patri consubstantialem confiteretur, cui mandato, ut par erat, S. Antistes Alexandrinus obtemperavit. Ipse *Eusebius Caesariensis*, cuius testimonium ipsis adversariis suspectum minime esse potest (5), scribit: « Novimus, quosdam ex Veteribus, doctos et illustres Episcopos et Scriptores, qui de Patris et Filii divinitate disserentes nomine ὁμοούσιος usi sunt. » — In Concilio Nicaeno haec vox potissimum Ariana labe infectis Episcopis displicuit, quia, ut ait *S. Athanasius* (6), « hanc solam vocem adaperientem ipsorum haeresin reformidant, quam Patres pro munimento et arce contra illorum impias commentationes in scripta retulerunt: » hoc idem testantur *S. Ambrosius* (7) et *S. Augustinus* (8). — Equidem ab initio vox *consubstantialis* etiam non omnibus orthodoxis Episcopis satis probata fuit; timebant enim, ne per illam naturae divinae divisio quaedam et sectio induci videretur; verum brevi omnis excussa est dubitatio, cum Concilium sensum vocis determinavit, addita explicatione, ut scite *Bullus* observat, qua omnis divisionis suspicio amota est. — Post Concilium nonnulli Episcopi a dicta voce abstinendum esse putarunt, quorum fides ideo nonnullis suspecta fuit: sed tamen, teste *S. Athanasio* (9) et *S. Hilario* (10), catholice senserunt, pacis et concordiae causa, a voce ὁμοούσιος abstinentes. Sed tamen multa hi gravia ab Arianis passi sunt, ac tandem ad *Homusianos* penitus accesserunt imperante *Ioviniano*, et in Concilio anno 363 Antiochiae habito fidei Nicaenae subscripserunt. — Damnationem vocis ὁμοούσιος, quae priori concilio Antiocheno adscribitur, supposititiam esse, magnae notae critici ostendunt, tum ex eo, quod nonnisi post 90 annos a Semiarianis in Concilio Ancyrano anno 358 de illa mentio facta sit, tum ex silentio Arianorum, quibus illa damnatio, si extitisset, ignota haud fuisset; tum

(1) Or. 40 (2) Initio lib. c. Prax.
(3) De adult. lib. Orig. (4) De sent. Dionys.
(5) In Epist. ad suos. (6) Lib. de Syn.
(7) L. 3 de fide c. 7.
(8) L. 2 c. Maximin. c. 14
(9) L. de Syn. n. 41. (10) Lib. de Syn.

ex silentio Eusebii Caesar., tum ex eo, quod in damnatione Pauli Samosateni eadem voce saepius eadem Synodus utatur (1).

Nota 3. Nonnulli ex recentioribus Rationalistis cum *Wegscheider* (2) dicere non erubuerunt, in primis Ecclesiae saeculis ab illis, qui Religioni christianae nomen dare decreverant, non exactum fuisse, ut Christum ut verum Deum crederent, sed solum ut eum pro Messia ac pro vero homine haberent. — Sed quae temerarie effutiunt, nec uno solido argumento probare valent. Omnia documenta historica contrarium evincunt. Qui ad christianam Religionem ab initio accedebant, ex iis erant, quibus Christus crucifixus aut scandalum, aut stultitia fuerat, ideoque antequam admitterentur ad Ecclesiam per baptismum, diligenter instrui debebant, ut anticipata iudicia deponerent, et firme crederent in Trinitatem personarum divinarum, atque in mysterium Incarnationis et Redemptionis. Quare symbolum edocebantur, atque idem ipsis diligenter explanabatur. In hac autem explanatione fidem in divinitatem Christi exactam fuisse, testatur *Celsus*, acerrimus christianae Religionis impugnator. Hic se profitebatur apprime instructum circa modum erudiendi Catechumenos; ait enim: « Omnia novi, » dein sic eorum magistros loquentes inducit: « Crede hunc, de quo te doceo, esse Filium Dei, quamvis inbonestissime vinctus, et turpissime cruciatus fuerit... tanto magis crede » (3). Postmodum (4) commune illud effatum omnibus Christianis tribuit: « Crede si vis salvus esse, aut abi. » — Talem fidem semper ad salutem necessaria habitam fuisse, etiam ex citatis confessionibus Martyrum, et aliis monumentis ecclesiasticis patet (5).

(1) V. Perrone n. 245. (2) § 83.
(3) V. Orig. c. Cels. l. 6 n. 10.
(4) Ibid. n. 11. (5) V. Perr. n. 216 etc.
(6) Io. 4. 24. (7) Ps. 50, 12.

PROPOSITIO III.

Spiritus sanctus, qui est persona distincta a Patre, et Filio, est verus Deus.

§ 91. Nomen *Spiritus* vario sensu in S. Scriptura accipitur. Ipsa essentia divina, ab omni materia remota, ac intellectu et voluntate praedita, *Spiritus* nominatur, uti Christus ait: *Spiritus est Deus* (6) etc. Hincinde per *Spiritum* intelliguntur dona gratiae, per quae sensus hominis legi divinae conformes redduntur, sicut David orat: *Spiritum rectum innova in visceribus meis* (7). Quandoque per *Spiritum* denotatur doctrina, quae tanquam revelata proponitur, quo sensu dicitur: *Nolite omni spiritui credere* (8). Sumitur quoque eadem vox ab eodem Apostolo pro extasi, cum dicit: *Fui in spiritu in dominica die* (9) etc. Sed in sacris N. T. libris in alio, et quidem in sublimiori sensu nomen *Spiritus* occurrit. Frequentissime enim nominatur *Spiritus*, qui per antonomasiam *sanctus* appellatur, qui Patri, et Filio iungitur (10) (Cf. § 71), ac *Spiritus Patris* (11), *Spiritus Filii* (12), *Spiritus Dei* (13) nuncupatur. — Iam de hoc Spiritu sancto probandum est, quod sit vera persona, distincta a Patre, et Filio, et quod sit verus Deus.

1. Spiritum sanctum esse veram personam, ex S. Scriptura liquido constat. Nam ad rationem verae personae requiruntur intellectus, et voluntas. Sed Spiritui sancto tribuitur intellectus: *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (14); tribuitur eidem etiam voluntas, di-

(8) 1 Io. 4, 1. (9) Apoc. 1, 10.
(10) Matth. 28, 19. (11) Matth. 10, 20.
(12) Gal. 4, 6. (13) 1 Cor. 2, 11.
(14) 1 Cor. 2, 10.

cente eodem Apostolo: *Haec omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prouti vult* (1); tribuuntur ipsi etiam actiones, seu operationes, quae solummodo de personis praedicari possunt, quia iuxta tritum Philosophorum adagium: « actiones sunt suppositorum. » Spiritus sanctus nempe dicitur docere: *Ille vos docebit omnia* (2); clarificare Filium Dei, nam de ipso Christus ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet* (3); deputare ad ministerium Ecclesiae: *Dixit illis Spiritus sanctus: segregate mihi Saulum, et Barnabam in opus, ad quod adsumpsi eos* (4); constituere praesules Ecclesiae, dicente Paulo: *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos* (5). Adiuvare infirmitates nostras, et orare pro nobis: *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram... ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (6); arguere mundum: *Et cum venerit ille arguet mundum de peccato, et de iustitia, et de iudicio* (7). —Errant ergo Sociniani, dum dicunt, nomine Spiritus sancti non designari nisi Dei virtutem, seu vim et efficaciam. Nam Spiritui sancto tribuuntur intellectus et voluntas, ac operationes ex intellectu et voluntate procedentes; sed intellectus et voluntas solummodo in subiecto, seu in persona, cui insint, et in qua activae fiant, cogitari possunt. Multo magis errant, qui per Spiritum sanctum solum dona gratiae, seu charismata sublimiora intelligunt; haec enim sunt effectus Spiritus sancti, non ipse Spiritus sanctus. Et certe, maxime absurdum esset dicere de donis gratiae et charismatibus, quae hominibus communicantur, quod scrutentur profunda Dei, quae nemo mortalium comprehendit (§ 10), et quod dividant singulis prout volunt, cum potius dividantur, prout eorundem auctor et dominus vult.—Assertio nostra optime confirmatur per ea, quae Act. cap. XIX, 2 leguntur: Paulus nimirum quosdam ex discipulis Ephesi commorantibus interrogavit, num Spiritum sanctum recepissent? isti vero responderunt: *Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus.* Sed iidem, qui iam baptisma Ioannis susceperant, et saltem in orthodoxa Iudaeorum fide instructi fuerant, non ignorarunt, Deum vim habere efficiendi, et donorum supernaturalium auctorem esse: ast Spiritum sanctum tanquam specialem divinam personam non cognoverunt, et ideo a Paulo instructi, et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizati fuerunt. Haec sane historia evidenter commonstrat, per Spiritum sanctum in N. T. non solam vim et efficientiam divinam, nec sola dona gratiae, sed veram personam designari.

2. Spiritum sanctum esse personam a Patre et Filio distinctam, ex clarissimis S. Scripturae locis patet. Christus ad discipulos suos ait: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis... Spiritum veritatis* (8). Aperte hic distinguitur Spiritus veritatis, seu Spiritus sanctus a Patre, a quo datur, et a Filio, a quo impetratur, et a quo etiam secernitur, cum *alius* Paraclitus nominatur. Idem eruitur ex verbis Christi: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit; ille testimonium perhibebit de me* (9): distinguitur hic Spiritus sanctus a Filio, a quo mittitur, sicut etiam a Patre, a quo procedit. Huc refertur etiam dictum

(1) I Cor. 12, 11. (2) Io. 14, 26.
(3) Io. 16, 14. (4) Act. 13, 2.
(5) Act. 20, 28. (6) Rom. 8, 26.
(7) Io. 16, 8 (8) Io. 14, 16 17.
(9) Io. 15, 26

Apostoli: ***Misit Deus Spiritum Filii sui*** (1). Qui mittit Deus Pater, et Spiritus Filii, qui mittitur, distincti sint, necesse est. Eum autem, qui Spiritus Filii dicitur, distinctam a Filio personam esse, patet ex verbis Christi, qui de Spiritu sancto ait: ***Ille me clarificabit, quia de meo accipiet; et annuntiabit vobis*** (2); ille qui clarificat, distinguitur ab eo, qui clarificatur, et persona, quae accipit, non est eadem cum illa, a qua accipit. — Spiritum sanctum personaliter a Patre et Filio distingui aperte colligitur etiam ex illustri illa apparitione, quae in baptismo Christi contigit; nam Patris vox audita est, Filius baptizabatur, et: ***Ecce aperti sunt ei coeli: et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se*** (3). ***Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de coelo, et mansit super eum*** (4). — Idcirco Ecclesia omni tempore credidit, Spiritum sanctum esse personam distinctam a Patre et Filio: haec fides proponitur in symbolo apostolico, in quo sicut dicitur: ***Credo in Deum Patrem... et in Iesum Christum, Filium eius unicum***, ita etiam additur: ***Credo in Spiritum sanctum:*** uti ergo credendum est in personam Patris, et in personam Filii, sic etiam credendum est in personam Spiritus sancti. Ideo Sabelliani, qui docebant, a persona Patris et Filii personam Spiritus sancti non distingui, tanquam haeretici condemnati sunt. Ex eadem ratione *S. Basilius* asserit (5): « negantes Spiritum sanctum facere irritam professionem suam, qua professi sunt, se credere in Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. »

3. Spiritus sanctus, qui est vera persona, a Patre et Filio **distincta**, est etiam verus Deus, Patri et Filio consubstantialis: haec propositio contra varii generis adversarios *ex S. Scriptura*, et *Traditione* probanda est.

Nota 1. Nomen Spiritus sancti tale non est, ut de sola tertia divina persona praedicari possit; nam hac voce, ut observat ***Catechismus romanus*** (6), Angeli etiam (7), et piorum animae (8) significari possunt. Multo magis toti Trinitati, et singulis personis divinis propter naturae divinae spiritualitatem et sanctitatem tribui potest. Ideo *S. Augustinus* (9): « Trinitas — Spiritus sanctus, secundum quod scriptum est: quoniam ***Deus Spiritus est***, potest quidem universaliter dici, quia et Pater Spiritus, et Filius Spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus. Itaque Pater, et Filius et Spiritus sanctus quoniam unus Deus, et utique Deus sanctus est, et Deus Spiritus est, potest appellari Trinitas et Spiritus sanctus. Sed tamen ille Spiritus sanctus qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo, quod proprie dicitur Spiritus sanctus relative dicitur, cum et ad Patrem et ad Filium refertur, quia et Patris, et Filii Spiritus est. — » Nomen ergo Spiritus sancti commune esset tribus divinis personis: sed prima persona, quia generat, Pater; secunda, quia generatur, Filius dicitur: tertia autem, quae nec generat, nec generatur, non speciali, sed communi nomine appellatur. Maxime autem tertiae personae nomen Spiritus sancti convenire docet *S. Thomas* tum ex eo, quia tertia persona a prima et secunda spiratur, tum ex ipsa vocis significatione. « Nam, ait S. Doctor (10), nomen Spiritus in rebus corporeis impulsionem quandam

(1) Gal. 4, 6. (2) Io. 16, 14.
(3) Matth. 3, 16. (4) Io. 1, 32.
(5) L. de Spir. S. c. 1.
(6) P. I. I. 9, q. 2.
(7) Ps. 103, 4; Hebr. 1, 7.
(8) Ps. 145, 4; Eccles. 12, 7.
(9) L. 5 de Trin. c. 11.
(10) 1, q. 36, art. 1.

et motionem significare videtur. Nam flatum et ventum spiritum nominamus. Est autem proprium amoris, quod moveat, et impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas vero illis rebus attribuitur, quae in Deum ordinantur. Quia igitur persona divina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, convenienter Spiritus sanctus nominatur. »

Nota 2. Argumenta, quibus probatur, Spiritum sanctum esse veram personam, a Patre et Filio distinctam, variis modis a Socinianis et Rationalistis impugnantur, quorum praecipuas saltem obiectiones solvere oportet.

Obi. I. Ex actionibus et operationibus, quae Spiritui sancto tribuuntur, non potest inferri, eum veram personam esse. Nam in S. Scriptura non raro operationes iis rebus adscribuntur, quae omnium iudicio non sunt verae personae: sic dicitur *lex loqui* (1), *peccatum seducere, et occidere* (2), *charitas* (3) non aemulari, non agere perperam, benigna esse, omnia credere, omnia sperare, omnia sufferre etc. Nemo tamen dicet, legem, peccatum, charitatem etc. personas esse.

Resp. a) Falsa est adversariorum argumentatio, dum ita concludunt: in hoc, vel illo Scripturae loco figurata est locutio, neque vera designatur persona: ergo et in aliis pariter locis, in quibus idem loquendi modus usurpatur, vera non designatur persona: ex simili ratiocinandi modo inferre quis posset, Christum veram non esse personam, sed tantum Dei virtutem et sapientiam, siquidem sapientiae divinae per figuram actiones personales tribuuntur: talem vero conclusionem Sociniani ipsi non admittunt. *b)* In exemplis, quae citantur, apertum est, verba, quae operationem significant, in propria significatione sumi non posse. Verum non ita res se habet relate ad Spiritum sanctum. Primum enim Spiritui sancto actiones illae tribuuntur, quae puris qualitatibus, aut accidentibus nusquam adscriptae leguntur, v. g. intelligere, velle, dividere etc. Nec quidquam adest, quod tropum suadeat. Deinde de Spiritu sancto tot et tam diversae operationes enuntiantur, et tam constanter sine omni tropi indicio, ut si in sensu proprio sumendae non essent, vel inviti in errorem ducere-mur. — *c)* S. Scriptura se communi hominum loquendi modo accómmodare solet: sed satis commune est inter homines, ut lex loqui, praecipere, aut prohibere dicatur, et ut tum vitiis mali, tum virtutibus boni actus, et effectus adscribantur. Homines vero probe cognoscunt, tales loquendi modos non in abstracto, sed in concreto intelligendos esse, non legem, sed legislatorem praecipere, aut prohibere, personam peccantem seduci et occidi, ac personam virtutem exercentem bonos actus et effectus producere. Itaque certum est, etiam actiones et operationes, quae Spiritui sancto tribuuntur, ad personam referri: haec autem humana esse nequit, ad quam non spectat, scrutari profunda Dei, dividere gratias prouti vult etc; ergo persona divina sit, necesse est.

Obi. II. Cum Christus *alium Paraclitum* promittit, vox *alius* non ad denotandam personam, sed ad aliud quid indicandum, quod Apostolis loco Christi adfuturum erat, addita est. Eodem loquendi modo posset pater filiis suis parum res suas curantibus discessurus dicere, ut nisi res suas curent, alius magister veniat, paupertas scilicet, eos docturus, quo-

(1) Rom. 3, 19. (2) Rom. 7, 11. (3) I Cor. 13,

modo se gerere debeant. Et sane ipsi Apostoli aliam personam, seu novum Paraclitum, seu Doctorem, adinstar Iesu adspectabilem neque exspectarunt, neque sibi adfuisse unquam professi sunt. Ita *Socinus*, *Henke* et alii.

Resp. Per vocem *alium* in citato loco non denotari personam, sed aliud quidpiam locutione figurata nulla apice vel probant, vel probare possunt adversarii, cum in textu Ioanneo nullum huiusmodi expositionis occurrat vestigium: imo particulam *alium* proprie personam denotare, contextus docet aperte; nam ibi in uno contextu, qui se divelli nullo modo patitur, alium illum Paraclitum in eodem divino opere secum, et cum Patre, tanquam aliis duabus personis coniungit, et similiter prorsus de Spiritu sancto, et de se, et de Patre loquitur, eique talia adsignat, quae nonnisi verae personae competunt. — Ultro quidem admittimus, Apostolos non expectasse alium Paraclitum, seu magistrum, qui adinstar Christi incarnatus, et adspectabilis esset: contrarium enim ex ipsa promissione Christi cognoverunt, qui eum vocat *Spiritum veritatis; quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit* (1). Apostoli ergo invisibilem, quoad personam a Christo distinctum Paraclitum expectabant, qui in ipsis manens sua gratia eos dirigeret, et hunc in die Pentecostes acceperunt, cui etiam spiritualia, quibus eminebant, dona adscripserunt.

Obi. III. Ex apparitione facta in baptismo Christi non probatur, Spiritum sanctum esse personam; nam non omne, quod apparet, est per se subsistens, cum etiam accidentia adpareant, imo haec sola in oculos incurrant, nec tamen per se subsistant. Dum ergo dicitur Spiritus sanctus *quasi*, seu *sicut columba* descendisse, non indigitatur persona subsistens, sed modus, quo virtus, seu gratia divina sicut mitis columba sensim et placide in Christum descendit.

Resp. Accidentia quidem immediate in oculos incurrunt, sed semper supponunt rem substratam, aut personam; unde patet, sub specie figurae columbinae aliquod subsistens delituisse, quod S. Scriptura Spiritum sanctum fuisse adserit, et a persona Patris et Filii in baptismo Servatoris signanter distinguit. Per columbam solum modum descendentis gratiae significari, nemo ante Socinum somniavit: contrarium patet ex Scriptura, quae expresse dicit Spiritum sanctum *corporali specie* descendisse (2).

(1) Io. 14, 17. (2) Luc. 3, 22.

De Divinitate Spiritus sancti.

§ 92. Qualis sit Spiritus sancti natura et dignitas, non ex rationis nostrae principiis, sed ex sola Revelatione cognosci potest. Haec autem satis clare docet, ipsum esse verum Deum, tertiam Trinitatis personam, Patri et Filio consubstantialem. Id iam patet ex argumentis pro mysterio Trinitatis in capite priori allatis. Sed etiam specialia argumenta tum ex *S. Scriptura*, tum *ex Traditione* afferri possunt, quibus divinitas Spiritus sancti probatur.

I. *Argumenta ex S. Scriptura petita.*

§ 93. Illa sane est persona divina, cui in S. Scriptura nomen Dei, attributa divina, operationes divinae et cultus divinus adscribuntur: sed haec omnia in S. Bibliis de Spiritu sancto praedicantur: ergo Spiritus sanctus

est persona divina, seu est verus Deus.

1. Spiritui sancto *nomen Dei* in pluribus S. Scripturae locis tribuitur. — Sic Petrus Ananiam obiurgat: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto* (1)?... *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ille, cui mentitus est Ananias, Deus dicitur; atqui hic est Spiritus sanctus; ergo Spiritus sanctus Deus vocatur. Ananias equidem coram Apostolis mendacium protulit; sed isti repleti erant Spiritu sancto, quod Ananias ignorare non poterat; mentiendo ergo non solos homines, sed Spiritum sanctum, quem Petrus Deum appellat, decipere voluit. Huic sententiae accedit robur, quod, v. g. Saphira criminis socia dicatur tentasse *Spiritum Domini*, quae quidem phrasis communiter denotat peccatum contra verum et summum Deum commissum (2). — Paulus ait: *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* (3)? Ac ne dubitemus, Spiritum hunc Dei esse ipsum Spiritum sanctum, expressius id declarat, dicens: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est* (4)? — Christiani ergo per baptismum iustificati templa dicuntur Spiritus sancti; sed, ait *S. Thomas* (5), « templum habere solius Dei est: » ergo Spiritus sanctus Deus est, et talem eum nominat Apostolus addens: *glorificate, et portate Deum in corpore vestro* (6). — Idem probatur ex collatione locorum V. et N. Test. Ps. XCIV, 7 dicitur: *Ipse est Dominus Deus noster* Iehova, qui dixit: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*, et Hebr. III, 7 etc. legitur: *Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem eius etc.* Idem ergo, qui in N. T. dicitur Spiritus sanctus in V. T. appellatur *Iehova* Deus. — Is. VI, 8-9 ait Propheta: *Audivi vocem Domini dicentis... vade, et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere etc.* Nemo certe dubitat, a vero Deo haec dicta fuisse Prophetae: sed Deum hunc Spiritum sanctum esse, expressis verbis declarat Apostolus, dicens: *Bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros, dicens: vade ad populum illum, et dic ad eos: Aure audietis, et non intelligetis etc.* (7). Ipsa ergo Scriptura S. nomen Dei Spiritui sancto attribuit.

2. Spiritui sancto tribuitur *omniscientia*, quae soli vero Deo competit. Postquam Paulus dixerat, Deum ea, quae de futura iustorum remuneratione hominibus ignota sunt, revelasse per Spiritum suum, addit: *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (8): cum autem nullus spiritus finitus Deum perfecte comprehendere possit (§ 10); ergo Spiritus sanctus, qui omnia scrutatur, et ipsam divinam essentiam comprehendit, est Spiritus infinitus, seu verus Deus. *Scrutari* enim hic non significat inquirere, sed perfecte cognoscere, uti ex scopo Apostoli patet, et eadem vox saepe in S. Litteris ad significandam perfectissimam rei cognitionem usurpatur; sic enim dicitur *scrutans corda et renes Deus* (9); et si in alio sensu haec vox in isto loco sumeretur, iuxta expositionem Unitariorum ipso summo Deo perfecta sui comprehensio deneganda esset. Unitarii enim asserunt, per *Spiritum Dei* intelligi ipsam essentiam divinam

(1) Act. 5, 3-4. (2) Ex. 7, etc. Num. 12, etc.
(3) 1 Cor. 3, 16. (4) Ibid. 6, 19.
(5) 1 q. 27, a. 1. (6) Ibid. v. 20.

(7) Act. 28, 25-26. (8) 1 Cor. 2, 10.
(9) Ps. 7, 10, Ier. 17, 10, 1 Paral. 28, 9, Apoc. 2, 23.

intelligentem, non autem personam a Patre et Filio distinctam, quod probare conantur ex comparatione, quam instituit Apostolus inter Spiritum Dei et spiritum humanum, qui non est persona ab homine distincta; addit enim: ***Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*** (1). Sed inanis est haec adversariorum cavillatio. Admittimus equidem, quoad Deum nomen *Spiritus* in duplici sensu sumi, nimirum vel absolute pro natura Dei spirituali, vel relative, seu notionaliter pro persona subsistente: in priori sensu spiritus denotat ipsam naturam divinam spiritualem, quae non est persona a Deo distincta, sed ipsa Dei essentia: in posteriori sensu autem est persona distincta, ab eo, cuius Spiritus dicitur, nempe a Patre et Filio; cum enim a Deo Patre et Filio procedat, necesse est, ut ab iis personalitate et hypostasi distinguatur. Dubitari vero non potest, Paulum in loco citato vocem Spiritus in posteriori sensu sumere, quod patet tum ex versiculo praecedenti: *Nobis revelavit Deus per Spiritum suum*, tum ex subsequenti: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est*: ergo etiam in versu intermedio nomen Spiritus intelligit relative, et notionaliter pro persona, a Deo Patre et Filio distincta, quam omnia, etiam profunda Dei scrutari dicit. — Comparatio vero spiritus humani et divini hic attenditur dumtaxat quantum ad modum cognoscendi, non autem quantum ad modum subsistendi. Apostolus nempe docet, spiritum humanum ea, quae sunt in homine cognoscere, quia in ipso homine est et simili modo Spiritum sanctum, *omnia, etiam profunda Dei* cognoscere, quia in ipso Deo est. utpote persona divina, Patri et Filio *consubstantialis*. Per dictum autem Apostoli, *Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*, non negatur haec cognitio Patri, et Filio, sicut per dictum Christi, *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius*, non negatur eadem cognitio Spiritui sancto, quia sicut una est trium personarum essentia, ita etiam unus intellectus et una cognitio; atque ideo per haec dicta solummodo Spiritus creati a perfecta Dei cognitione excluduntur, quae solis tribus personis competit. — Omniscientia etiam in aliis locis Spiritui sancto tribuitur; Christus enim de Spiritu sancto dicit: *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis* (2); et: *Docebit vos omnem veritatem... et quae ventura sunt, annuntiabit vobis* (3): qui autem omnem veritatem docet, et futura annuntiat, omniscius sit, necesse est. — Ideo etiam Spiritus sanctus dicitur, *Spiritus veritatis* (4), quae denominatio soli Deo competit, et Spiritum sanctum verum Deum esse ostendit. Nam de hominibus dicitur: *Omnis homo mendax* (5): ergo homo non potest intelligi, et quod praecise Deus dicatur veritas, et quidem unice, inde patet, quod Deus sit fons veritatis, et proprie veritas secundum S. Scripturam, dicente Ieremia X, 10: *Dominus autem Deus verus* (i. e. veritas) *est*, et Apostolo: *Qui non mentitur, Deus* (6), etc. — ***Immensitas*** Spiritui sancto tribuitur, dum dicitur: ***Spiritus Domini replevit orbem terrarum*** (7), et: ***O quam bonus, et suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus*** (8)! praeterea, teste S. Scriptura, ad omnem

(1) 2 Cor. 2, 11. (2) Io. 14, 26.
(3) Io. 16, 13. (4) Io. 15, 26
(5) Ps. 115, 2. (6) Tit. 1, 2.
(7) Sap. 1, 7. (8) Sap. 12 1.

Digitized by Google

actum supernaturaliter bonum Spiritus sancti auxilium requiritur, et legitur: *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto* (1); sed certum est, homines omnium temporum et locorum ad agnitionem veritatis venire, et salvos fieri posse; ergo Spiritum sanctum ubique praesentem esse, necesse est. *Omnipotentia* Spiritui sancto adiudicatur, dicente Psalmista XXXII, 6: *Verbo Domini coeli firmati sunt; et Spiritu oris eius omnis virtus eorum;* idcirco Spiritus sanctus *Virtus Altissimi* (2) adpellatur; eiusdem vero omnipotentia praecipue ex iis, quae operatur, elucet.

3. Spiritui sancto in S. Bibliis tales *operationes* adscribuntur, quae soli vero, et summo Deo competunt. *a*) *Praedictio futurorum* ita soli Deo attribuitur, ut dicatur: *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos* (3). Ideo Prophetae V. T. vaticinia sua semper supremi Dei nomine proferebant, quem solum libere, et contingenter futura praevidere sciebant. Sed in N. T. Spiritus sanctus tanquam auctor librorum divinorum, ac praecipue oraculorum propheticorum declaratur; nam legitur: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (4). Ideo frequenter vaticinia V. T. dum in S. Libris N. T. citantur, Spiritui sancto adscribuntur; sic e. g. Petrus inquit: *Quam praedixit Spiritus sanctus per os David* (5) etc., idemque Apostoli unanimiter levantes vocem professi sunt (6). — *De Simeone* dicitur: *Responsum acceperat a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini* (7); illum autem, a quo hoc vaticinium obtinuerat, ipse sanctus senex Dominum vocat, a quo vita morsque dependent, dicens: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace* (8). Paulus quoque ait: *Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur dicens: Quoniam vincula, et tribulationes Hierosolymis me manent* (9). Agabus autem hoc ipsum Paulo annuncians inquit: *Haec dicit Spiritus sanctus: virum, cuius est zona haec, sic alligabunt in Ierusalem Iudaei* (10). Dubitari ergo non potest, praedictionem futurorum, quae est operatio divina, Spiritui sancto adscribi. — *b*) *Patratio miraculorum* ad solum Deum spectat, cuius solius est, vires naturae superare, legesque suspendere. Ast illa Spiritui sancto adscribitur. Summum enim miraculum fuit conceptio Christi in utero virginali; haec autem fuit opus Spiritus sancti; Angelus enim Mariae dixit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (11); et Iosepho dictum est: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est* (12). Christus ipse dicit: *In Spiritu Dei eiicio daemones* (13). Maximum quoque miraculum, scilicet resurrectio Christi, et quae in fine mundi futura est resurrectio carnis attribuitur Spiritui sancto, dicente Apostolo: *Si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra* (14). — Nemo etiam negabit, nonnisi virtute divina fieri potuisse, ut Apostoli variis linguis loquerentur, quas nunquam didicerant, et ut uno sermone verbum salutis annuntiantes ab omnibus intelligerentur; tantum vero miraculum adscribitur Spiritui sancto: *Repleti sunt o-*

(1) 1 Cor. 12, 3. (2) Luc. 1, 35.
(3) Is. 41, 23. (4) 2 Petr. 1, 21.
(5) Act. 1, 16. (6) Act. 4, 25.
(7) Luc. 2, 26. (8) Ibid. v. 29.
(9) Act. 20, 23. (10) Act. 21, 11.
(11) Luc. 1, 35. (12) Matth. 1, 20.
(13) Matth. 12, 28.
(14) Rom. 8, 11.

mnes Spiritu sancto et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (1). Imo omnia dona supernaturalia et prodigia, quibus Apostoli eorumque discipuli gaudebant, esse opera Spiritus sancti testatur Apostolus dicens: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult* (2). Manifeste hic secernitur Spiritus sanctus a donis, vel operationibus, ut causa ab effectu; et quis negabit, Deum esse illum, qui tam mirabilium effectuum, et etiam doni miraculorum et doni prophetiae causa declaratur? — *c*) *Remissio peccatorum*, et *iustificatio hominis* Spiritui sancto adscribitur. In baptismo enim (§ 71, n. 3) homines sicut in nomine Patris et Filii, ita et in nomine Spiritus sancti peccatorum remissionem obtinent. Imo Christus specialiter spiritualem hominis regenerationem Spiritui sancto adscribit, dum dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (3), quo in loco *aqua* ponitur pro causa instrumentali, et Spiritus sanctus pro causa efficiente, ita ut sensus sit, homines non renasci nisi per aquam virtute Spiritus sancti sanctificatam et elevatam. Etiam Paulus baptismi gratiam, et hominum iustificationem sicut Christo, ita et Spiritui sancto adscribit dicens: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine D. N. I. Christi, et in Spiritu Dei nostri* (4). Etiam in Sacramento Poenitentiae virtute Spiritus sancti peccata remitti patet ex verbis Christi, qui peccata remittendi potestatem Apostolis suis conferens ait: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (5) etc. *d*) *Gratia sanctificans*, et infundens charitatem, cum supernaturalis sit, a solo Deo obtineri potest, quapropter Deus ait: *Ego Dominus qui sanctifico vos* (6); et legitur: *Gratiam, et gloriam dabit Dominus* (7). Ast sanctificatio et diffusio charitatis attribuuntur Spiritui sancto (8). *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (9). *In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae* (10). *Nos debemus gratias agere Deo semper... quod elegerit vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione Spiritus, et in fide veritatis* (11). Manifestum ergo est, de Spiritu sancto veras operationes divinas in S. Bibliis praedicari.

4. Idem *cultus*, *et honor* tribuitur Spiritui sancto, qui Patri et Filio, ut patet ex forma baptismi (§ 71, n. 3). — Summus latriae cultus Deo etiam defertur iurisiurandi religione; dum ad illum tanquam testem et iudicem supremum provocamus; hac de causa per solum Deum iurare licet iuxta verba. *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, ac per nomen illius*

(1) Act. 2, 4. (2) 1 Cor. 12, 4 etc.
(3) Io. 3, 5. (4) 1 Cor. 6, 11.
(5) Io. 20, 22-23. (6) Lev. 22, 32.
(7) Ps. 83, 12. (8) 1 Petr. 1, 2, 1 Cor. 6, 11.
(9) Rom. 5, 5. (10) Ephes. 1, 13-14.
(11) 2 Thess. 2, 12.

iurabis (1). Atqui Apostolus hunc honorem Spiritui sancto sicut Christo exhibet, dicens: *Veritatem dico in Christo, non mentior; testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto* (2); quo in loco, ut observat *Theophylactus*, tres in testimonium producit, — Christum; propriam conscientiam, et Spiritum sanctum ad quem ut ad arbitrum et iudicem conscientiae suae provocat. Denique longe super creatarum rerum statum eminere Spiritum sanctum, ac vere, proprieque esse Deum, illius atrocitas peccati probat, quod contra maiestatem ipsius committitur. *Omnia*, ait Christus, *dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiae quibus blasphemaverint. Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti* (3); quam sententiam expendens *S. Ambrosius* (4) ait: « Quomodo inter creaturas audet quisquam Spiritum computare? aut quis se obligat sic, ut si creaturae derogaverit, non putet, sibi hoc aliqua venia derogandum? » — Lev. XXIV, 16 dicitur: *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur*; at gravior in Spiritum sanctum blasphemantibus poena constituta est, scilicet mors, seu damnatio aeterna; non potest ergo vera et summa divinitas illi denegari, cuius maiestatem offendere tam atrox crimen est, — uti recte argumentatur *S. Cyrillus Alex.* (5).

Nota 1. Iisdem locis S. Scripturae, quibus contra Socinianos sancti Spiritus divinitatem probamus, iam Ss. Patres usi sunt contra Macedonianos, qui Spiritum sanctum creaturam esse asserebant. Adduci hic meretur insignis locus *S. Fulgentii*, qui (6) de Spiritu sancto ita disserit: « Dicatur igitur: si coelorum virtutem potuit firmare, qui non est Deus? si potest in baptismatis regeneratione sanctificare, qui non est Deus? si potest charitate imbuere, qui non est Deus? si potest in credentibus habitare, qui non est Deus? si potest gratiam dare, qui non est Deus? si potest templum membra Christi habere, qui non est Deus? et digne Spiritus sanctus negabitur Deus. Rursus dicatur, si ea quae de Spiritu sancto commemorata sunt, potest aliqua creatura facere? et digne Spiritus sanctus dicetur creatura. Si autem hae creaturae nunquam possibilia fuerunt, et inveniuntur in Spiritu sancto, quae tamen soli competunt Deo; non debemus naturaliter diversum a Patre Filioque dicere, quem in operum potentia diversum non possumus invenire. »

Nota. 2. Quae contra divinitatem Spiritus sancti obiici solent, ad sequentia potissimum reducuntur:

Obi. I. Saepe in Scripturis nominantur Pater et Filius, nulla facta Spiritus sancti mentione. Christus ipse, cum dixisset, *Haec est vita aeterna ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum* (7), omnino praeterit Spiritum sanctum. Paulus in Epistolis gratiam fidelibus apprecatur et pacem a Patre et D. N. I. Christo, et ait: *Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia... et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia* (8): de Spiritu sancto vero altum silentium tenet: imo Deo et Christo Angelos, non Spiritum sanctum, adiungit, dicens: *Testor coram Deo, et Christo Iesu, et electis Angelis* (9). Ioannes soli Patri et

(1) Deut. 6, 13 (2) Rom. 9, 1
(3) Marc. 3, 28-29.
(4) L. 1 de Spir. S. c. 3.
(5) L. Thesaur. 31.
(6) L. 3 ad Trasimund. c. 35.
(7) Io. 17, 3. (8) 1 Cor. 8, 6.
(9) 1 Tim. 5. 21

Christo in coelis adorationem tribui testatur dicens: *Sedenti in throno, et Agno benedictio* (1): ergo Spiritus sanctus non est tertia persona divina.

Resp. Quae adversarii opponunt, non continent nisi argumenta negativa, quae argumenta positiva iam allata infringere non valent. Si Spiritus sanctus in nonnullis locis reticetur, nullibi tamen negatur: immo in multis aliis tanquam persona divina a Patre et Filio distincta, proponitur. Ut aliqua veritas revelata censeatur, non opus est ut ubique in S. Bibliis inveniatur, sed sufficit, ut in aliquo loco manifestetur, prouti *S. Hilarius* observat, dicens: « In divinis rebus non frequentius dicta sed tantum dicta sufficiunt. » — Etiam aliae personae hincinde reticentur, quin ideo negentur, sic: *Pater*, dicitur, *Domine coeli, et terrae* (2), nulla facta Filii mentione, cui tamen idem dominium alibi adiudicatur. Interdum Filius commemoratur, etsi Patris non fiat mentio; uti: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis* (3); et tamen negari nequit, iam primos Christianos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizatos fuisse. Itaque etiamsi Spiritus sanctus hincinde reticetur, non ideo excluditur, sed subintelligitur.— Ratio etiam reddi potest, cur S. Scriptura Spiritum sanctum non semper commemoret, cum de Patre et Filio sermo instituitur. Plerumque hoc non erat Apostolis propositum, ut scriptotenus fideles in mysteriis christianae Religionis instituerent, quae ore melius tradebantur; sed ut illis fidem in unum Deum contra polytheismi errores, et fidem in Christum inculcarent, Auctorem novae legis, quae omnia doctrinae christianae capita continebat.

Obi. II. Spiritum sanctum creaturam esse, exinde patet, quia non semper extitit, dicente Christo (ut legitur in Graeco): *Nondum erat Spiritus, quia Iesus nondum erat glorificatus* (4). Porro cum de Verbo dicatur: *Omnia per ipsum facta sunt*, necessario concluditur, etiam Spiritum sanctum factum esse, quod et expresse asseritur Amos IV, 13, ubi iuxta LXX de Deo dicitur: *Firmat tonitru et creat Spiritum.*

Resp. Quae adversarii opponunt, nullatenus probant, Spiritum sanctum creaturam esse. Dum enim legitur in Graeco: *Nondum erat Spiritus*, subintelligi debet, quod habet vulgata, *datus*, quemadmodum contextus exigit, cum in verbis immediate praecedentibus dicatur: *Haec autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant.* — Io. I, 3, non omnia quae existunt, sed omnia, quae facta seu creata sunt, per Verbum facta, seu creata esse dicuntur, unde additur: *sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Quod si restrictio nulla admitteretur, sequeretur, Patrem quoque factum esse, quod ne ipsi quidem adversarii velint.-Amos l. c non loquitur de Spiritu sancto, sed simpliciter de Spiritu, per quem, ut notat *S. Hieronymus*, ventum intelligit, et ideo recte Vulgata habet: *formans montes, et creans ventum.*-Fatendum igitur est, in S. Bibliis nusquam Spiritum sanctum creatum quid, aut servum appellari, cumque res omnes creatae ad Dei laudes celebrandas invitantur, ut Ps. CXLVIII, etc., nullam Spiritus sancti fieri mentionem, ex quo argumenta pro eius divinitate allata confirmantur.

Obi. III. Spiritus sanctus appellatur *donum* (5), dicitur *dari*, *effundi*,

(1) Apoc. 5, 13. (2) Matth. 11, 25.

(3) Gal. 3, 27. — Act. 10, 48.
(4) Io. 7, 39. (5) Act. 2, 38, et 8, 18.

Digitized by Google

accipi (1), sed persona divina dari, effundi, accipi non potest. Accedit quod Spiritus sanctus in die Pentecostes in multos effusus, et inter eos distributus legatur: atqui de vera, et proprie dicta persona dicit istud non potest, quomodo enim una et eadem persona multis simul posset distribui? — denique Spiritus sanctus ad mensuram dari, minui, vel etiam extingui dicitur, quae omnia in personam divinam cadere non possunt.

Resp. Cum Spiritus sanctus auctor gratiae sit, et munerum dator, mirum non est quod interdum pro ipsa gratia, aut pro suis muneribus nominetur, ponitur enim hisce in locis dans pro dato, seu causa pro effectu: unde effusio, acceptio, imminutio et extinctio Spiritus ad illius gratiam et charismata pertinent. Ipsa S. Scriptura id in variis locis clare indigitat; nam si Iesus *dixit de spiritu, quem* (Apostoli) *accepturi erant* (2), iisdem dicitur: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos* (3); et si legitur: *Cecidit Spiritus sanctus super omnes*, statim id exponitur dicendo: *quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est* (4). Exinde etiam constat, quomodo in multos effusus dicatur Spiritus sanctus et variae ipsius distributiones recenseantur: hae enim active sumendae sunt pro donis scilicet, quae distribuit, non passive, quasi ipsamet Spiritus sancti persona divideretur inter multos, quae una est individua et simplicissima, sed omnia in omnibus operatur, prouti vult.-Recte tamen Spiritus sanctus *donum* dici potest; est enim donum Dei, non autem accidentale, sed personale et subsistens; neque id personae divinae repugnat; nam etiam Filius Dei donum dicitur: *Filius datus est nobis* (5); *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (6). — Ipse autem Spiritus sanctus hominibus donari dicitur, quia se ipsis ineffabili modo communicat, et in illis habitat. Ideo S. Augustinus (7) ait: « Sicut corpus carnis nihil aliud est, quam caro, sic donum Spiritus sancti nihil aliud est, quam Spiritus sanctus » — Et *S. Thomas* (8) inquit: « Persona divina dicitur esse alicuius vel secundum originem, sicut filius est Patris, vel in quantum ab aliquo habetur. Habere autem dicimus id, quo libere possumus uti, vel frui ut volumus. Et per hunc modum divina persona non potest haberi, nisi a rationali creatura Deo coniuncta... ad quod haec quandoque pertingit, ut puta, cum sic fit particeps divini Verbi, et procedentis amoris, ut possit libere Deum vere cognoscere et recte amare. Sed ad hoc, quod sic eam habeat, non potest propria virtute pervenire. Unde oportet, quod hoc ei desuper detur. Hoc enim dari nobis dicitur, quod aliunde habemus. Et sic divinae personae competit *dari* et *esse donum*. »

Obi. IV. Multa Spiritui sancto tribuuntur, quae Deo non conveniunt. Dicitur enim *mitti* (9) tanquam legatus, aut servus: omniscientia ei denegatur, dicente Christo: *Non loquetur a semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur* (10): dicitur Rom. VIII, 26: *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus;* sed Deus, qui oratur et exaudit, nec postulat, nec gemit: huc spectat etiam monitum Pauli: *Nolite contristare Spiritum sanctum* (11); in vero autem Deo tristitia cogitari ne-

(1) Act. 5, 32. Tit 3, 6. Io 20, 22. 1 Io. 4, 13. (2) Io. 7, 39. (3) Act. 1, 8 (4) Act. 10, 44-45. (5) Is 9, 6 (6) Io. 3, 16. (7) L. 15 de Trin. c. 19. (8) 1, q. 38, art. 1. (9) Io. 15, 26. (10) Io 16, 13. (11) Eph. 4, 30.

Digitized by Google

quit: idem Apostolus Spiritum sanctum ipsis Prophetis subiicit dicens: *Spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sunt* (1). Denique Spiritus sanctus dicitur *Virtus Altissimi* (2), imo *digitus Dei*, quae omnia ostendunt, ipsum non esse personam divinam.

Resp. Loca biblica, quae ab adversariis obiiciuntur, divinitati Spiritus sancti nullatenus adversantur. — *Missio* enim in divinis nihil aliud innuit, quam processionem, et nihil aliud est, quam personae ab alia procedentis praesentia creaturis per effectum aliquem, qui personae procedenti specialiter adscribitur, licet toti conveniat Trinitati, atque hinc nequit concludi, Spiritum sanctum esse altera Deitatis persona minorem, uti ex inferius dicendis patebit. — Etiam dum Spiritus sanctus non loqui a semetipso, sed audire dicitur, eius processio indigitatur; omniscientia enim est ipsa essentia divina, et quia hanc habet per processionem a Patre et Filio, ideo etiam scientiam non a semetipso, sed a Patre et Filio habere dicitur; ideo *S. Augustinus* (3), exponens citatum locum, ait: « Ab illo audiet, a quo procedit: audire illi scire est, scire vero esse. » — Verba Rom. VIII, 26 sensum habent: ipse Spiritus per interiorem gratiam facit nos postulare, seu orare: et hunc esse sensum verum, docent verba praecedentia: *Spiritus adiuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet nescimus; sed ipse Spiritus postulat*, etc.; atque *S. Augustinus* (4) praeclare ait: « Non ergo Spiritus sanctus in semetipso, apud semetipsum... gemit, sed in nobis gemit, quia gemere nos facit. Sic misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: Abba Pater. » — Sicut Deus dicitur irasci, dum punit, et poenitere, dum opus suum destruit, ita (5) Spiritus sanctus dicitur *contristari* eo sensu, quod improbet, quidquid mali agunt homines, et etiam propter effectus similes, quos producit homo ab aliis contristatus; sicut enim hic ab offensoribus, ita Spiritus sanctus a peccatoribus beneficia sua retrahit. — Locus I Cor. XIV, 32. aliquam difficultatem facesseret, si legeretur: *Spiritus Prophetarum Prophetis* subiectus est: sed cum in plurali legatur: *Spiritus... subiecti sunt*, omnis difficultas evanescit; ex hoc enim apparet, quod non de Spiritu sancto sermo sit, sed de spiritu humano, seu privato Prophetarum, ut sensus sit, spiritum Prophetarum humanum esse subiectum Prophetis, quatenus afflatu divini Spiritus impelluntur, velut confessus est Balaam dicens ad Balac Regem Moabitarum: *Numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo* (6)? — Spiritus sanctus vocatur *Virtus* (7) personaliter subsistens; velut ipse Christus eodem nomine compellatur: *Nos praedicamus... Christum Dei virtutem* (8). Denique si Spiritus sanctus *digitus Dei* nominatur, per hoc non negatur, sed potius affirmatur, ipsum esse personam divinam. « Si enim, ait *Paschasius* (9), digitus Dei est, Deus est; nihil enim est in Deo, quod non sit Deus, et cum sit in Deo per modum procedentis (10) debet esse subsistens persona. » — Nihil ergo solidi ex S. Scriptura contra divinitatem Spiritus sancti proferre valent adversarii (11).

(1) 1 Cor. 14, 32
(2) Luc. 1, 35.
(3) Tr. 99 in Io.
(4) Tr. 6 in Io.
(5) Eph. 4, 30.
(6) Num. 22, 38.
(7) Luc. 1, 35.
(8) 1 Cor. 1, 23-24.
(9) L. 1 de Spir. S. c. 7.
(10) Io. 15, 26.
(11) Cf. Tournely q. 4, art. 3, Perrone de Trin. n. 260-295.

II. *Argumenta ex Traditione depromta.*

§. 94. Argumenta generalia, ad probandum SS. Trinitatis mysterium § 73, et 74 allata, iam satis probant semper, ubique, et ab omnibus creditum fuisse, Spiritum sanctum esse personam, a Patre et Filio distinctam, et esse verum Deum. Illis autem etiam peculiaria argumenta, tum *ex Ss. Patribus*, tum *ex aliis monumentis ecclesiasticis* addi possunt, quibus ostenditur, iam ante Concilium Constantinopolitanum I fidem de Divinitate Spiritus sancti in Ecclesia viguisse.

1. *S. Clemens Rom.* Spiritum sanctum gratiae supernaturalis dispensatorem, et divinarum litterarum auctorem esse dicit; nam (1) ait, nos cum Patre et Filio habere « unum Spiritum gratiae effusum in nos, » et (2) scribit: « Inspicite Scripturas, vera Spiritus sancti oracula. » — *S. Ignatius M.* (3) inter haereticos recenset eos, qui « Spiritum sanctum nec esse confitentur, » quique dicunt, « eundem esse Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. » Et (4) dicit: « Se non humana virtute schismata praevidisse, sed Spiritum sanctum sibi annuntiasse, ut diceret: nihil agite sine Episcopo. »— *S. Iustinus M.* (5) ait: « Spiritum propheticum colimus et adoramus, » cui his verbis praedictionem futurorum et cultum latriae attribuit. — *S. Irenaeus* (6) inquit: « Nihil indiget omnium Deus... per Verbum, per Spiritum sanctum omnia faciens... et omnibus esse praestans. » Et (7) ait, Spiritum sanctum in eo differre ab afflatu, quo Adam animatus est, quod afflatus iste temporalis sit et factus; Spiritus autem increatus et sempiternus: « afflatus igitur temporalis, Spiritus autem sempiternus. » Et (8) Spiritum sanctum dicit gratiarum distributorem, qui in Christum descendit, qui Ecclesiae relictus, et nobis semper necessarius est, et denique concludit: « Per Spiritum imaginem et inscriptionem Patris et Filii obtinemus. » - *Tatianus* (9) ait, Spiritum sanctum per homines, quibus uniebatur, pro animarum salute abscondita annuntiasse. — *S. Martialis* Apostolorum discipulus ad Burdigalenses scribit: « Idem Deus Spiritus sanctus, in quo omnia subsistunt. » *Origenes* (10) dicit: « Honore ac dignitate Patri et Filio sociatum esse Spiritum sanctum: » et de eodem ait (11): « Non ei extrinsecus, et aliunde accessit sanctificatio, quae antea non fuerat, sed semper fuit sanctus, nec initium eius sanctitas accepit. Similique modo de Patre et Filio intelligendum est. Sola enim Trinitas substantia est, quae non extrinsecus accepta sanctificatione, sed sui natura sit sancta. » *Gregorius Thaumat.* (12) dicit: « Non igitur creatum quid, ac servum in Trinitate, neque superinductitium aliquid et adventitium, quasi prius non existens, posterius vero adveniens. Non ergo defuit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus, sed immutabilis et invariabilis eadem semper manet Trinitas. » - Sed non opus est, ut plura veterum Patrum testimonia congerantur. Hoc quippe labore nos levavit *S. Basilius*, qui (13), ad stabiliendum hoc dogma ex scriptoribus antiquis, quos praeeuntes habuit, plures adducit velut *Clemen-*

(1) I Cor. n. 46. (2) Ibid. n. 45.
(3) Ep. ad Trallian. n. 6. (ap. Coteler. t. 2, pag. 65). (4) Ep. ad Philad. n. 7.
(5) Apol. I, n. 6. (6) L. I adv. haer. c. 22.
(7) Lib. 5, c. 12. (8) L. 3 c. 17, n. 3.
(9) Adv. Graec., n. 13.
(10) L. 1 de princip. n. 4.
(11) Hom. 11 in Num. n. 8.
(12) In fid. conf.
(13) Lib. de Spiritu S. cap. 29.

Digitized by Google

tem Rom., Athenagoram, Irenaeum, Dionysium Rom., Dionysium Alex., Origenem, Iulium Africanum, Gregorium Thaum., Eusebium, Firmilianum, Meletium. Eandem traditionem contestantur *Ss. Athanasius, Hilarius, Ambrosius* et alii.

2. Baptismus in Ecclesia semper collatus fuit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; et haec forma ita essentialis habebatur, ut baptismus nullus censeretur, in quo nomen Spiritus sancti omittebatur, vel immutabatur, quod, e. g., in baptismo Montanistarum contigisse constat. Ergo Spiritui sancto sicut Patri, et Filio remissio peccatorum adscribebatur, ipseque verus Deus credebatur. Argumentum istud saepissime urgent Ss. Patres, ut *S. Athanasius* (1), *S. Hilarius* (2), *Didymus* (3), *S. Basilius* (4), *S. Ambrosius* (5), *S. Augustinus* (6).

3. Ecclesia semper sicut Patri, et Filio, ita etiam Spiritui sancto cultum latriae detulit. Id patet ex antiquissima doxologia (§ 74, n. 3) et quamvis haec non eodem modo ubique prolata fuerit, sed a nonnullis diceretur: *cum Spiritu sancto* aut *in Spiritu sancto* aut *per Spiritum sanctum*. *S. Basilius* (7) Pneumatomachis haec sibi obiicientibus respondet, promiscuum esse in Scripturis istarum particularum usum: *in, cum*, et *per*, adeoque aequalem esse Spiritus sancti gloriam, quocunque ex allatis modis doxologia proferatur. Addit idem S. Doctor in veteri Ecclesia usitatas preces lucernarias, in quibus dicebatur: « Laudamus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. » - *Iustinus M.* (8) testatur in Ecclesia preces Deo per Filium in Spiritu sancto oblatas fuisse. Idem confirmatur ex confessionibus Martyrum, in quibus frequenter similes precandi formulae exhibentur (§ 75, n. 3). Etiam in antiquissimis Liturgiis testimonia de Spiritus sancti divinitate continentur. In Liturgia S. Iacobi Spiritus sanctus (ab initio) vocatur Patri « consubstantialis, » et (inferius) « cum Patre et Filio simul assidens, regnans, et coaeternus. » In Liturgia S. Marci post verba, *hoc facite*, nominatur Spiritus sanctus « consubstantialis Deo. »

4. Unanimis Ecclesiae fides in divinitatem Spiritus sancti ex eo maxime fit manifesta, quod statim ac quis Spiritus sancti divinitatem impugnare palam ausus fuit, pro haeretico habitus est, pulsus ab Ecclesia, nec alia via potuit Ecclesiae communioni restitui, quam eiurata haeresi. Ita in Concilio *Alexandrino* anno 362 ab haereticis ad Ecclesiam redeuntibus postulabatur, ut execrarentur tum arianam haeresin, tum eos, qui dicebant, Spiritum sanctum esse creaturam. Ita *Basilius* (9) non prius Eustathium Sebastenum in suam communionem adscivit, quam Spiritus sancti divinitati subscripsisset. Idem erga Paulinum Antiochenum observavit *S. Epiphanius* (10).

5. Non ergo novam doctrinam proposuit, sed praecedentium saeculorum traditionem, fidemque confirmavit *Concilium Constantinopolitanum I*, dum contra Macedonianos in symbolo fidei Spiritus sancti divinitatem adstruit his verbis: ***Credimus in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre, et Filio adorandum, et glorificandum, qui locutus est per Prophetas***. Et in Epistola synodica ad E-

(1) L. de Spir. S. ad Serapion.
(2) L. 2 de Trin. (3) L. de Spiritu S.
(4) L. 5 c. Eunom. c. 10
(5) L. 1 de Spiritu S. c. 4. (6) Tr. 6 in Io.
(7) L. de Sp. S. c. 25.
(8) Apol. 2. (9) Ep 78. (10) Haer. 77.

piscopos occidentis, 150 Patres graeci ita loquuntur: « Ita fides tum a nobis, tum a vobis, tum ab omnibus, qui verbum verae fidei non pervertunt, approbari debet; quippe cum et antiquissima sit, et lavacro baptismatis consentanea, et nos doceat credere in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, hoc est, in divinitatem, potentiam et substantiam unam Patris, et Filii, et Spiritus sancti aequalem dignitatem, et coaeternum regnum in tribus perfectissimis hypostasibus, sive in tribus perfectis personis; adeo ut neque quidquam loci detur pestiferae Sabellii haeresi, qua confunduntur personae, hoc est, proprietates tolluntur, neque blasphemia Eunomianorum, Arianorum, et eorum, qui Spiritum sanctum oppugnant, quidquam habeat ponderis, quae quidem essentiam, naturam, sive divinitatem discindit, et Trinitati, quae increata et consubstantialis et coaeterna est, naturam posterius genitam aut creatam, aut quae alterius sit essentiae inducit. » Definitio dogmatica Concilii CPtani adprobata fuit a *Damaso* Papa in Concilio Romano, ab Episcopis occidentalibus habito.

Nota 1. Adversarii argumentum ex Traditione petitum ex eo potissimum impugnant, quia inter veteres Patres vix aliquis invenitur, qui Spiritum sanctum expresse Deum appellet. Etiam saeculo quarto Patres ab hac illius denominatione abstinendum esse censuerunt. Sic *S. Hilarius* in duodecim libris de Trinitate Spiritum sanctum de quo frequenter loquitur, nullibi tamen Deum nominat. Idem dicendum est de *S. Basilio*(1).— Idem S. Doctor (2) scribit, « satis esse, Spiritum sanctum creaturam non dicere, » sed a nomine Dei ipsi tribuendo abstinendum esse: eidem consentit *S. Gregorius Naz.*, qui (3) hanc docendi et agendi rationem in Basilio magnopere laudat. Ex his Sociniani et Rationalistae inferre conantur, Spiritum sanctum in primis Ecclesiae saeculis pro vero Deo nullatenus habitum fuisse. — Sed perperam: nam *a*) quamvis Patres primorum saeculorum Spiritum sanctum expresse Deum nominare non consueverint, eiusdem divinitatem nihilominus satis clare contestati sunt, tum cum ipsi attributa divina, operationes divinas et cultum divinum attribuerunt, tum cum eundem Patri et Filio adiunxerunt, Deum unum in essentia, et trinum in personis profitentes (§ 73). *b*) Ratio etiam reddi potest, ex qua veteres Patres, etsi Spiritum sanctum verum Deum esse crediderint, ipsum tamen expresse Deum nominare non consueverint. Id factum est ex quadam religione et reverentia erga receptum loquendi usum, ab ipsis Apostolis inductum, ne Christianis adhuc teneris ac pene musteis ex Gentilitate conversis nomen Dei multiplicatum in Filio et Spiritu sancto esset offendiculo, prout advertit *Petavius* (4) de simili argumento disputans. Idem confirmatur ex auctoritate *S. Chrysostomi*, qui (5) observat, neque Deum appellare Iesum Christum illo loco voluisse Paulum, neque Patrem Dominum, ne, cum Deum, ac Deum, Dominum, ac Dominum audirent Corinthii, plures esse Deos suspicarentur, et Dominos, seque ad antiquam superstitionem relapsos, in qua plures Dii erant ac Domini. Hanc eandem fuisse causam addit, cur neque Spiritus sancti meminerit ut illorum imbe-

(1) In lib. de Spiritu S. c. Eunom.
(2) Ep. 113.
(3) Orat. 20.
(4) Lib. 3 c. 1 n. 4.
(5) Hom. 20 in 1 Cor.

Digitized by Google

cillitati consuleret. Idem observant *Basilius*, *Theodoretus*, *Oecumenius*, *Theophylactus* etc. (1). *c*) Adductae rationi alia accessit, cum exorta erat haeresis Macedoniana. Tunc enim nonnulli Patres ex prudenti oeconomia noluerunt Spiritum sanctum expresse Deum appellare, quod in iis versarentur temporum circumstantiis in quibus ob praepotentem haereticorum factionem periculum erat, ne catholici Praesules e suis sedibus per vim deiecti, eas haereticis occupandas relinquerent. Hinc enim furebant in Catholicos Ariani, inde Macedoniani, qui, si iuncto inter se foedere vires omnes suas in Catholicos simul convertissent, gravissimum rei catholicae damnum intulissent: quapropter ex prudenti oeconomia tempori cedendum esse iudicarunt, donec paulo sedato animorum furore, liceret aperte, quod sentirent, profiteri. Interim tamen non dissimulabant, imo palam in scriptis declarabant, unam et eandem esse Spiritus sancti cum Patre et Filio substantiam, nos in nomine Spiritus sancti, perinde ac Patris et Filii baptizari, eum inter creaturas numerandum non esse, quod certe idem est,ac si Spiritum sanctum Deum appellassent, quandoquidem inter Deum et creaturam medium non datur. — Basilium solum ex prudentia nomen Dei Spiritui sancto non tribuisse, testatur *Gregorius Naz.* (2), qui hac de re disserens inquit: « Caeterum sermones cum iudicio disponere, de Davidis consilio et sententia necessarium esse iudicabat, ac belli tempus et haereticorum principatum aliquantisper tolerare, quoad libertatis tempus successisset, linguaeque libertatem ac licentiam attulisset etc. » *d*) Denique falsum est, Spiritum sanctum a veteribus Patribus nunquam Deum fuisse appellatum. Nam Spiritum sanctum expresse Deum nuncupat *Tertullianus* (3) (v. § 73, n. 3). *S. Dionysius Alex.* (4) ait: « Non impune fertis, qui adversus benignum Spiritum sanctum blasphemus est. Spiritus autem est Deus. » *S. Basilius* (5) ait: « Confitendum sane est, Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, quemadmodum divinae Scripturae, et qui sublimiora intellexere, docuerunt. » *S. Hilarius* (6) ait: « Baptizantur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut quorum est una divinitas, sit una largitio nomenque Trinitatis unus Deus est. »

Nota 2. Quaestionem movent nonnulli, cur Concilium Nicaenum I nil symbolo addiderit ad divinitatem Spiritus sancti definiendam, cum tamen Ariani divinitatem Filii et Spiritus sancti ex aequo negaverint? Sed haud difficile est, huiusce rei rationem reddere; nam, ut ait *S. Epiphanius* (7), « de his quae singulis temporibus occurrunt, cavere Synodi ac decernere solent. » Cum propterea Ariani directe saltem nonnisi Verbi divinitatem impugnaverint, hinc satis fuit Nicaenae Synodo contrariam veritatem directe adstruere, qui hac definita etiam altera in tuto posita videbatur. Ita ad prolatam quaestionem iam responderunt *Basilius*, *Athanasius*, *Hieronymus* et *Amphilochius Iconiensis* (8). — Nullatenus tamen dici potest, divinitatem Spiritus sancti a Concilio Nicaeno omnino praetermissam fuisse; nam, ut ait *S. Anastasius* (9) de Patribus Nicaenis, « neque etiam Spiritum san-

(1) V. Petav. l. c.
(2) Orat. 20.
(3) C. Prax. c. 13.
(4) In resp. ad propos. Pauli Samos.
(5) Ep. 8 (al. 141).
(6) In Matth. c. 28, v. 19.
(7) Haer. 74 n. 14.
(8) In Epist. Synod. ed. a Coteler.
(9) In Ep. Synod. ad Iovianum Imp.

Digitized by Google

ctum a Patre et Filio disiungere, sed illum potius una cum Patre et Filio glorificavere in una SS. Trinitatis fide, quia nempe una est in sancta Trinitate Divinitas. » Et *Amphilochius* (1) inquit: « Iis, qui prudenter legerint, sufficiens videbitur doctrina de Spiritu, quae in ea fide continetur. Docuerunt enim (Patres Nicaeni) sicut credi debet in Patrem, et Filium, ita etiam credendum esse in Spiritum sanctum, nec aliam quampiam inducentes in divina beataque Trinitate naturam, neque quidquam de Trinitate resecantes in illa fidei expositione. » — Quaerentibus, cur Concilium Constantinopolitanum I Spiritum sanctum in iis, quae symbolo addidit, Deum non appellaverit, respondendum est, Concilium abstinuisse a voce Dei, quia sic ferebat usus loquendi per illa tempora receptus, quem Synodus servare constituit: interim talia addidit, quae sole clarius divinitatem Spiritus sancti demonstrant: et tum in Epistola synodica Patrum graecorum ad Damasum Papam, tum in huius Epistola synodica ad Orientales divinitas Spiritus sancti clarissime asseritur, atque anathema dicitur his, qui Spiritum sanctum vere ac proprie Deum appellare recusant (2).

Nota 3. *In Concilio Carthaginensi III* sancitum est, « ut nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet. Et cum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. » Ergo, clamant adversarii, cultus Spiritus sancti in primaeva Ecclesia penitus exclusus fuit. — Sed de authentia canonis huius qui primum in collectione Isidoriana innotescere coepit, dubitant eruditi (3). — Posito autem, quod sit authenticus, Concilium hunc canonem edidit, ut uniformitas in publica liturgia, ac illorum temporum oeconomia servaretur, et privatorum errores praecaverentur. Deiu non incongrue dici potest, per hoc denotari, Patrem esse fontem ac principium deitatis, quare *S. Fulgentius* (4) ait: « Neque enim praeiudicium Filio, vel Spiritui sancto comparatur, dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur, cuius consummatio dum Filii et Spiritus sancti complectitur nomen, ostendit, nullum esse in Trinitate discrimen, quia dum ad solius Patris personam sermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur. » — Reliquas difficultates, quae ex nonnullis Patribus obiiciuntur solvunt *Herminier* (5), *Perrone* (6).

PROPOSITIO IV.

Tres Personae divinae unam essentiam habent, et sunt unus Deus.

§ 95. Ex hactenus probatis constat, Patrem esse Deum, Filium esse Deum, et Spiritum sanctum esse Deum: nullatenus autem exinde concludere licet, tres esse Deos; nam iuxta doctrinam catholicam tres personae divinae sunt unus idemque Deus, quia habent unam eandemque essentiam divinam.

Unitas autem essentiae duplici modo intelligi solet, nimirum *specifice*, *et numerice*. Specifice plura subiecta unius naturae esse dicuntur, eo quod sub uno genere specieque contineantur, uti sunt e. g. tres homines, Petrus, Paulus et Andreas, quorum una, eademve specie natura est, sed numero diversa; singuli enim essentiam, seu naturam habent propriam, atque ideo, sicut de Petro, Paulo et Andrea dicitur, quod sint tres personae, ita

(1) L. c. (2) Cf. Klüpfel. t. I, l. 1 § 34 not. 2.
(3) V. *Van Espen* Diss. in Syn. Afric. § 6.
(4) L. 3 ad Monim. c. 5.
(5) Tom. 2, p. 170 etc. ed. Venet.
(6) De Trin. n. 304-330.

etiam dici potest, quod sint tres naturae humanae, numero diversae. — Alia vero unitas est, quae singularitas vocatur, efficitque, ut res *una numero*, et individua sit, atque haec unum proprie constituit; nam quae priori modo unum appellantur, magis multa sunt, quam unum; quippe multiplicia sunt ex se se, et in unum solum ratione, seu cogitatione nostra confluunt. —Iam si tribus personis divinis una essentia et natura tribuitur, unitas ista non specifice, sed numerice intelligitur; nam Patris, et Filii, et Spiritus sancti una est eademque numero essentia, substantia, seu natura divina: quamvis ergo rectissime dicatur: Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt tres personae divinae; nullatenus tamen dici potest: Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt tres essentiae, substantiae, vel naturae divinae: sed dicendum est: Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt una eademque numero essentia, substantia, seu natura divina, et idcirco non sunt tres Dii, sed unus Deus.

Propositio ista novis argumentis non indigeret, quia Unitas Dei iam Sect. I, Cap. 4, Art. 1 tum ex Revelatione, tum ex ratione satis probata fuit, ita ut statim sequens conclusio fieri posset: Certum est ex Revelatione, tres esse personas divinas, sed certum pariter est ex Revelatione et ratione, nonnisi unum esse Deum: ergo Deus unus in essentia est trinus in personis.

Convenit nihilominus, ut hic alia argumenta *ex S. Scriptura* et *Traditione* petita proponantur, quae, habito ad tres divinas personas respectu, unitatem Dei evincunt, sive ostendunt, iuxta Revelationis doctrinam unum esse Deum, quamvis tres sint personae divinae, realiter distinctae.

I. *Argumenta biblica.*

§ 96. 1. Unam esse trium personarum divinarum essentiam ac naturam, iure infertur ex praescripta forma baptismi, in qua non dicitur: in nominibus, sed *in nomine* Patris, et Filii, et Spiritus sancti (§ 71, n. 3). Eadem veritas clare pronuntiatur in celebri dicto: *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt* (1) (ib., n. 4).

2. Unam esse Patris et Filii essentiam, ex variis S. Scripturae locis comprobatur. Christus ait: *Ego, et Pater unum sumus* (2): si Filius, qui ut persona manifeste a Patre distinguitur, tamen *unum* cum Patre dicitur, id solum de una, eademque numero essentia intelligatur, necesse est. Iesus dicit: *Qui videt me, videt et Patrem* (3); et ne quis putet, id solum ob formae similitudinem, sensuum conformitatem, aut moralem unionem dictum esse, statim adiungit: *Quia ego in Patre, et Pater in me est* (4), quae verba omnino falsa essent, si essentia Filii numero diversa ab essentia Patris esset. — Christus ait: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt* (5). Et sic Patrem alloquitur: *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt* (6). Quomodo haec intelligi possent, si Pater et Filius non unam eandemque essentiam haberent? de duabus essentiis divinis, infinitis, independentibus, et per se subsistentibus talia dici non possent. Si istae admitterentur, omnino impossibile foret, ut secunda Persona a prima genita, procedens, exiens, missa etc. esset: omnia ergo, quae de generatione Filii inferius dicenda sunt, ostendunt, unam esse huius et Patris essentiam et naturam. Ex eadem ra-

(1) 1 Io. 5, 7. (2) Io. 10, 30. (3) Io. 14, 9. (4) Ibid. v. 10. (5) Io. 16, 15. (6) Io. 17, 10.

Digitized by Google

tione etiam Spiritus sanctus unam eandemque numero essentiam habet cum Patre et Filio: nam ille quoque dicitur *dari a Patre* (1), *procedere a Patre* (2), *mitti* a Filio (3), *accipere a Filio* (4); imo etiam vocatur *Spiritus Patris* (5), *Spiritus Filii* (6).— Haec omnia falsa, et absurda essent, si essentia divina Spiritus sanctus numero diversa, et idcirco independens esset a Patre et Filio: Deum enim ab alio Deo dependere, procedere, accipere, mitti etc. omnino contradictorium est.

3. Unitatem essentiae divinae probant etiam illa S. Scripturae loca, in quibus eadem opera, et attributa divina de singulis tribus Personis praedicantur, sic *a*) *Creatio* adscribitur Patri (7), Filio (8), et Spiritui sancto (9): *Verbo Domini coeli firmati sunt; et Spiritu oris eius omnis virtus eorum* (10). *b*) *Omnipotens* (11) dicitur Pater, sed et Filius *Dei Virtus* (12) et Spiritus sanctus *Virtus Altissimi* (13) appellatur. *c*) *Immensus* Pater dicitur: *Coelum, et terram ego impleo* (14); Filium *omnia implere*, testatur Apostolus (15); et de Spiritu sancto legitur: *replevit orbem terrarum* (16). *d*) *Omniscientia*, seu perfecta divinitatis cognitio tribuitur Patri: *Nemo novit Filium, nisi Pater* (17); et Filio: *Neque Patrem quis novit, nisi Filius* (18); et Spiritui sancto; *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei . . . quae Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei* (19). *e*) Mira Israëlitarum per desertum directio adscribitur Patri: *Dominus... traduxit nos per desertum* (20); et Filio: *Dux itineris fuisti in conspectu eius* (21); et Spiritui sancto: *Spiritus Domini Ductor eius fuit* (22). *f*) Prophetiarum Auctor dicitur Pater: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis* (23); et Filius seu Messias, qui inquit: *Ego ipse, qui loquebar* (per prophetas) *ecce adsum* (24); et Spiritus sanctus: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (25). *g*) Iustificatio et sanctificatio hominum adscribitur Patri, dicente Apostolo: *Unus est Deus, qui iustificat* (26), et: *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum* (27); tribuitur etiam Filio, qui dicitur *propitiatio pro peccatis nostris* (28); et: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret* (29); adiudicatur quoque Spiritui sancto: *Haec omnia operatur unus, atque idem Spiritus* (30). Haec omnia ideo solum veritati perfectissime consona sunt, quia Patris, et Filii, et Spiritus sancti una essentia est, ac proinde (§ 16) una omnipotentia, una immensitas, una omniscientia, una voluntas, una bonitas etc. Per citata ergo loca dogma de unitate essentiae divinae recte probatur.

II. *Argumenta ecclesiastica.*

§ 97. Ecclesia catholica semper credidit et docuit tres esse personas divinas, sed unam esse earundem essentiam et naturam, et unum existere Deum. Haec Ecclesiae fides clare elucet ex antiquissimis Patribus *Iustino*, *Theophilo Ant.*, *Minutio Fel.*, *Tatiano*, *Tertulliano*, *Clementi Alex.*, *Arnobio*, et aliis, qui Polytheismum revelationi, et rationi contrarium

(1) Io. 14, 16. (2) Io. 15, 26. (3) Ibid.
(4) Io. 16, 15. (5) Matth. 10, 20.
(6) Gal. 4, 6. (7) Gen. 1, 1.
(8) Io. 1, 3. (9) Ps. 32, 6.
(10) Cf. Ps. 103, 30. (11) Gen. 17, 1.
(12) 1 Cor. 1, 24. (13) Luc. 1, 35.
(14) Ier. 23, 24. (15) Ephes 4, 10.
(16) Sap. 1, 7. (17) Matth. 11, 27.
(18) Ibid. (19) 1 Cor. 2, 10-11.
(20) Ier. 2, 6. (21) Ps. 79, 10.
(22) Is. 63, 14. (23) Hebr. 1, 1. — Zach. 1, 6.
(24) Isai. 52, 6. (25) 2 Petr. 1, 21.
(26) Rom. 3, 30. (27) 2 Cor. 5, 18.
(28) 1 Io. 2, 2. (29) Eph. 5, 25-26.
(30) 1 Cor. 12, 11.

ostenderunt, et unum Deum adorandum esse asseruerunt. Idem constat ex locis *Tertulliani*, *Origenis*, *Cypriani*, *Dionysii Rom.*, etc. (§ 73, n. 3) citatis. Neque haec Ecclesiae fides unquam immutata fuit. Falso ergo *Clericus* (1), *Gibbon* (2) et alii Patres Nicaenos, et in specie *Athanasium* et *Gregorium Naz.* de Tritheismo accusant, quasi unam specie tantum substantiam Patris, Filii et Spiritus sancti, sed numero triplicem docuerint. Sed quantum futilis haec criminatio a veritate aberret, facile ostendi potest.

1. Patres qui fidei Nicaenae adhaeserunt, sicut tres personas divinas, ita et earundem unam (numerice) essentiam, seu naturam, et unum Deum crediderunt et docuerunt. *S. Athanasius* (3) scribit: « Sancta et beata Trinitas indivisa est, et unita in se, et ubicunque Pater dicitur esse, una est cum eo et ipsius Verbum et in Filio Spiritus... Una est Deitas, et unus Deus, qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus. » Idem (4) praeclare asserit, « Non oportere tres in deitates partiri admirabilem ac divinam unitatem. » *S. Gregorius Naz.* (5) ait: « Trinitas unus Deus est, et esse creditur non minus propter concordiam, quam propter substantiae identitatem. » Idem (6) dicit: « Unam trium esse naturam; — quorum enim natura simplex est, et esse idem, his proprie vox unius convenit: » et inferius « tres hypostases ita nos profiteri asserit, ut non tres usias (naturas), sed unam eandemque constituamus trium. » — *S. Basilius* (7) scribit: « Confiteri oportet Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, ut eloquia divina docent, et divini interpretes tradidere. Nec tamen tres Deos dicere fas est, sed una in tribus personis dicitur natura » (8). Idem (9) cum eandem de Trinitate doctrinam exposuisset concludit: « Nemo igitur velut unius rei indivisae partes tres animo sibi fingat (impia est enim haec cogitatio), sed trium incorporeorum perfectorum essentiam communem, atque individuam intelligat. » *S. Gregorius Nyss.* (10) egregie exponit Christianorum fidem de tribus in una divinitate Personis, atque postea addit: « Gentilium autem multiplicibus de diis aboletur error, quod naturae unitas multorum Deorum imaginationem auferat. » *S. Hilarius* (11) in verba Christi, *Ego et Pater unum sumus*, ait: « Absolute Pater Deus, et Filius Deus unum sunt, non unione personae, sed substantiae unitate; » et (12) inquit: « Non duos Deos connumerat nomen unum, quia unius, atque indifferentis naturae unum Deus nomen est. » Et (13) scribit: « Baptizantur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut quorum est una divinitas, sit una largitio nomenque Trinitatis, unus est Deus. » *S. Ambrosius* (14) scribit: « Unus et solus Deus — unus Deus, non ut ipse sit Pater, et Filius, sicut impius Sabellius asserit, sed quia Patris, et Filii, Spiritusque sancti una divinitas sit: » et (15) dicit: « Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres Dii sunt, sed unus Deus tres habens personas; ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animae in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates. » *S. Hierony-*

(1) Epist. crit. 3. (2) Hist. casus Imp. rom
(3) Ep. ad Serap. (4) L. de Decr. Nic. Syn.
(5) Or. 1 de pace. (6) Or. 32.
(7) Ep. 214 (al. 349).
(8) Cf. de Sp. S. c. 27, n. 67.
(9) Hom. c. Sabel. Arian. et Ano.
(10) Orat. Catech. (11) L. 4 de Trin. n. 42.
(12) L. 7. (13) Comment. in Matth. c. 33,
(14) L. 2 de fide.
(15) L. de dignit. cond. hum. c. 2.

mus (1) scribit: « Quis, rogo, ore sacrilego tres substantias praedicabit? Una est Dei et sola natura, quae vere est: » ac mox addit: « Illa sola natura est perfecta, et in tribus personis deitas una subsistit, quae est vere, et una natura est. » *S. Augustinus* ita librum suum secundum contra Maximinum concludit: « Ex his ergo omnibus, quae sicut potui, disputavi, satis apparet, Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam esse virtutem, unam esse substantiam, unam deitatem, unam maiestatem, unam gloriam; quia ipsa Trinitas est unus Dominus Deus noster. » Idem testatur (2), hanc fuisse omnium antiquorum catholice sentientium fidem. (Cf. § 73, not. 3).

2. Ecclesiae fides in Deum, trinum in personis, sed unum in essentia patet etiam ex eo, quia, teste historia, catholica veritas media stetit inter Sabellii et Arii errores. Sabelliani enim unam divinam essentiam admittebant, ita quidem, ut realem personarum distinctionem penitus negarent. Sed Patres catholici Sabellianis nunquam obiecerunt, quod naturam divinam numerice unam dicerent, verum hoc in dogmate cum ipsis consentientes id exegerunt, ut in una et individua essentia divina tres personas non nomine tantum, sed realiter distinctas profiterentur: quod grandi iterum argumento est, Patres nunquam Tritheitas fuisse. — Cum autem Ariani negarent, Filium eiusdem cum Patre substantiae esse, Patres catholici omnes vires suas eo direxerunt, ut ostenderent, tres personas divinas unius eiusdemque essentiae esse. Et quod non de specifica tantum, sed de numerica essentiae unitate locuti fuerint, aperte colligitur ex dissensione, quae inter Catholicos per aliquod tempus efferbuit de trina hypostasi. Qui unam in Deo ponebant hypostasin, ea voce naturam intelligebant; eos autem, qui tres hypostases admiserunt, ideo putabant a recta fide alienos, quod tres videren tur distinctas et subsistentes naturas admittere. Cum vero ab his sub nomine hypostasis personas tantum distingui, non naturam perspectum fieret, tum pacem inter se inierunt; quia solum circa sensum vocis dissenserant, sed in dogmate de numerica essentiae divinae unitate semper consenserant.

3. *Concilium Nicaenum I* sicut divinarum personarum distinctionem, ita etiam essentiae divinae unitatem satis clare profitetur, in symbolo dicens: *Credo in unum Deum*: et Concilium non specificam tantum, sed numericam essentiae divinae unitatem profiteri, ex eo patet quia Filium dicit *natum ex Patre, Deum verum de Deo vero, consubstantialem Patri* etc., haec enim dici non possent, si essentia Filii solum specifice una, seu perfecte aequalis esset cum essentia Patris et numero diversa; quippe hoc posito etiam Filii essentia ingenita, et Filius alter Deus, a Patre prorsus independens, dicendus foret. Eadem ratione Concilium *Constantinopolitanum I*, Spiritum sanctum unius (numerice) cum Patre et Filio substantiae pronuntiavit, dicendo de eo: *qui a Patre procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur* etc. — Perperam etiam fides Concilii ex eo in dubium trahitur, quod Filium dixerit ὁμοούσιον, quae vox, teste *Petavio*(3), apud auctores profanos pro specifica tantum unitate sumitur, cum ad exprimendam numericam essentiae divinae unitatem magis accommodata fuissent alia vocabula, ut μονοούσιος,

(1) Ep. 57, ad Dam.

(2) L. 1 de Trin. c. 4. (3) L. 4 de Trin.

Digitized by Google

vel ταυτοούσιος, quae autem a Patribus repudiata fuerunt: ex iustissima enim causa id factum est; nam per vocem ὁμοούσιος error Arianorum, ad quem damnandum Patres convenerant, efficacissime conferebatur: ab aliis autem vocabulis, quae naturae identitatem melius exprimere videbantur, consulto abstinuerunt Patres, quia Sabelliani illis abutebantur. Porro quod vox ὁμοούσιος apud profanos auctores specificam tantum unitatem significet, ratio est, quia in creatis, quae sola ipsis cognita erant, nulla alia, quam specifica unitas existere potest inter plures personas. Ecclesiam vero, dum eandem vocem de divinis Personis adhibuit, non specificam tantum, sed numericam substantiae unitatem intellexisse, testes sunt ipsi Ariani, qui nunquam Patres Nicaenos de Tritheismo accusarunt.

4. Fides Ecclesiae de una divina trium personarum essentia clare proponitur in Symbolo Athanasiano, in quo dicitur: *Fides catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur. Alia est enim Persona Patris, alia Filii alia Spiritus sancti; sed Patris, et Filii, et Spiritus sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas;* ad quod dilucidandum additur, quod *non* sint *tres aeterni, sed unus aeternus, non tres immensi, sed unus immensus, non tres omnipotentes, sed unus omnipotens, non tres Dii, sed unus est Deus . . . Quia sicut singillatim unamquamque personam Deum, ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur, ita tres Deos, aut Dominos dicere catholica Religione prohibemur.*

5. Eandem fidem profitetur Concilium Constantinopolitanum IV(1), dicens: ***Credimus in unum Deum in tribus consubstantialibus, et divinis, ac principalibus Personis: unum quidem, et singularem Deum secundum rationem substantiae, trinum autem, — si eum secundum rationem personarum praedicamus.*** Et Concilium Lateranense IV dicit: ***Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, Pater, et Filius et Spiritus sanctus, tres quidem Personae, sed una essentia, substantia, seu natura, simplex omnino.*** Idem Concilium damnavit doctrinam Ioachimi Abbatis, qui unitatem in divinis, non veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam statuit, et Petrum Lombardum reprehendit, quod tres personas et communem essentiam admittens, non tam Trinitatem, quam quaternitatem in Deo adstrueret. Ast Patres Concilii, erroribus Ioachimi damnatis, dicunt: *Nos sacro, et universali Concilio approbante credimus, et profitemur cum Petro* (Lombardo) ***quod una quaedam res est incomprehensibilis quidem, et ineffabilis, quae veraciter est, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, ac singulatim quaelibet earundem: et ideo in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas, quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina . . . ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura.***

Nota 1. Tritheismus crassus, qui sicut tres personas, ita tres Deos distinctos admittit, non solum a Revelatione, sed a sana etiam ratione satis refellitur (§ 58). Datur autem etiam Tritheismus subtilior, quem tenent qui tres in tribus personis naturas admittunt, distinctas quidem, sed perfecte aequales, et ita intime uni-

(1) Act. 10.

tas, ut nec scientia, nec voluntate, nec operatione possint dissentire; hanc autem intimam perfectamque coniunctionem sufficere putant, ut recte unus Deus, aut una Deitas vocari possit. Talem Tritheismum propugnare conatus est in Gallia *Petrus Faydit*, et in Germania *Placidus Stürmer* O. S. B., et *Antonius Oehmbs* Theologus Trevirensis. Incaute eidem sententiae appropinquant, qui personam in divinis cum persona humana confundunt, et eandem pro utraque definitionem adoptantes, tres naturas rationales in individuo subsistentes Deitati tribuere videntur. Multo magis de Tritheismo subtiliori suspecti sunt, qui Trinitatem ita speculative declarant, ut cuilibet personae specialem intellectum, specialem voluntatem, specialem amorem tribuere, et sic tres intellectus, tres voluntates, tres amores in Deo admittere videantur, cum tamen iuxta doctrinam catholicam sicut una essentia, ita etiam unus sit in Deo intellectus, una voluntas, unus amor, quod inferius clarius ostendetur. Ss. Patres omnino catholice sensisse, et perperam de Tritheismo accusari, ostendit *Petavius* (1).

Nota 2. Ab errore Tritheismi saltem subtilioris vix excusari potest *Ant. Günther* in suo opere: *Vorschule zur Speculat. Theologie* i. e. Schola praeparatoria ad Theologiam speculativam, Viennae 1828. Nam in sectione prima, quae continet theoriam Creationis (Epist. 11, pag. 104 etc.); hanc de Trinitate propositionem, « Sunt ergo tres substantiae singulares, relatio una absoluta quae illas complectitur, » approbat, et menti *S. Augustini* omnino consonam declarat; quod ut probet, citat huius verba (ex lib. 7 de Trin. c. 4), quae ita sonant: « Cum enim conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum sensus, quod in secretario mentis pro captu tenet, timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa aequalitate ulla diversitas. Rursus non esse tria quaedam, non poterat dicere, quia Sabellius, quoniam dixit, in haeresim lapsus est. » Addit cum hac *S. Augustini* doctrina etiam *Petrum Lombardum*, et *S. Thomam Aq.* consensisse, et inde deducit, solum ex consilio quodam paedagogico declaratum in Ecclesia esse, quod liceat dicere: esse tres divinas personas; non liceat autem dicere: esse tres Deos. Invehitur deinde in *Petavium*, quem dicit mentem magni Augustini non attigisse, sed ab illa recessisse, unam numerice essentiam stabiliendo. Et quae in hac epistola proponuntur, in sequenti 12.ma in qua responsum datur, non solum non corriguntur, sed potius approbantur. — Mentem suam auctor satis clare aperuit, et approbando praefatam propositionem manifeste recessit a doctrina catholica, quae constanter pronuntiat, in Deo esse unam essentiam, tres personas, quatuor relationes. Perperam etiam heterodoxam suam sententiam *S. Augustini* auctoritate fulcire conatur. Quis enim *S. Augustino* clarius doctrinam catholicam expressit, quae Deum unum in essentia, et trinum in personis praedicat? — In citato lib. 7 de Trin. caput III, terminat dicens: « Sapientia Pater, sapientia Filius, sapientia Spiritus sanctus, et simul non tres sapientiae, sed una sapientia, et quia hoc est ibi esse, quod sapere, una essentia Pater, et Filius, et Spiritus sanctus: nec aliud est ibi esse, quam Deum esse: Unus ergo Deus Pater, Filius, et Spi-

(1) L. 4 de Trin. c. 13, et 14, et 15. — Cf. Liebermann l. 2, de Ss. Trin. c. 3.

Digitized by Google

ritus sanctus. » In citato dein cap. IV monet, circa mysterium Trinitatis etiam in nominibus, seu vocabulis adhibendis magna cautione opus esse. Pro primaria regula statuit, nihil enuntiari posse, quod S. Scripturae contradicat, unde infert non posse tres Deos praedicari; — « Si enim, inquit, diceremus tres Deos contradiceret Scriptura dicens: *Audi Israël! Dominus Deus tuus Deus unus est* (1). » — Dein quaerit, cur non liceat dicere tres essentias, cum tamen non liceat negare, in Deo « *esse tria* quaedam? » et respondet Ecclesiam non permittere, ut tres essentiae in Deo praedicentur, non ex consilio quodam paedagogico, sed ne S. Scripturae et divinitus revelatae veritati contradicat, seu ne multiplicata natura etiam numerus Deorum multiplicetur: ac demum concludit: « Quia hoc est Deo esse, quod sapere, sicut non tres essentias, ita nec tres sapientias dicimus. Sic enim quia hoc illi est Deum esse, quod est esse, tam tres essentias, quam tres Deos dici fas non est. » — Quanta ergo impudentia *S. Augustinum* D. Günther pro absona sua sententia citat! — Nec minus temerarie auctoritate *Petri Lombardi* et *S. Thomae* abutitur. De prioris enim doctrina constat ex citato Concilio Lateranensi IV contra errores Ioachimi. Posterior in libris contra Gentes unitatem Dei invicte demonstrat, per personam in divinis nonnisi « relationem subsistentem intelligit, et sicut tres divinas personas, ita unam divinam essentiam, unum Deum ubique praedicat. » Sic (2) de divina essentia dicit: « quae quidem simplex est, et maxime una, » et addit: « Haec igitur est ratio, quare Socratem, et Platonem, et Ciceronem dicimus tres homines; Patrem autem, et Filium, et Spiritum sanctum non dicimus tres Deos, sed unum Deum: quia in tribus suppositis humanae naturae sunt tres humanitates, in tribus autem personis est una divina essentia. » Si *Petavius* dicit, nomen personae in divinis non in eodem sensu prout in humanis intelligi posse, nil aliud asserit, nisi quod S. Augustinus ipse passim monet, et Theologi catholici communiter docent. *Petavius* (3) illos erudite refutat, qui putabant, in Deo, in quo una essentia et tres personae sunt, quatuor subsistentias praedicari posse, quod a doctrina Veterum prorsus alienum declarat. Ceterum nemo negat, *S. Augustinum* maximo ingenii acumine praeditum fuisse. Omnes autem eruditi admittunt, etiam *Petavium* magno ingenii acumine ornatum fuisse, et S. Augustinum recte intellexisse, et exposuisse: de illis ergo, qui contraria sentiunt, maiori iure dicitur, quod S. Augustinum aut non intelligant, aut male contorqueant.

(1) Deut. 6. 4. (2) 1. q. 39, a. 3, in c.

(3) In cit. l. 4 c. 12.

CAPUT III.

DE PROCESSIONIBUS DIVINIS

§ 98. 1. *Procedere*, si proprium sensum spectes, idem est, ac migrare ab uno loco in alium; sed eadem vox etiam adhibetur per translationem ad significandam originem, vel productionem rei a suo principio, vel causa: sic lux a sole, filii a parentibus, cogitationes a mente, desideria a corde procedere dicuntur. In isto sensu *processio* definiri solet origo, seu productio unius ab alio.

Duplex a Theologis distinguitur processio; aliam vocant *transeuntem* seu *ad extra*, aliam vero *immanentem*, seu *ad intra:* transiens, vel externa dicitur, cum effectus extra causam unde procedit, positus est,

ut inter homines filius est extra patrem; immanens autem, seu interna appellatur, cum res producta inter terminum suum remanet; uti, e. g., cogitatio intra mentem, ex qua nascitur, remanet.

2. Origo, seu productio rerum ab ipso Deo *processio divina* vocatur, et etiam haec in transeuntem, seu externam, et in immanentem, seu internam distingui debet. Processio divina *externa* illa est, qua fit, ut omnes creaturae a Deo originem trahant. Omnia enim, quae rerum contingentium universitatem constituunt, a Deo sunt, neque praeter Deum ens a se dari potest: universae ergo creaturae a Deo procedunt — non autem processione interna, sed externa, quia non ita in Deo existunt, ut eandem cum ipso essentiam habeant. Processio divina *interna* illa est, qua fit, ut secunda persona divina procedat a prima per generationem, et tertia persona divina procedat a prima, et secunda per spirationem: nomine ergo huius internae processionis intelligitur origo unius personae divinae ab alia per ineffabilem essentiae communicationem. Summi momenti est ut duplex processio divina externa et interna rite distinguatur, et utraque admittatur. Si enim una, vel altera negetur, vel una cum altera confundatur, gravissimi errores sequuntur. Qui negat processionem divinam externam, aut hanc cum interna confundit, prolabitur in pantheismum: Pantheistae enim nullam admittunt processionem divinam ad extra, et ita necessario omnia cum ipsa divina essentia confundunt. —Qui autem processionem divinam internam negant, ipsam Trinitatem e medio tollunt; si enim in Deo nihil procedit per communicationem essentiae, neque Filius a Patre genitus, neque Spiritus sanctus a Patre et Filio procedens est, et tres in una essentia divina personae distingui non possunt: sic ex negata hac processione interna haereses Sabellii, Arii et aliorum ortae sunt. — Utraque ergo processio divina declaranda et comprobanda venit: sed de processione divina externa in secunda Theologiae dogm. parte agetur, hic vero de processionibus divinis internis sermo est instituendus.

3. Sicut ipsum Trinitatis mysterium ex sola Revelatione nobis innotescit, ita etiam doctrina de processionibus divinis ex sola Revelatione est haurienda: quae autem de illis in S. Scriptura et Traditione proponuntur, ad fidem spectant, et tot dogmata catholica constituunt. Ab his probe secerni debent ea, quae Theologi ad praedicta dogmata aliquo modo explicanda proposuerunt, haec enim ad fidem non spectant, sed tamen eatenus aestimanda sunt, quatenus ad doctrinam fidei dilucidandam et contra adversarios defendendam, inserviunt. Denique ex dogmatibus de processionibus divinis varia consectaria deducuntur, quae pro completa doctrinae de Trinitate cognitione exponere oportet. In hoc igitur capite 1° *dogmata catholica*, 2° *sententia Theologorum*, 3° *consectaria doctrinae de processionibus divinis* pertractantur.

ARTICULUS I.
Dogmata catholica.

§ 99. Ex dictis constat, tres esse personas divinas realiter distinctas; sed tres personae inter se distinguuntur non secundum essentiam, quae in tribus personis una et individua est, sed distinguuntur per relationes, per quas fit, ut persona prima non sit secunda, et secunda non sit tertia; unde etiam *S. Thomas* dicit, personam in divinis non esse nisi rela-

tionem subsistentem in divina natura. Istae autem relationes cognoscuntur per processiones, quibus una persona ab altera emanat. Iuxta doctrinam autem Revelationis duae dantur in divinis processiones: prima est *generatio*, qua secunda persona procedit a prima, et ideo *Filius* dicitur; secunda simpliciter *processio*, seu *procedentia*, aut *spiratio* nominatur, qua tertia persona, *i. e.* Spiritus sanctus a prima et a secunda persona procedit. Tria sunt ergo de processionibus divinis dogmata catholica, scilicet: 1° *Secunda Persona est genita a prima*, seu *Filius a Patre procedit per generationem*, 2° *Spiritus sanctus procedit a Patre*, et 3° *Spiritus sanctus procedit etiam a Filio.*

Nota. Prima persona divina a nulla alia procedit. Id Christus exprimit dicens: *Pater habet vitam in semetipso* (1). Ideo etiam Pater dicitur *ingenitus*, *improductus*, *innascibilis;* nam, ait *S. Gregorius Naz.:* « Patris proprietas haec est, quod ingenitus sit. » Ecclesia id profitetur in Symbolo Athan., dicens: *Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.* Sicut autem prima persona negative dicitur ingenita et improducta, ita positive dicitur *Pater*, atque *Principium et fons divinitatis.* Sic *S. Athanasius* (2) dicit: « Pater radix est, et fons Filii, et Spiritus sancti; » et *S. Augustinus* (3) ait: « Pater est principium totius Deitatis. » Et omni iure tali appellatione insignitur. Nam, ait *S. Thomas* (4): « Hoc nomen, *principium*, nihil aliud significat, quam id, a quo aliquid procedit. Omne enim, a quo aliquid procedit quocunque modo, dicimus esse principium. Cum ergo Pater sit, a quo procedit alius, sequitur quod Pater principium. »

(1) Io. 5, 26. (2) C. greg. Sabellii.
(3) L. 4 de Trin. c. 20.
(4) 1, q. 33, art. 1 in o. (5) Ps. 2, 7.

1. *Filius a Patre procedit per generationem.*

§ 100. Secundam Trinitatis personam procedere a prima per generationem, et ideo rectissime primam personam Patrem, secundam vero genitam, seu Filium dici, Revelatio clarissime docet.

Prob. 1° *ex V. T.* Ex oraculis antiqui foederis patet, personam divinam esse, quae Messiam, praenuntiatum mittit, et personam divinam esse ipsum Messiam, qui ad redimendum genus humanum mittitur (§ 79). Relatio autem, quae inter has duas personas divinas intercedit, est generatio. Ipse etenim Messias dicit: *Dominus*, i. e. prima persona, Pater *dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* (5); quo in loco Messias, secunda Trinitatis persona *Filius*, et quidem *hodie*, i. e. ab aeterno, genitus dicitur. Ad eundem Messiam prima persona dicit: *ex utero*, i. e. ex ipsa mea essentia, *ante luciferum*, i. e. ante primariam creaturam non creavi, non feci, sed *genui te* (6). Et rursum Deus de Messia, cuius Salomon figura fuit, dicit: *Ego ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in Filium* (7); quae verba citantur, et Iesu Christo applicantur Hebr. I, 5. — Etiam Isaias, Messiae passionem enarrans, eiusque sublimem dignitatem admirans, exclamat: *Generationem eius quis enarrabit* (8)? Denique huc etiam spectant, quae (9) dicuntur de Sapientia aeterna, per quam intelligitur secunda Trinitatis persona (v. § 79 not. 1).

Prob. 2° *ex N. T.* Se a Patre procedere Christus saepe profitetur. Ait:

(6) Ps. 109, 3. (7) 2 Reg. 7.
(8) Cap. 53, 8.
(9) Prov. c. 8, et Eccli. c. 24.

Pater misit me (1); si autem de personis divinis sermo est, solummodo persona, quae procedit, mitti dicitur ab illa, a qua procedit. Christus inquit: *Ego ex Deo processi, et veni: neque enim a meispo veni, sed ille me misit* (2). *Exivi a Patre, et veni in mundum* (3).—Processionem autem, quae in istis locis indigitatur esse generationem, patet ex omnibus iis locis, in quibus Christus primam Deitatis personam *Patrem suum* nominat (§ 76); sicut etiam ex illis locis, in quibus Christus *Filius Dei* vocatur (§ 77). Et quia sola secunda persona per generationem aeternam a prima procedit, ideo Christus Filius Dei *unigenitus* appellatur: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre* (4). *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (5). *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (6). *Filium suum unigenitum misit Deus in mundum* (7). Ex eadem ratione nominatur *primogenitus* et *proprius Filius Dei: Cum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius* (8). *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (9). Clarissime ergo in S. Scriptura N. T. traditur, secundam personam procedere a prima per generationem, seu Filium esse genitum a Patre.

Prob. 3° *ex Symbolis*. In Symbolo Apostolico dicitur: *Credo in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum*, quibus verbis cum secunda Trinitatis persona *Filius* appellatur, huius generatio exprimitur, et, cum Filius *unicus* dicitur, a filiis adoptivis distinguitur. Clarius hoc idem definitum fuit in Concilio Nicaeno, in cuius Symbolo dicitur: *Credimus..... in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre, Unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, Lumen ex Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri*. In Symbolo Athanasiano dicitur: *Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus*. Concilium Toletanum XI, hanc fidei definitionem exhibet: *Neque enim de nihilo neque de aliqua substantia, sed de Patris utero, id est, de substantia eius idem Filius genitus, vel natus esse creditur*.

Prob. 4° *ex Ss. Patribus*, qui Filium ex eo ipso, quia a Patre genitus est, etiam eiusdem cum Patre substantiae, et verum Deum esse probarunt. Sic iam *Iustinus M.* (10) de Filio ait: « Qui cum Verbum sit primogenitum *Dei, Deus etiam est.* » *S. Hilarius* (11) ait: «Ignorat Deum Christum qui ignorat Deum natum. Deum autem nasci non est aliud, quam in ea natura esse, qua Deus est.» Idem acriter perstringit Arianos, qui Filium genitum quidem, sed non eiusdem cum Patre, sed inferioris substantiae esse dixerunt; nam(12) anathema merito dicit esse eos, « qui putant, essentiam Patris a se in Filio degenerasse gignendo. » Et pulcherrime in Arianos hoc ipsum urget *S. Augustinus* (13) dicens: «Si S. Scriptura cogente permittitis, ut verus Filius sit, rogamus, permittite, ut degener non sit. Et degener quomodo? Audiant Catholici, unde erubescant haeretici. Filius viri fortis, si non habeat fortitudinem, degener dicitur; tamen homo est, quod et pater eius est, atque in dissimili vita non

(1) Io. 5, 36. (2) Io. 8, 42.
(3) Io. 16, 28. (4) Io. 1, 14
(5) Ibid. v. 18 (6) Io. 3, 16.
(7) 1 Io. 4, 9. (8) Hebr. 1, 6.

(9) Rom. 8, 32 (10) Apol. 2, n. 6.
(11) L. 11 de Trin. (12) L. de Synod.
(13) L. 2 c. Maxim. c. 6.

est tamen aliena substantia. Vos unigenitum Dei Filium ita degenerem vultis, ut ipsam Patris ei substantiam denegetis. » — Ss. Patres generationem Filii aeternam esse dicunt. Sic *S. Basilius* (1) ait: «Patris origo nulla, sed Pater est ex infinito, nec unquam Pater coepit esse. Origo vero Filii Pater, sed cum ipse ante saecula genitus sit, et semper sit, nunquam esse coepit. » *S. Athanasius* (2) ait: « Hominum est proprium, in tempore generare, ob imperfectionem naturae, Dei vero soboles aeterna est, quia natura semper est perfecta. » *S. Ambrosius* (3) ait: « Quod Pater est, esse non coepit, et si non coepit, nec Filius coepit; » et (4): « Nam si Pater esse coepit, Deus ergo primo erat, postea Pater factus est. Quomodo ergo immutabilis Deus? Si enim ante Deus, postea Pater, utique generationis accessione mutatus est etc. Pia namque mens generationem sine tempore asserit, ut et sempiternum Patrem cum Filio dicat, nec aliquando asserat esse mutatum. » Et *S. Augustinus* (5) inquit: « Non possumus aliter confiteri aeternum Patrem, nisi confiteamur etiam Filium coaeternum. Ex Filio Pater dicitur, et qui semper Pater fuit, semper Filium habuit. » — Ss. Patres etiam docent, generationem Deo ita convenire, ut ipsi denegari non possit. *S. Augustinus* (6) scribit: « Ipse genuit quod est, qui caeteris dedit, ut gignerent quod sunt. *Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus: si ego, qui generationem caeteris tribuo, sterilis ero? ait Dominus Deus tuus* (7). » Similiter *S. Io. Damascenus* (8) inquit: « Nefas est dicere, Deum naturali foecunditate caruisse: foecunditas porro in eo posita est, ut quis ex seipso, i. e. ex propria substantia, prolem natura similem sui edat. »

(1) L. 2 adv. Eunom. n. 12.
(2) Or. 2 c. Arian. (3) L. de Symb. c. 4.
(4) L. 1 de Fide c. 5. (5) Ser. 191 de temp.
(6) Ep. 66. (7) Is. 66, 9.

II. *Spiritus sanctus procedit a Patre.*

§ 101. A prima Persona, a qua secunda generatur, etiam tertia procedit, sed non per generationem; neque enim in S. Scriptura, neque in Traditione Spiritus sanctus generari dicitur, aut genitus, vel Filius appellatur: imo processio per generationem de Spiritu sancto expresse negatur, quia secunda persona in S. Scriptura (Cf. § praec.) Filius Dei *unigenitus*, in Symbolo Apost. Filius Dei *unicus*, in Symbolo Nicaeno *unigenitus* vocatur, et in Symbolo Athanasiano manifeste dicitur, Spiritum sanctum *non factum*, *nec creatum*, *nec genitum* esse. Origo ergo Spiritus sancti a Patre non potest dici generatio, sed simpliciter *processio*, vel *procedentia*, aut *spiratio* nuncupatur. Spirationem vero istam non esse processionem *ad extra*, qua creaturae a Deo originem ducunt, sed esse processionem *ad intra*, omnia argumenta ostendunt, quibus probatum est, Spiritum sanctum esse personam divinam. In hoc sensu Spiritum sanctum a Patre procedere, ex divina Revelatione constat.

PROB. 1° *ex S. Scriptura.* Spiritum sanctum a Patre procedere, affirmat Christus: *Cum venerit Paraclitus... qui a Patre procedit* (9), etc. Ideo nominatur etiam *Spiritus Patris: Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (10). *Spiritus Dei* (11); *Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis* (12). Ex eadem ratione Spiritus

(8) L. 1 fid. orth. c. 8.
(9) Io. 15, 26. (10) Matth. 10, 20.
(11) Rom. 8, 9. (12) Ibid. v. 11. — Cf. 1 Cor. 2, 10 etc. 1 Io. [illegible], 13.

Digitized by Google

sanctus dicitur dari a Patre, et mitti a Patre; Christus enim ait: *Ego ro gabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis* (1); et legitur: *Misit Deus* Pater *Spiritum Filii sui in corda vestra* (2).

PROB. 2º *ex Traditione.* Processionem Spiritus sancti a Patre omnes semper admiserunt, qui Spiritum sanctum Deum esse confessi sunt. De *Eunomio* quidem ait *S. Basilius* (3): « ut Spiritum aufert a Patre, ita eum unice Unigenito attribuit. » Verum haereticus iste Filium et Spiritum sanctum meras creaturas esse docuit, et Filium a solo Patre, Spiritum vero a Filio factum esse asserebat. Orthodoxi autem Patres huic haeresi strenue restiterunt, et Spiritum sanctum a Patre procedere probarunt. Id etiam contra Macedonianos et Eunomianos de fide credendum proposuit Concilium Constantinopolitanum I, quod in Symbolo dicit: *Credimus in Spiritum sanctum... qui ex Patre procedit.*

Nota. Contra doctrinam catholicam de processionibus divinis variae difficultates moventur, quas hic solvere oportet.

Obi. I. Processio definitur origo unius ab alio: id ergo, quod procedit, oritur; id quod oritur, incipit esse; et id quod incipit esse, non est aeternum. Itaque si Filius et Spiritus sanctus procedunt, non sunt personae aeternae, neque divinae.

Resp. Difficultas haec facile e medio tollitur, si rite attenditur distinctio processionis ad extra, et processionis ad intra. In priori vere contingit, ut id, quod procedit, incipiat esse, quia a non esse ad esse transit, ac ideo non aeternum, sed tempori subiectum est; sic in creatione, quae est processio ad extra, omnia inceperunt esse, et mundus non aeternus, sed tempori subiectus est, quamvis ipsa actio, quae omnia produxit, in Deo considerata, non inceperit, nec tempori subiecta, sed aeterna sit dicenda. A processione autem ad extra caute distinguenda est processio ad intra; haec enim fit (seu ut rectius loquamur), est in ipsa essentia divina, quae tempori non est subiecta; ergo quidquid de essentia divina, seu in essentia divina praedicatur, tempori subiectum esse nullo modo potest. Si itaque processio Filii et Spiritus sancti in ipsa essentia divina asseritur, haec ipsa processio aeterna est, initio carens, et etiam id, quod procedit, aeternum est, initium non habens; nam initium, prout importat transitum a non esse ad esse, saltem duo temporis momenta requirit, et ubi tempus nullum est, etiam initium cogitari nequit; quamobrem Filius, et Spiritus sanctus, quamvis procedant, tamen initium non habent, sed sunt personae aeternae, personae divinae. — Nonnulli rem istam maxime sublimem exemplis materialibus declarare conantur, quae, licet adaequata non sint, nihilominus quoddam lumen affundere possunt. Si sol, aiunt, aeternus esset, et ab aeterno, sine temporis dispendio, radium evibraret, hic quoque non minus quam sol aeternus esset. Aut si quis ab aeterno speculum inspiceret, imago quoque inspicientis aeterna esset. Ast non satis apte exempla petuntur a rebus contingentibus, quae tempori subiecta sunt, ad ea declaranda, quae a tempore aliena, atque aeterna sunt. Ideo sane ratio humana processionem aeternam capere refugit, quia et ipsa tempori subiecta est, et omnia in tempore contingere videt. Sed omnino aliter de Deo, ente a se

(1) Io. 14, 16. (2) Gal. 4, 6.

(3) L. 2 c. Eun.

Digitized by Google

absoluto et aeterno cogitandum est; hoc principio rite considerato, etiam difficultas de processione aeterna evanescit, quod ex ipsa notione Dei ostendi potest. Nam omnis recta philosophia admittit, Deum seipsum cognoscere et seipsum amare. Quaerimus, an illa cognitio Deo coaeterna, an iste amor Deo coaeternus sit? humana ratio id vix percipere valet, quia iuxta ipsius ideas obiectum praecedit cognitionem, et haec praecedit amorem, cum nihil volitum nisi cognitum sit. Sed ipsi Philosophi observant, id solum de mentibus finitis et tempori subiectis valere, non autem de Ente infinito et tempori non subiecto, atque ideo admittunt, Deum se ab aeterno cognoscere et ab aeterno amare, ita ut illa cognitio aeterna, et hic amor aeternus sit. Eodem modo dicimus, processionem Filii et Spiritus sancti aeternam esse, et Filium aeternum, et Spiritum sanctum aeternum praedicamus, quia, uti inferius declarabitur, Deus seipsum cognoscens Filium generat, et seipsum amans Spiritum sanctum producit.

Obi. II. Si processiones aeternae sunt, sequitur, quod inania nomina, et non verae processiones sint; nam id, quod ab aeterno existit, non indiget, ut generetur, aut procedat: absonum ergo est, in Deo veram generationem et veram spirationem cogitare. Vel enim Pater genuit Filium existentem, vel non existentem: si primum, frustra genitus est; si secundum, aliquando non fuit Filius: eadem difficultas militat contra processionem Spiritus sancti.

Resp. In hac obiectione turpiter confunditur processio ad intra, cum processione ad extra, et Deus cum creaturis. Concedimus, processiones aeternas non esse processiones ad extra, seu temporarias, quales in entibus contingentibus et tempori subiectis observamus; exinde autem nullatenus sequitur, quod in ipsa essentia divina, quae tempori subiecta non est, verae simul et aeternae processiones non dentur. Essentia enim divina sicut aeterna, ita et simplicissima est, et quaecunque Deus agit, aeterno et simplicissimo actu perficit. Imo quod iuxta nostrum concipiendi modum in Deo fieri dicitur, actu iam factum est; non potest enim Deus cogitari de non actu ad actum transiens, sed omnes actus in Deo aeterni simul et simplicissimi sunt: generatio ergo in Deo, quamvis aeterna, vera tamen generatio, et spiratio, licet aeterna, vera spiratio est. His praemissis, facile decantatum dilemma solvitur. Dicimus enim, Patrem genuisse Filium sibi coexistentem, quia semper genuit et semper generat; nec bene infertur frustra eum genitum esse, quia aeterna est eius generatio, et semper coaeternus Filius est Patri: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* quo certe oraculo penitus evanescit tenuis illa et arguta obiectio. Vel ad hanc id etiam responderi potest, quod Arianis, eodem dilemmate abutentibus reposuit *S. Gregorius Naz.* (1), Patrem neque genuisse Filium existentem, neque non existentem: « ego quidem, ait S. Doctor, neutrum horum admitto. » Ratio est, quia illae loquendi formulae repetuntur ex generatione rerum creatarum, in quibus generatio partim ex ente fit, partim ex non ente; at Verbi divini generatio ipsi divinae essentiae coaeva est; adeoque Filius semper genitus est et semper generatur. Hunc quidem generationis modum comprehen-

(1) Orat. 35.

dere nemo potest; sed generatio, aut processio divina non esset, si comprehendi posset; ideo humanae rationi hic, ut et in aliis fidei nostrae arcanis silentium imponendum est.

Obi. III. Si Filius, et Spiritus sanctus vere a Patre procedunt, hoc inferiores sunt. Nam dicitur: *Beatius est magis dare, quam accipere* (1): ergo Pater beatior et perfectior est Filio et Spiritu sancto quibus essentia per generationem aut spirationem communicatur. Et certe qui generatur, dependet a generante, et qui spiratur, dependet a spirante. Cum autem omnis dependentia Divinitati repugnet, personae, quae dependent, divinae non sunt.

Resp. Axioma biblicum verificatur dumtaxat, quando id, quod datur, non est tantum, nec omnino idem ac ipse dans, ut fit in omnibus causis creatis respectu suorum effectuum; quando autem id, quod accipitur est unum et idem omnino cum ipso dante, ut fit in divinis, tunc non est minus beatum accipere, quam dare: siquidem in hoc casu dans et accipiens non distinguantur in esse, seu substantia, in qua fundatur beatitudo, sed tantum in oppositione relativa dantis, et accipientis, producentis et producti. - Ergo etiam haec difficultas ex eo solum oritur, quia Deus confunditur cum creaturis, et relatio, quae in creaturis inter causam et effectum obtinet, in Deum transfertur. Sed relatio, quae inter Patrem est, et personas ab eo procedentes, iuxta Revelationis doctrinam penitus differt a relatione, quae inter causam et effectum in creaturis habetur. Idcirco in personis, quae procedunt, nulla quoque dependentia sequitur, quae earum divinitati repugnet; una est enim illarum essentia cum Patre, quae est a se independens, aeterna, infinita. Processiones vero, ex quibus fit, ut personae inter se distinguantur, non iam contingentes sunt, sed necessariae, et incomprehensibiles ita, ut limitata ratio humana nullo modo iudicare possit, illas Deo non convenire, aut imperfecte quid in illis adesse. — Nobis Deum philosophice considerantibus videtur, quod sui ipsius cognitio ab eius intellectu, infinitam essentiam perspiciente, et sui ipsius amor a praedicta cognitione dependeat; nullus tamen sanae mentis philosophus Deo ideo aut sui cognitionem, aut sui amorem denegat, ne quid dependentis Enti absoluto adscribat; sed quilibet rectissime iudicat, Deum, ens perfectissimum, non aliter nisi se cognoscentem, et se amantem concipi posse, neque exinde dependentiam quandam, quae Deo non conveniat, sequi. Eodem modo dicimus, ex processionibus divinis nullam Deo non convenientem dependentiam sequi, quia, iuxta communiorem Doctorum sententiam Deus seipsum cognoscens secundam personam generat, et seipsum amans tertiam spirat. — Praesenti obiectioni egregie respondet *S. Anselmus* (2), dicens: « Quaeret forsitan aliquis, et mirabitur dicens: Quomodo potest intelligi, ut aliquid habeat esse de aliquo, et non sit aliquo modo id, de quo est, principalius et dignius, et hoc quod ex eo est, quodammodo minus et quasi secundarium: praesertim cum id, quod est de aliquo, videatur indigere, ut sit, eo, de quod est; illud vero, de quo est, nequaquam egeat eo, quod de se est? — Ad quod respondendum, quia sicut essentia Dei valde diversa et aliena est a creata essentia: ita cum dicimus Deum de Deo existere na-

(1) Act. 20, 35.

(2) L. de process. Spir. S. c. 25.

scendo, vel procedendo, longe aliter intelligenda est ista nativitas, sive processio, quam cum dicimus in aliis rebus aliquid nasci, vel procedere. Ibi enim nihil est aut natura, aut tempore, aut in aliquo prius, aut posterius, magis, aut minus, aut ulla ratione aliquo indigens; sed totum, quod est, non tam aequale, vel simile sibi et coaeternum, quam idem ipsi, et per se sibi ipsi omnino sufficiens; nec nascitur, vel procedit ibi aliquid, quasi de non esse proficiens ad esse. Sicut igitur intellectus noster non potest transire ultra aeternitatem, ut quasi de principio eius iudicet, sic non potest de hac nativitate, vel processione, nec debet ad similitudinem creaturae sentire, vel iudicare. Sed quoniam et quod nascitur, et quod procedit, non est aliud, quam id, de quo est nascens, vel procedens, quod est solus, et unus Deus; sicut idem Deus non est seipso maior, vel minor, ita in tribus, hoc est, in Patre, et Filio, et Spiritu sancto non est aliquid maius, vel minus, nec est alius alio hoc, quod est maius, vel minus; quamvis verum sit, quia Deus est de Deo, nascendo et procedendo » (1).

III. *Spiritus sanctus procedit etiam a Filio.*

§ 102. Sicut credendum est, Spiritum sanctum a Patre procedere, sic etiam credendum est, Spiritum sanctum a Filio quoque procedere; utrumque enim Revelatio docet. Sed hoc in dogmate aberrant Graeci, qui docent, Spiritum sanctum a solo Patre procedere; contra ipsos ergo probandum est, Spiritum sanctum etiam a Filio procedere.

A. *Argumenta ex S. Scriptura petita.*

§ 103. 1. Dogma catholicum probant ea Scripturae loca, in quibus Spiritus sanctus accipere a Filio dicitur. Cum enim Filius eoipso quod a Patre accipit, ab eo procedat; certe et Spiritum sanctum a Filio procedere intelligitur, cum ab eo accipit; neque enim alio modo una persona in Deo ab alia accipere potest. Iam vero de Spiritu sancto dicitur: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur* (2); et: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (3); cur autem a Christo accipiat, dicitur: *Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (4). Christus in hisce verbis non solum Spiritum sanctum a se accipere, seu a se procedere testatur, sed huius processionis etiam rationem reddit, dicens: *Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt;* quod confirmant etiam verba: *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt* (5). Ex citato ergo loco invictum pro processione Spiritus sancti a Filio infertur argumentum. Idcirco enim Spiritus sanctus a Filio accipit, quia Filius ea habet omnia, quae Patris sunt, una excepta relatione Paternitatis; atqui Pater vim habet spirandi Spiritum sanctum, et eum re ipsa spirat, seu producit, ut Graeci ipsi fatentur; ergo Filius eandem habet cum Patre vim spirandi Spiritum sanctum, et eum re ipsa spirat, seu producit. Et haec conclusio non solum Theologorum est, sed ipsius Christi dicentis: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt, propterea,* i. e. ex hac ratione, *dixi: quia de meo accipiet*, etc. – Perperam etiam nonnulli cum *Theophylacto* huic argumento opponunt, quod

(1) Cf. Staudenmayr § 92, p. 588.
(2) Io. 16, 13.
(3) Ibid. v. 14.
(4) Ibid. v. 15.
(5) Io 17, 10.

non de communicatione essentiae, sed de communicatione scientiae sit sermo, quia citatis verbis additur: *et annuntiabit vobis;* nam observandum est, omnia attributa divina esse ipsam essentiam divinam, a qua realiter non distinguuntur, ex quo sequitur, communicationem scientiae ipsam essentiae communicationem esse; - et certe Spiritus sanctus non accipit scientiam a Filio per instructionem, aut infusionem, quod personae divinae penitus repugnaret, sed illam a Filio accipere dicitur, quia sicut a Patre, ita etiam a Filio procedit. — Vere autem in citato loco de communicatione essentiae sermonem esse, confirmant antiquissimae versiones: — Persica: *A me accipiet.* Arabica: *Accipiet de eo, quod meum est.* Aethiopica: *Totum quod habet, meum est.* Syriaca: quippe, *Qui de me est* (1). — Denique etiam Patres citari possunt, qui, ex citato loco, processionem Spiritus sancti a Filio probarunt: sic *Didymus* (2) ita verba Christi interpretatur: « *Non enim loquetur ex semetipso;* qui non ex se est, sed ex Patre et ex me; hoc enim ipsum, quod subsistit et loquitur, a Patre et a me illi est. » *S. Hilarius* (3) ait: « Neque in hoc nunc calumnior libertati intelligentiae, utrum ex Patre, an ex Filio Spiritum Paracletum putent esse. Non enim in incerto Dominus reliquit; nam sub iisdem dictis haec ita locutus est: *Non enim (Spiritus veritatis) loquetur a semetipso... ille me clarificabit, quia de meo accipiet... omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt: propterea dixi: de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* A Filio igitur accipit, qui et ab eo mittitur, et a Patre procedit. Et interrogo, utrum idipsum sit a Filio accipere, quod a Patre procedere? certe idipsum, atque unum existimabitur a Filio accipere, quod sit a Patre procedere. » *S. Epiphanius* (4) scribit: « Cum Christus ex Patre credatur Deus ex Deo, et Spiritus ex Christo, sive ex ambobus, ut Christus his verbis asserit: *Qui ex Patre procedit,* et *hic de meo accipiet.* » *S. Cyrillus Alex.* (5) ita verba Christi declarat: « Quoniam Spiritus sanctus consubstantialis Filio est, proceditque per eum, omnem ipsius in omnibus perfectissimam habens efficientiam et virtutem, ideo dicit: *De meo accipiet.* »

2. Idem dogma probatur ex iis locis, in quibus Spiritus sanctus - Spiritus Filii nominatur: *Non permisit eos Spiritus Iesu* (6). *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius* (7). *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra* (8). *Spiritus veritatis docebit vos* (9): *veritas* autem Christus est (10). — Sicuti ergo Spiritus sanctus est Spiritus Patris, sic est etiam Spiritus Filii; sed Spiritus Patris est, quia a Patre procedit; ergo pariter est Spiritus Filii, quia a Filio procedit. Ideo *S. Augustinus* (11) ait: « Cur non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus? » — Sicut enim secunda Persona non potest Filius Spiritus sancti appellari, quia ab ipso non procedit, ita Spiritus sanctus nec Spiritus Filii diceretur, si a Filio non procederet. — Inepte prorsus Graeci reponunt, Spiritum sanctum appellari Spiritum Filii, quia hic illo repletus erat, dicente Scriptura: *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane* (12). Si enim ideo tantum Spiritus sanctus di-

(1) V. Klüpfel § 36 not.
(2) L. 2 de Spiritu S.
(3) L. 8 de Trin. c. 20. (4) In Ancorat. n. 67.
(5) L. 2 in Io. (6) Act. 16, 7.
(7) Rom. 8, 9. (8) Gal. 4, 6.
(9) Io. 16, 13. (10) Io. 14, 6.
(11) Tr. 99 in Io. (12) Luc. 4, 1.

ceretur *Spiritus Filii*, quia Christum excellenter replevit secundum humanitatem, posset ille idem etiam Spiritus Petri, et aliorum Apostolorum nominari, quia de his legitur: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto* (1). Praetereasi per *Spiritum Filii* solummodo dona Christo secundum humanitatem concessa intelligerentur, sequeretur, iuxta dictum Gal. IV, 6, Patrem dona, quae Filio secundum humanitatem concesserat, in Fidelium corda transtulisse, quod utrumque absurdum esse, Graeci nequeunt diffiteri (2).

3. Tertium argumentum ex iis locis eruitur, in quibus Spiritus sanctus a Filio perinde ac a Patre mitti dicitur. Christus ait: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* (3); et: *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos* (4): ex quibus patet, Spiritum sanctum a Filio mitti: atque unius personae divinae ab alia missio, supponit personam ab ea procedere, a qua mittitur: ideo enim Pater nunquam dicitur missus, quia ab alio non procedit: « Pater ait: *S. Augustinus* (5) non dicitur missus; non enim habet, de quo procedat. » Ergo cum Spiritus sanctus, teste Scriptura a Filio mittatur, ab ipso etiam procedere credendus est. — Respondent Graeci, verba, quibus Spiritus sanctus dicitur a Filio mittendus, vel missus, intelligenda esse non de ipsa Spiritus sancti persona, sed de gratia sanctificante, quae Spiritui sancto tribuitur: at nullius momenti est ista responsio. Nam *Spiritum, qui a Patre procedit*, personam, verumque Deum esse, Graeci confitentur: atqui Filius dicitur in Scripturis missurus Spiritum sanctum, qui a Patre procedit: sic nempe testatur ipsemet Christus: *Ego mittam vobis Spiritum veritatis, qui a Patre procedit:* ergo de ipsa Spiritus sancti persona accipienda sunt loca Scripturae, in quibus a Filio mittendus dicitur.

4. Pro eodem dogmate citari etiam possunt verba Christi: *Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum* (6) etc., in quae verba *S. Augustinus* ait: « Quid enim aliud significavit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus sanctus et de ipso? » et (7) scribit: « Neque enim flatus ille corporeus substantia Spiritus sancti fuit, sed demonstratio per congruam significationem, non tantum a Patre, sed et a Filio procedere Spiritum sanctum. » *S. Cyrillus Alex.* (8) inquit: « Idcirco Christus insufflavit corporaliter, ostendens, quod sicut ex ore humano Spiritus prodit corporaliter: sic ex divina substantia, Deitati convenienter, Spiritus, qui ex eo (Filio) est, profunditur: » et postea (9) ait: « Statim eos sanctificat, manifesto insufflatu Spiritum eis largiens, ut et nos firmiter crederemus, alienum non esse a Filio Spiritum, sed ei consubstantialem, et per ipsum ex Patre procedentem. » *Anastasius Sinaita* Antiochenus Episcopus (10) inquit: « At vero Dominus ostendens ex semetipso Spiritum existere, insufflans discipulis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum.* » — Perperam Theophylactus hoc argumentum enervare conatur dicens, in citato loco Apostolis unum solum charisma, scilicet potestatem remittendi peccata, non ipsum Spiritum sanctum

(1) Act. 2, 4.
(2) Cf. S. Thom. Aq. Opusc. 1 c. Graecos.
(3) Io. 15, 26. (4) Io. 16, 7.
(5) L. 4 de Trin. c. 20, n. 28.
(6) Io. 20, 22. (7) L. 4 de Trin. c. 20.
(8) L. 9 in Io. (9) L. 12 in Io.
(10) In lib. 1 de rectis dogmat.

dari, qui si iam per hanc insufflationem collatus fuisset, eius adventus in die Pentecostes supervacaneus fuisset, cum tamen Christus ipse dixerit: *Si non abiero, non veniet ad vos.* — Inanis est baec obiectio contra argumentum, quod non tam a dono concesso, quam potius a modo concessionis, nempe ab insufflatione coniuncta verbis *Accipite Spiritum Sanctum* petitur. Si Christus per insufflationem Apostolis potestatem remittendi peccata dedit, per solemnem Spiritus sancti sub figura ignearum linguarum adventum in die Pentecostes ipsis reliqua charismata, et dona ad propagandum Evangelium necessaria largiter concessit, atque ideo hic adventus supervacaneus non fuit: et hunc Christus post discessum suum ex hoc mundo promisit.

Nota. Graeci, praeter difficultates iam propositas et solutas, alia quoque argumento biblico opponunt, quae hic confutanda sunt.

Obi. I. Illud dogma non est admittendum, quod in S. Scripturis non continetur, sicut *Dionysius* (1) dicit: « Non est audendum dicere aliquid, neque cogitare de supersubstantiali occulta divinitate praeter ea, quae divinitus nobis ex sacris eloquiis sunt expressa: » Atqui processio Spiritus sancti a Filio non continetur in Scripturis sanctis; quin imo Spiritus sanctus a solo Patre procedere dicitur, nulla facta mentione Filii; Christus enim ipse Spiritum sanctum nominat *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* (2); ergo processio a Filio non est admittenda. Huic argumento maxime fidunt Graeci, et Christi dictum « acutum telum » adversus Latinos vocare consueverunt; in re enim, aiunt, tanti momenti nemo dixerit, defecisse nobis Deum, nec satis clare tale mysterium revelasse. Et sane Christus clare asseruit, Spiritum Sanctum *a Patre procedere;* sed, ait *Theophylactus*, « si etiam a Filio procedit, quid vetabat eum dicere: qui a Patre et a me procedit? id ergo, quod non dixit, credendum non est. »

Resp. Facile est, decantatam hanc obiectionem refellere. Nam *a*) in argumentatione Graecorum iam propositio maior neganda est, quia fidei morumque regula non in solo verbo Dei scripto, sed etiam in tradito sita est, quod Graeci nobiscum fatentur: atqui in admittenda Spiritus sancti a Filio processione, conspirat Patrum tum graecorum, tum latinorum traditio, uti § seq. probabitur: ergo etiamsi processio Spiritus sancti a Filio in S. Scripturis nullo modo contineretur, nihilominus admittenda esset, quia ex Traditione comperta est. Si Dionysius ait, de supersubstantiali occulta divinitate nihil dicendum esse praeter ea, quae divinitus nobis ex sacris eloquiis sunt expressa, per haec sacra eloquia intelligit omnia, quae divinitus revelata sunt, sive in Scriptura, sive in Traditione contineantur: utrumque enim Revelationis fontem Dionysius agnovit (Cf. Th. gen. § 198). *b*) Neganda etiam est propositio minor. Quamvis enim in S. Scriptura non expresse legatur - Spiritus sanctus a Filio procedit - talia tamen in illa leguntur, quae huic sententiae omnino aequivalent, quia Spiritus sanctus dicitur accipere a Filio, mitti a Filio, esse Spiritus Filii, ut iam probatum est. *c*) Nullibi in S. Scriptura dicitur Spiritus sanctus *a solo Patre* procedere, sed simpliciter a Patre procedere; si autem processio a Patre asseritur, non ideo processio a Filio negatur, et si in citato loco Io. XV, 26 de Filio mentio

(1) De div. Nom. c. 1.

(2) Io. 15, 26.

non fit, id quod reticetur, non ideo negatur. Putant quidem Graeci, quod Christus claritatis causa processionem a se exprimere debuisset; nam, ait *Theophylactus*, « quid vetabat eum dicere: qui a Patre et a me procedit?» Sed, reponit cel. *Beccus*, « non alia ratione Latinus eidem reddens verba sua dicet: Si ex solo Patre procedit Spiritus, quid impedimento fuit Christo, ne diceret qui *ex solo Patre* procedit? et cum Theophylactus exprobrat Italo non sequi, quod superaddat ; ex Filio ; iisdem et ipse exprobrationibus obnoxius erit, quod superaddat *ex solo* » (1). *d*) Negari etiam potest in citato loco Spiritus sancti processionem a Filio reticeri, tum quia Christus ibi dicit, se mittere Spiritum sanctum; tum quia processio Spiritus sancti a Filio in processione eiusdem a Patre includitur; ut enim observat *S. Augustinus* (2): « Cum de illo (Spiritu sancto Filius loqueretur, ait *de Patre procedit;* quoniam Pater processionis eius est auctor, qui talem Filium genuit, et gignendo dedit, ut etiam de ipso procederet Spiritus sanctus. Nam si non procederet et de ipso, non diceret discipulus: *Accipite Spiritum sanctum.* » *e*) *S. Anselmus* (3) propugnat, quod etiamsi in Scripturis diceretur, Spiritum sanctum non procedere nisi a Patre, haud tamen Filius excluderetur. Rationem reddit *S. Thomas* (4), scribens: « Regulariter in S. Scriptura tenendum est, quod id, quod de Patre dicitur, oportet de Filio intelligi, etiamsi dictio exclusiva addatur, nisi solum in illis, in quibus Pater et Filius secundum oppositas relationes distinguuntur. Cum enim Dominus dicit: *nemo novit Filium nisi Pater* (5), non excluditur, quin Filius seipsum cognoscat. Sic igitur cum dicitur, quod Spiritus sanctus a Patre procedit, etiamsi adderetur, quod a solo Patre procedit, non excluderetur inde Filius, quia quantum ad hoc, quod est esse principium Spiritus sancti, non opponuntur Pater et Filius, sed solum quantum ad hoc, quod hic est Pater et ille Filius. »

Obi. II. Verba Christi: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt* intelligi debent de substantialibus tantum attributis, non de hypostaticis proprietatibus: ergo ex illis verbis inferri non potest processio Spiritus sancti a Filio. Neque hanc probant subsequentia verba: *de meo accipiet*, quae temporalem dumtaxat missionem, non autem aeternam processionem indigitant; nam si de hac sermo esset, Christus in tempore praeterito, aut praesenti, et non in futuro locutus esset. Igitur in citato loco solum temporalis adventus Spiritus sancti praedicitur, et si hic a Filio mitti perhibetur, Christus ipse declarat, quo sensu id accipi debeat, dicens: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis:* mittit ergo Spiritum sanctum Filius moraliter *rogando* non physice *spirando*.

Resp. Christus universaliter loquitur: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt:* ideo Ss. Patres et Theologi rectissime inferunt, Patri et Filio omnia communia esse, quae non pertinent ad discrimen hypostaseon inter eos constituendum: sed ad haec non pertinet spiratio tertiae personae: ergo haec Patri competit et Filio: neque haec conclusio humano solum ratiocinio, sed effato Christi innititur, qui ex praefata sententia infert: *propterea dixi* etc. Graeci igitur, hanc conclusionem impugnantes, non La-

(1) V. Allatium 1 p. 215.
(2) L. 2 c. Maximin. c. 14, n. 1.
(3) L. de process. Sp. S.
(4) 1. q. 36 art. 2 ad 1. (5) Matth. 11.

Digitized by Google

tinos tantum, sed ipsum Christum criminantur. — Non negamus quidem, Christum temporalem Spiritus sancti adventum praedicere, sed, hac occasione arrepta, etiam docet, Spiritum sanctum a se accipere, a se mitti, ac proinde a se procedere. — Nec refert modus loquendi in futuro; dicitur enim in futuro, *accipiet*, quia aeternitas, qua divinae processiones mensurantur, complectitur omnia tempora, ut S. *Augustinus* hunc locum exponens observat dicens: « erit, fuit, est: erit, quia nunquam deerit: fuit, quia nunquam defuit: est, quia semper est. » Si Christus ait: *ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis*, non idcirco negat, quod alibi dicit, Spiritum sanctum a se accipere et a se mitti; neque sibi contradicit; nam Christus Deus est, et homo, et sic de missione morali simul et physica loquitur; loquitur enim Christus ut Deus, cum dicit: *Mittam vobis Spiritum veritatis;* loquitur ut homo, cum addit: *Ego rogabo etc*. Sic utramque missionem complectitur, quam simul Graeci confundunt, dum ad solam moralem reducunt.

Obi. III. Latini asserunt, Filio, ob consubstantialitatem, omnia cum Patre communia esse praeter ea, in quibus ratio hypostaseos, seu relationis oppositio versatur. Sed, hoc principio admisso, magnum absurdum sequitur. Nam etiam Spiritus sanctus Patri consubstantialis est, et ideo ipsi omnia, in quibus non intercedit oppositio relativa, cum Patre communia esse deberent; ast Pater habet generationem Filii: ergo, cum in generatione Filii nulla interveniat oppositio relativa inter Patrem et Spiritum sanctum sequeretur, Filium pariter a Spiritu sancto generari, quod absonum a fide est.

Resp. Inanis haec Graecorum cavillatio diluitur doctrinam revelatam exponendo. Iuxta hanc enim prima Trinitatis persona est Pater, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus. In hoc personarum ordine agnoscendo nobiscum Graeci consentiunt. Ergo Spiritus sanctus ordine tertius est in ratione personae, ac proinde processionis ordine secundus: fieri igitur nequit, ut Spiritus sanctus gignat Filium, qui ordine ac processione anterior est ipso, etsi in activa generatione Patris nulla sit oppositio relativa cum Spiritu sancto. Ex ipsis ergo relationibus, quibus personae divinae inter se distinguuntur, recte colligitur, Spiritui sancto generationem Filii nullatenus attribui posse.

Obi. IV. Si Spiritus sanctus a Patre et a Filio procederet, essent duo principia Spiritus sancti; ipse duplici actione produceretur, et in seipso divisus esset: talia autem asserere nefas est.

Resp. Negandum est omnino, tales consequentias ex dogmate catholico inferri posse. Procedit enim Spiritus sanctus a Patre et Filio tanquam ex uno principio et una spiratione: id ipsa verba Christi, Io. XVI, 13, evincunt; nam Spiritus sanctus ideo dicitur de eo, quod Filii est, accipere, quia Filius omnia sui Patris habet: sicut igitur una est Patris Filiique essentia, sapientia, et omnis alia ambobus communis perfectio: ita etiam una est utriusque spirandi vis, quod idem est, ac duas primas divinas personas esse unum tertiae principium. Haec est Ss. Patrum et Ecclesiae catholicae doctrina. S. *Augustinus* (1) ait: « Fatendum est, Patrem et Filium principium esse Spiritus sancti; sed sicut Pater et Filius unus Deus, et ad creaturam relative unus Creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum

(1) L. 5 de Trin. c. 14.

sanctum unum principium. » Idem (1) inquit: « Pater, principium non de principio, Filius principium de principio; sed utrumque simul non duo, sed unum principium. » *S. Isidorus* (2) scribit: « Inde unum sunt Pater et Filius, quia nihil habet Pater, quod non habet Filius; non enim res una, et duorum consubstantialis poterit simul ab eis procedere, et simul inesse, nisi unum fuerit, a quibus procedat. » *S. Anselmus* (3) docet, Spiritum sanctum ab uno principio esse, « quia non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater et Filius, sed ex eo, in quo unum sunt. » *S. Thomas* (4) ait: « Dicendum, quod Pater et Filius in omnibus unum sunt, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Unde cum in hoc, quod est esse principium Spiritus sancti, non opponantur, relative sequitur, quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti. » *Concilium Lugdunense II* inquit: *Damnamus, et reprobamus omnes, qui temerario ausu asserunt, quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio tanquam* ex duobus *principiis, non tanquam ab uno procedat.* Eodem modo *Concilium Florentinum definivit*, Spiritum sanctum a Patre, et Filio aeternaliter tanquam *ab uno principio* et *una spiratione* procedere.

Obj. V. Tot sunt principia Spiritus sancti, quot sunt personae, a quibus procedit: atqui in sententia Latinorum duae sunt personae, a quibus Spiritus sanctus procedit, Pater nimirum et Filius: ergo et duo sunt Spiritus sancti principia.

Resp. Falsa est in argumentatione Graecorum propositio maior, quam negamus, et sic contra ipsos argumentamur. Ibi unicum est processionis principium, ubi una eademque numero et indivisa est virtus Spiritum sanctum producendi: atqui, licet duae sint personae, a quibus procedit Spiritus sanctus, in Patre tamen et Filio unica est numero, et indivisa Spiritum sanctum producendi virtus: quidquid enim habet Pater, idem numero est in Filio, siquidem Pater non differt a Filio nisi originis relatione, qua fit, ut ille Pater sit, et iste Filius: ergo Pater et Filius unum sunt Spiritus sancti principium. Et vero nonne fatentur Graeci, creaturas omnes a tribus personis tanquam ab uno principio procedere? plures enim non sunt creatores. Quam autem ob causam ita sentiunt Graeci? nonne, quia una et eadem numero est in tribus personis creandi potentia eademque actio? — Atqui pariter in Patre et Filio una et eadem numero est virtus Spiritum sanctum producendi; omnia enim, quae habet Pater, una excepta paternitate, quae ipsi propria est, Filio suo communicat ab aeterno: ergo nihil obstat, quominus Spiritus sanctus a Patre et Filio tanquam ab uno principio procedat. (Plures similes difficultates solvit *S. Thomas* (5), et *Liberius a Iesu*) (6).

II. *Argumenta ex Traditione desumpta.*

§ 104. Cum Ecclesia latina processionem Spiritus sancti a Filio publice profiteretur, Graeci clamitarunt, illam ab antiqua Traditione recessisse, et novam doctrinam introduxisse. Sed haec criminatio longe a veritate aberrat; nam ipsi Graeci potius, Spiritus sancti a Filio processionem negantes, ab antiqua Traditione recesserunt, et novam doctrinam introduxerunt. Semper enim, ubique, et ab

(1) L. 3, c. Maxim. c. 17.
(2) L. 1. Sent. de summo bono c. 15.
(3) In Monol. c. 52.
(4) 1, q. 36, a. 4.
(5) 1, q. 36, art. 4.
(6) T. 1, tract. 1 Controversia 8

omnibus orthodoxis creditum est, Spiritum sanctum non a solo Patre, sed etiam a Filio procedere. Id patet

1. *Ex Patribus graecis*, quorum auctoritas hic certe summi momenti est. S. *Athanasius* (1) ait: « Nec Spiritus Verbum cum Patre coniungit, sed potius Spiritus hoc a Verbo accipit.... Quaecumque Spiritus habet, haec a Verbo habet: » et dein (2): « Non tria principia, aut tres Patres introducimus sicut Marcionitae, cum non tres soles ad comparationem adducamus, sed unicum solem eiusque splendorem ûnicamque ex ambobus lucem. » Comparat hic S. Doctor Patrem soli, Filium splendori, et Spiritum sanctum luci, docetque splendorem a sole, i. e. Filium a Patre, lucem vero seu Spiritum sanctum a sole et splendore i. e. a Patre et a Filio procedere: hanc porro comparationem orthodoxis communem esse innuit, quod etiam ex antiquorum Patrum scriptis constat. — Idem (3) in verba Ps. XXXV, *quoniam apud te est fons vitae*, inquit: « Norat David apud Deum Patrem, Filium esse fontem Spiritus sancti. Et (4) scribit: « Quemadmodum Filius dicit: *Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt*, ita haec omnia per Filium in Spiritu esse deprehendimus. » — *S. Basilius* l. 2, c. Eunomium, asserentem, Spiritum sanctum a solo Filio factum esse, ita argumentatur: « Illud vero cui non paret, quod nulla Filio operatio a Patre divisa est? nec est aliquid in rebus, quod Filio insit, et a Patre alienum sit: *Omnia*, inquit, *mea tua sunt, et tua mea*. Quomodo ergo Spiritus causam, et originem Unigenito soli attribuit (Eunomius)? » S. Doctor ergo admittit Spiritum sanctum procedere a Filio, et ex hoc ipso probat, quod etiam a Patre procedat; ac dein addit, Spiritum sanctum a Patre et Filio tanquam ab uno principio procedere, « cum partim quidem Apostolus coniuncte nobis tradat et modo Christi, modo Dei Spiritum dicat.... partim vero Dominus Spiritum veritatis nominet: quippe ipse est Veritas, proceditque a Patre. » L. 3, c. Eunom. n. 1, inquit: « (Spiritum sanctum) dignitate secundum esse a Filio, ut qui esse ab illo habeat, et ab ipso accipiat, et annunciet nobis, et omnino ex illa causa pendeat, pietatis sermo tradit. » L. 5 contra eundem haereticum ad huius interrogationem: « Cur Spiritus sanctus non dicatur Filius Filii? respondet: non quod ex Deo non sit per Filium, sed ne Trinitas putetur esse infinita multitudo, si quis eam suspicaretur, ut fit in hominibus, filios ex filiis habere. » Idem (5) sic loquitur: « Quemadmodum se habet Filius ad Patrem, ita ad Filium se habet Spiritus secundum traditum in baptismo verborum ordinem; » et (6) ait: « Quia et Spiritus Christi dicitur... denique tanquam Paracletus in seipso exprimit Paracleti, a quo missus est, bonitatem, et in sua propria dignitate eius, a quo processit, maiestatem exhibet. » — *S. Cyrillus Hier.* (7) ait: « Pater dat Filio, Filius communicat Spiritui sancto divinitatem. » — *S. Gregorius Naz.* (8) inquit: « Christus misit nobis Spiritum sanctum de propria sua, et ex una eademque substantia. » Idem in sermone Concilii Constantinopolitani (9) ait: « Necessarium est credere SS. Trinitatem, Patrem scilicet sine principio, Filium vero principium a Patre principio, Spiritum sanctum autem cum prin-

(1) Orat. 4 (iuxta Graecos 3) c. Arian. n. 21.
(2) In eadem Oratione.
(3) L. de Incarn. n. 9.
(4) Epist. 3 ad Serap. n. 1.
(5) L. de Spiritu S., c. 17.
(6) Ibid. c. 18. (7) Catech. 16, n. 21.
(8) Orat. 49.
(9) Apud S. Thom. Opus. 1 c. 32.

cipio Filio, unum Deum esse. » *S. Gregorius Nyss.* (1) scribit: « Porro idem nobis et de Spiritu sancto dicendum est, cuius in solo ordine differentia constituta est; nam ut Patri coniunctus est Filius, et cum ex illo esse habet, non tamen posterius existit, sic etiam Spiritus sanctus proxime haeret Filio, qui sola cogitatione secundum rationem principii prius consideratur productione Spiritus. Nam temporum intervalla in illa vita, quae saeculum omne praecedit, locum non habent, adeo ut detracta principii ratione nulla re sancta Trinitas a se ipsa dissideat. » S. Doctor hic docet, 1° Spiritum sanctum ab aliis duabus personis solo ordine differre, qui ordo originis est, non naturae: 2° sicut Filius qui a Patre procedit, sic cum illo coniunctus est, ut posterius non existat; ita et Spiritus sanctus cum Unigenito adhaeret: 3° ratione principii dumtaxat Filium esse Spiritu sancto priorem: 4.° sublata ratione principii nullum esse in Trinitate discrimen. Idem (2) ait: « Spiritus sanctus et ex Patre dicitur, et ex Filio esse perhibetur: *Si quis enim*, ait Apostolus, *Spiritum Christi non habet, hic non est ipsius.* » — *S. Chrysostomus* (3), comparat Spiritum sanctum aquae, quae de fonte procedit, qui Filius et Pater est, ait enim: « Salvator dicit: qui credit in me, sicut dicit Scriptura, *flumina de ventre ipsius fluent aquae vivae:* et hanc aquam interpretans Evangelista subiicit: hoc autem dicebant de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum. Si ergo Ioannes Evangelista declarans Spiritum sanctum dixit aquam vivam; Pater vero dicit: *Me dereliquerunt fontem aquae vivae* (4), fons et Spiritus Pater: ob id etiam ex Patre procedit: » ex his verbis patet, S. Doctorem pro explorato habere, Spiritum sanctum procedere a Filio: probat vero, quod *etiam* a Patre procedat, quia Pater quoque fons aquae vivae dicitur. Idem in Homilia de Incarn. quam ipse Photius Chrysostomo adscribit, ita loquitur: « Venit ad nos Christus, dedit nobis Spiritum, qui est ex ipso, et assumpsit nostrum corpus. » Clarissime dogma proponitur Hom. 1 de symb. ubi legitur: « Iste est Spiritus procedens de Patre et Filio, qui dividit singulis propria dona, prout vult. » Et Hom. 2 de symb.: « Istum Spiritum sanctum dicimus Patri et Filio coaeternum, et procedentem de Patre et Filio. » Sed istae Homiliae a multis S. Chrysostomo abiudicantur. *S. Epiphanius* (5) inquit: « A Patre Filioque non alienus (est Spiritus sanctus), sed ex eadem substantia eademque divinitate ex Patre et Filio. » Et (6) alibi: « Vita totus est Deus. Ergo vita est e vita Filius: *Ego* enim *sum*, inquit, *veritas et vita.* At Spiritus sanctus ab ambobus oritur, Spiritus e Spiritu. » Denique (7) scribit: « Spiritus Dei, et Spiritus Patris, et Filii Spiritus; — non compositione aliqua quemadmodum in nobis anima corpusque coniungitur; sed inter Patrem et Filium medius, ex Patre Filioque procedens, et appellatione tertius. » — *S. Cyrillus Alex.* (8) inquit: « Cum Spiritus sanctus in nobis existens conformes nos efficiat Deo, procedat autem ex Patre et Filio, perspicuum est, divinae ipsum substantiae esse: » et inferius dicit: « Si renovante nos Christo, — Spiritus renovare dicitur, necesse est fateri, Spiritum ex essentia Filii esse. » Idem in synodica Epi-

(1) L. 1 c. Eunom.
(2) Orat. 3 in Orat. Dominic.
(3) Hom. de Spiritu S (V. Petav. l. 8, c. 4, n. 4. (4) Ier. 1. (5) Haer. 62.

(6) Haer. 74, n. 7. (7) In Ancorato n. 8.
(8) L. 24 Thesau

stola ad Nestorium suo et totius Ecclesiae aegyptiacae nomine conscripta haec habet: « Etsi Spiritus in propria persona subsistat, eatenusque in se ipso consideretur, quatenus Spiritus est, et non Filius: sed tamen, non est alienus ab eo, Spiritus enim veritatis nominatur, et Christus est veritas, et proinde quoque ab illo, atque a Deo Patre procedit. » Idem Anathematismo IX Spiritum sanctum « proprium Filii vocat, atque in declaratione eiusdem anathematismi, non solum Filium Spiritum sanctum proprium habere profitetur, sed aperte asserit: « qui ex ipso est, ipsique essentialiter inest. » Hisce maxime praeclaris Ecclesiae graecae Doctoribus addi possunt: — *Martialis* (1) scribens: « Spiritus Domini non genitus, non factus, non creatus, sed procedens ex Patre et Verbo: » *S. Maximus* (2) docens, « etiam ex Filio Spiritum sanctum procedere, et inter se consentire Patrum auctoritates: » et *Simeon Metaphrastes* (3) dicens: « Et in coelos Christus meus attollitur, et ad paternum thronum revertitur, et procedentem a se Spiritum ad infideles deducendas gentes in discipulos immittit » (4).

2. *Ex Patribus latinis*, qui in asserenda processione Spiritus sancti a Filio consentiunt. Sic *Tertullianus* (5) ait: « Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium. » Idem (6) scribit: « Tertius Spiritus sanctus a Deo, et Filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice, et tertius a fonte rivus ex flumine, et tertius a sole apex ex radio. » *S. Hilarius* (7) scribit: « Loqui de eo (Spiritu sancto) non necesse est, qui de Patre et Filio auctoribus confitendus est. » Idem (8), inquit: « A Filio igitur accipit, qui et ab eo mittitur, et a Patre procedit. Et interrogo, utrum idipsum sit a Filio accipere, quod a Patre procedere. Quod si nihil differre credetur inter accipere a Filio et a Patre procedere, certe idipsum atque unum esse existimabitur a Filio accipere quod sit accipere a Patre. Ipse Dominus ait (9): quoniam *de meo accipiet* etc.... Omnia, quae Patris sunt, Filii sunt, et ideirco quidquid accipiet ille mittendus, a Filio accipiet, quia Filii sunt universa quae Patris sunt. » Et (10): « Qui (Spiritus) ex te (Patre) per tuum Unigenitum est. » — *Marius Victorinus* (11) ait: « Duo ergo et isti, alius ex alio, ex Filio Spiritus sanctus, sicut ex Deo Filius, conrationaliter et Spiritus sanctus ex Patre. » — *S. Ambrosius* (12) inquit: « Spiritus sanctus, cum procedit a Patre et Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio. » Idem (13) scribit: « Spiritus sanctus vere spiritus est, procedens quidem a Patre et Filio, sed non est ipse Filius, quia non generatur, neque Pater, quia procedit ab utroque, non genitus, non ingenitus, non factus. » — *S. Augustinus* (14) ait: « Nec possumus dicere, quod Spiritus sanctus et a Filio non procedat; neque enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii Spiritus dicitur. » Et (15) ita disserit: « Non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec donum Dei nisi Spiritus sanctus, nec de quo genitum est Verbum, et de quo principaliter procedit Spiritus sanctus, nisi Deus Pater. Ideo autem ad-

(1) Epist. ad Burdegal. (2) In Epist. ad Marinum Cypri presbyterum.
(3) In martyrio S. Dionysii.
(4) C. Petav. l. 7. de Trinit., c. 3-c. 8.
(5) Adv. Prax. c. 4. (6) Ibid. c. 8.
(7) L. 2 de Trin. c. 29. (8) L. 8 c. 20.
(9) Io. 16, 15. (10) L. 12 c. 57
(11) L. 1 c. Arium.
(12) L. 1 de Spir. S. c. 11 (alias 10) n. 120.
(13) Lib. de symbolo c. 3.
(14) L. 4 de Trin. c. 20.
(15) L. 15 de Trin. c. 17.

didi, principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit non iam existenti, et noudum habenti, sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo donum commune procederet, et Spiritus sanctus Spiritus esset amborum. » Idem (1) inquit: « Sicut habet Pater in semetipso, ut de illo procedat Spiritus sanctus, sic dedit Filio, ut de illo procedat idem Spiritus sanctus et utrumque sine tempore; atque ita dictum Spiritum sanctum de Patre procedere, ut intelligatur, quod etiam procedat de Filio. » — *S. Fulgentius* (2) dicit: « Firmissime tene, et nullatenus dubites eundem Spiritum sanctum qui Patris et Filii unus Spiritus est, de Patre et Filio procedere. » *S. Eucherius* (3) scribit: « Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus sanctus nec genitus, nec ingenitus, ne, si ingenitum dixerimus, duos Patres dicere videamur, et si genitum, duos filios: sed potius qui ex Patre et Filio procedat, velut quaedam Patris et Filii concordia. » — *Leo M.* (4) inquit: « Demonstratur, quam impie sentiant de Trinitate divina, qui et Patris, et Filii, et Spiritus sancti unam atque eandem asserunt esse personam; tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur, nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui ab utroque processit. » *S. Caesarius Arel.* (5) ait: « Credat unusquisque Fidelis, quod Filius aequalis est Patri secundum divinitatem, et minor est Patre secundum humanitatem carnis, quam de nostro assumpsit... Spiritus vero sanctus ab utroque procedens. » *S. Gregorius M.* (6) exponens verba Christi: *cum venerit Paraclitus quem ego mittam* etc., ita loquitur: « Eius missio ipsa processio est, qua de Patre procedit, et Filio. » Idem (7) scribit: « Cum constet, quia Paraclitus Spiritus a Patre semper procedat et Filio, cur se Filius recessurum dicit, ut ille veniat, qui a Filio nunquam recedit? » — Memoratu dignissima hic est epistola *S. Hormisdae* Romani Pontificis ad Imperatorem Iustinum anno 521 conscripta, in qua divinitatis et incarnationis doctrinam exponens, de processione haec habet: « Notum est, quia proprium est Patris, ut generaret Filium; proprium Filii, ut ex Patre Patri nasceretur aequalis; proprium Spiritus sancti, ut de Patre et Filio procederet sub una substantia Deitatis: » haec epistola ab Orientalibus suscepta et in honore habita schisma Acacianum extinxit; nec quisquam contra Pontificis doctrinam de processione Spiritus sancti a Filio querelam movit: ergo Graeci illo tempore hac in re a Latinis non dissenserunt. Qua ratione enim scribere potuisset *S. Hormisdas* adeo asseveranter: « Notum est etc. nisi constitisset de eadem fide circa hunc articulum, et quidem in fidei expositione, in qua vel ipsi apices expenduntur? » His adiungi potest Symbolum, vulgo Athanasianum dictum, quod, licet incerti sit auctoris, magnae tamen est auctoritatis: in hoc vero legitur: *Spiritus sanctus a Patre, et Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* — Ex professo contra Graecos processionem Spiritus sancti a Filio probarunt *S. Anselmus* (8), *S. Petrus Damian.* (9) et alii..

3. *Ex Conciliis ante schisma Grae-*

(1) Ibid. c. 26 n. 47.
(2) De fide ad Petr. c. 11.
(3) In lib. Quaestionum, quaest. 1.
(4) Ep. 93 (al. 15) n. 1.
(5) Serm. 54 in ord 244 n. 1.
(6) Hom. 26 in Evang. (7) L. 2 Dialog.
(8) L. de Proc. Sp. S.
(9) Opusc. 38, S. Thomas Aq. Opusc. 1.

Google

corum habitis. Huc in primis revocari potest *Synodus Alexandrina* a S. Cyrillo habita, in cuius synodica epistola, ad Nestorium missa de Spiritu sancto dicitur: « Non est alienus ab eo (i. e. a Filio), Spiritus enim veritatis nominatur, et Christus est veritas, et proinde quoque ab illo atque a Deo Patre procedit. » — *Synodus Ephesina* non solum improbavit Symbolum Nestorianum a Charisio presbytero oblatum, in quo de Spiritu sancto dicebatur, « Sed nec Filium illum putamus, neque per Filium existentiam habentem; » — sed praeterea expresse approbavit anathematismos S. Cyrilli una cum ipsius declarationibus, atque synodicam eiusdem epistolam. — Hanc eandem adprobavit *Concilium Chalcedonense* (1) dicens: *Epistolas synodicas B. Cyrilli — ad Nestorium, et Orientales, congruenter habentes, amplexa est ad convincendas Nestorii vesanias, et ad interpretationem eorum, qui salutaris symboli zelo nosse desiderant intellectum.* — Etiam *Concilium Constantinopolitanum II*, oecumenicum V (2), integram S. Cyrilli epistolam adducit et adprobat: et in determinatione eiusdem Concilii dicitur: *Sequimur per omnia Ss. Patres et Doctores Ecclesiae: Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Ioannem Constantinopolitanum, Cyrillum, Leonem Probum, et suscipimus omnia quae de recta fide, et damnatione haereticorum exposuerunt.* Sed certum est, hos Patres sustinere, Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere: ergo nos et Graeci id credere debemus, cum et isti Concilium citatum ut oecumenicum admittant. Ad idem dogma confirmandum, Conciliorum particularium definitiones adduci possunt. *Concilium Toletanum I* in fine saeculi quarti habitum hanc fidei professionem proponit: *Est ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Spiritus Paracletus, sed a Patre, Filioque procedens.* Eadem professio fidei repetitur in reliquis 17 Conciliis Toletanis (duobus tantum exceptis, in quibus de hac processione nullus est sermo). *Concilium Emeritense* in Lusitania anno 663 habet in Symbolo: *Et in Spiritum sanctum, Dominum, et vivificantem, ex Patre Filioque procedentem.* Eandem processionem Spiritus sancti a Patre et Filio profitentur, — in Anglia *Concilium Herfeldense*, auctore Beda habitum, in Gallia *Concilium Gentiliacense*, in Germania *Concilium Aquisgranense* anno 789, et *Concilium Foroiuliense* anno 791, quod in Symbolo haec habet: *Spiritus sanctus verus Deus vere et proprie Spiritus sanctus est, non genitus, nec creatus, sed ex Patre Filioque intemporaliter, et inseparabiliter procedens.*

4. *Ex Conciliis post schisma Graecorum habitis.* Anno 1215 sub Innocentio III babitum est Concilium *Lateranense IV*, cui interfuerunt etiam Patriarchae Constantinopolitanus et Hierosolymitanus, et Legati Patriarcharum Antiocheni, et Alexandrini cum maximo Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum numero: in hoc Concilio cap. 1 dicitur: *Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus sanctus ab utroque pariter, absque initio semper et fine:* cui definitioni assensisse, etiam Graecos patet ex cap. 4. Anno 1274 Concilium *Lugdunense II* definivit: *Fideli, ac devota professione fatemur, quod Spiritus sanctus aeternaliter ex Patre et Filio non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ab uno principio,*

(1) Sess. 2. (2) Actione sexta.

non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedat. Huic concilio multi ex Graecis interfuerunt, qui ad fidem suam publice ostendendam symbolum cantantes ter particulam *Filioque* repetierunt.—Denique anno 1439 celebratum fuit Concilium *Florentinum*, quod maximo Latinorum et Graecorum consensu definivit: *Ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tanquam ab uno principio et una spiratione procedit.*

Nota 1. Scholastici ad dogma catholicum probandum etiam rationes theologicas protulerunt: recenseri merentur sequentes: *a*) Omnia quae Patris sunt, Pater unigenito Filio dedit, praeter esse Patrem, seu una excepta relatione paternitatis: id Christus ipse diserte testatur (1), idemque Patres docent. Quidquid ergo est in Patre, excepta proprietate Patris, est etiam in Filio: sed vis spirandi non est paternitas, alioquin Spiritus sancti esset Filius: ergo vis spirandi communis est Patri et Filio.—Quidquid ergo probat, Spiritum sanctum procedere a Patre, probat etiam Spiritum sanctum procedere a Filio. Ideo *S. Petrus Damianus* (2) dicit: « Cum vel ipse Dominus, vel sancti quoque Doctores Ecclesiae Spiritum sanctum a Patre procedere concorditer asserant, nusquam tamen perhibent, quod a Filio non procedat: imo cum dicitur Spiritus sanctus a Patre procedere, a Filio quoque procedere credi necesse est, quia Pater et Filius unius, eiusdem substantiae procul dubio est. Nam cum Filius dicat: *Ego et Pater unum sumus;* quomodo potest Spiritus sanctus ab eo, quod unum est, procedere et non procedere? » — *b*) Non est alia ratio distinguendi unam personam ab altera, quam relationes, quibus se invicem respiciunt, iuxta illud *S. Augustini* (3): « Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt. » Et *S. Gregorius Nyss.* (4) ait: « Detracta principii ratione, nulla re SS. Trinitas a se dissidet. » Et in concilio Florentino Ioannes Theologus (5) dixit: « Est vero secundum Doctores tam Graecos, quam Latinos sola relatio, quae multiplicat personas in divinis productionibus, quae vocatur originis. » Cui principio nullus Graecorum, neque etiam Marcus Ephesinus praecipuus Latinorum adversarius contradixit. —Verum ex relatione nulla potest oriri distinctio personarum, nisi una habeat relationem principii ad aliam. Ergo ut Filius a Spiritu sancto distinguatur, necesse est, ut alter alterius sit principium. Iam vero Graeci fatentur, Spiritum sanctum non esse principium Filii: ergo reliquum est, ut Spiritus sanctus a Filio procedat. Ita argumentati sunt *S. Anselmus*, *S. Thomas* etc. Plura talia argumenta exhibent *D. Billuart* (6), *Klee* (7).

Nota 2. Quaesitum est, quando et quomodo factum sit, ut Graeci schismatici a doctrina S. Scripturae et Traditionis recedentes, processionem Spiritus sancti a Filio negaverint. Nonnulli errorem istum a Nestorianis repetunt; alii Theodoretum illius auctorem reputant; alii eundem a Monothelitis primum propugnatum esse volunt. — Ansam vero huic errori absque dubio dederunt Macedoniani

(1) Io. 16, 15. (2) Opusc. 38 c. 2.
(3) Tr. 39 in Io. (4) L. c. Eunom.
(5) Sess. 18. (6) De Trin. Diss. 5 a. 4.
(7) P. 187, etc.

Digitized by Google

et Eunomiani, qui iuxta receptissimam Ecclesiae doctrinam processionem Spiritus sancti a Filio admiserunt, sed confundentes processionem ad intra cum processione ad extra dixerunt, Spiritum sanctum per creationem a Filio procedere, atque ideo Deum non esse. — Ss. Patres totum hoc haereticum systema uno ictu prosternere potuissent, si processionem Spiritus sancti a Filio penitus negassent. Ast longe id abfuit a Patribus orthodoxis; isti enim negarunt quidem processionem Spiritus sancti a Filio in sensu haereticorum, sed illam propugnarunt in sensu Catholicorum, et ex hac ipsa probarunt, Spiritum sanctum etiam a Patre procedere, quia Pater et Filius unum sunt. — Successu temporis factum est, ut nonnulli ex Graecis discrimen inter processionem ad intra, et processionem ad extra non rite attendentes putarent, omnem processionem Spiritus sancti a Filio esse negandam, ut error Eunomianorum vitaretur. Notandum vero est errorem istum primitus ab illis tantum propugnatum fuisse, qui aliunde iam haeretica labe infecti fuerunt, aut iniqua ambitione abrepti Ecclesiam latinam, ac praecipue Romanum Pontificem odio prosequebantur. Sic primo *Monothelitae* per epistolam Martini I, in qua processio Spiritus sancti a Filio clare exponebatur, se maxime offensos ostendebant, et huic oppositam doctrinam palam propugnabant. Postea *Iconomachi* Spiritum sanctum a solo Patre procedere dictitabant. Nullus autem maiori audacia errorem istum propugnavit, quam *Photius*, iniquus Sedis Constantinopolitanae invasor, qui a Nicolao I iustissime damnatus, coeco furore percitus ipsum S. Pontificem vicissim damnavit, et luctuoso schismate Graecam a Latina Ecclesia seiunxit. Post mortem iniusti huius invasoris pax et unio inter Ecclesiam graecam et latinam restituta est, sed *Michaël Caerularius*, pessima ambitione abreptus, et Romano Pontifici subesse recusans, lugendum schisma renovavit, quod in Ecclesia graeca schismatica etiamnum perdurat.

Nota 3. Graeci, ut errorem suum tueantur, conglomerant loca in quibus Patres docent, Spiritum sanctum a Patre procedere, et appellant etiam ad Concilium Constantinopolitanum I, in cuius symbolo dicitur: *Credimus in Spiritum sanctum ex Patre procedentem*, nulla facta Filii mentione.— Sed ista testimonia incassum contra Latinos proferuntur, qui dum processionem Spiritus sancti a Filio propugnant, non ideo eius processionem a Patre negant, sed hanc quoque ut dogma fidei profitentur. Deberent Graeci, ut aliquid proficerent, loca afferre, in quibus Spiritus sanctus dicatur a *solo* Patre procedere, aut eius processio a Filio aperte negetur: sed talia loca Graeci ex Ss. Patribus afferre nullatenus valent: contrarium vero Latini praestant, plurima loca in medium proferentes, in quibus celeberrimi Patres et Doctores processionem Spiritus sancti a Filio profitentur. Quodsi iidem Patres hanc non ubique commemorant, et hincinde solum de processione Spiritus sancti a Patre loquuntur, id efformat tantummodo argumentum negativum, quod argumenta positiva nequaquam infringit; nam quod reticetur, idcirco non negatur. Ratio etiam reddi potest, cur multi ex Patribus frequentius de processione Spiritus sancti a Patre loquantur, hancque credendam proponant. Id enim factum est, quia confutandi erant Macedoniani et Eunomiani, qui processionem Spiritus sancti a Patre negabant. Ex eadem

ratione Concilium Constantinopolitanum I Symbolo verba addidit: *Qui ex Patre procedit*. Nam agebatur ibi contra Macedonianos, qui negabant divinitatem Spiritus sancti, et ad hanc definiendam Concilium congregatum fuit. Unde cum id moris habeat Ecclesia, in suis definitionibus exprimere tantum doctrinam, quam impugnant haeretici, mirum videri non debet, si Patres Constantinopolitani uni asserendae Spiritus sancti divinitati incubuerint, et de eius processione a Filio, quae tunc non impugnabatur, nullam fecerint mentionem. Praeterea si Patres Constantinopolitani existimassent, Spiritum sanctum non procedere a Filio, profecto posuissent in sua definitione: *Qui ex solo Patre procedit*, ut configerent Macedonianos et Eunomianos, processionem Spiritus sancti a Filio profitentes: verba autem: *Qui a Patre procedit*, processionem a Filio non negant, sed implicite adstruunt, quia Pater et Filius unum sunt (1).

Nota 4. Nonnulli Patres, praesertim graeci, dicunt, Spiritum sanctum *per Filium* procedere: male autem exinde arguunt Graeci, quod ab illis processio Spiritus sancti a Filio negetur. Nam, quae Patres dicunt, dogmati catholico nullatenus opponuntur, quia etiam particula *per* productionem significat, quo sensu de operationibus ad extra dicitur, Io. 1, 3, *omnia per ipsum facta sunt*, et v. 10: *mundus per ipsum factus est*. *S. Thomas* (2) egregie observat: « Quia Filius habet a Patre, quod ab eo procedat Spiritus sanctus, potest dici, quod Pater per Filium spiret Spiritum sanctum, vel quod Spiritus sanctus procedat a Patre per Filium, quod idem est. » *Bessarion* et alii Graeci doctissimi in Concilio Florentino declararunt, « quod id, quod Ss. Doctores dicunt et Patres, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum vero Latinos principium subsistentiae Spiritus sancti sicut et Patrem. » Ratio huius diversitatis est, quia Latini principium in sensu latiori, Graeci verò in sensu strictiori sumunt pro eo, quod vim producendi non aliunde, sed a se habet. Ideo Graeci Patrem qui vim spirandi a se habet, principium; Filium vero, qui vim spirandi sibi a Patre communicatam habet, simpliciter causam Spiritus sancti vocant: ex quo apparet, Graecos hac in re quoad voces, non quoad substantiam dogmatis a Latinis dissentire. Ideo etiam nonnulli putarunt, totam hanc controversiam in logomachiam abire.

Nota 5. Graeci difficultatem movent ex iis, quae inter *Theodoretum* et *S. Cyrillum* acta sunt in Concilio Ephesino. Cum enim *S. Cyrillus* in anathematismo nono dixisset, Spiritum sanctum esse proprium Filii, restitit Theodoretus, et ait: « Proprium autem Spiritum Filii, siquidem ut eiusdem cum eo naturae, et ex Patre procedentem dixit, simul confitebimur, et tanquam piam suscipiemus vocem; sin autem quia ex Filio, vel per Filium habeat existentiam, id ut blasphemiam et impietatem reiicimus; credimus enim Domino dicenti: *Spiritum, qui a Patre procedit:* » Theodoretus ergo, ut et in aliis scriptis suis processionem Spiritus sancti a Filio aperte negavit, et tamen nihil ad haec reposuit Cyrillus in sua defensione, neque Concilium Theodoretum propterea reprehendit, aut damnavit; ex quo et Cyrilli et Concilii

(1) Cf. Herminier de Trin. p. 179 etc.

(2) 1, q. 36 art. 3.

silentio videtur, evidenter sequi, negationem processionis Spiritus sancti a Filio non habitam tunc fuisse erroneam, imo eam ab ipso Concilio saltem tacite fuisse adprobatam.

Ad hanc difficultatem solvendam duplicem viam ineunt Theologi *a*). Nonnulli cum S. Thoma arbitrantur, Theodoretum vere haeretice sensisse, et dogma catholicum impugnasse: ex aberratione autem ipsius, qui etiam tanquam fautor Nestorii suspectus fuit, nihil contra Traditionis argumentum inferri potest. Falsum etiam est, Patres Ephesinos suo silentio Theodoreti adsertionem adprobasse: contrarium potius elucet tum ex eo, quia generaliter *scelerata et perversa Nestorii dogmata quae et subnexa sunt*, damnarunt, tum ex eo, quia epistolam S. Cyrilli, in qua processio Spiritus sancti a Filio clare asserebatur, adprobarunt. Neque S. Cyrillus criminationem Theodoreti omnino neglexit, sed illi in defensione noni anathematismi respondit, dicens: « Procedit ex Deo Patre Spiritus sanctus secundum Salvatoris vocem; sed non est alienus a Filio, omnia enim habet cum Patre (consequenter et spirationem), et hoc ipse edocuit, dicens de Spiritu sancto: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Ergo clarificavit quidem Iesum Spiritus sanctus admirabilia operantem, ut Spiritus eius, et non aliena virtus: » et inferius addit: « Proprius est eius (Christi) Spiritus sanctus quemadmodum est Dei Patris » (est autem Dei Patris per processionem). Quod autem Patres Ephesini contra Theodoreti assertionem non apertius insurrexerint, et magis distincte eam non damnaverint, duplex fuit causa, - prima, quia Theodoreti verba catholice poterant intelligi, et secunda, quia Concilium ad definiendam doctrinam de incarnatione, et non ad definiendam processionem Spiritus sancti convocatum fuit: « Ecclesia autem, ut observat S. Gregorius (1), quaedam per fervorem corrigit, quaedam per mansuetudinem tolerat, quaedam per considerationem dissimulat, ut saepe malum, quod adversatur, portando, dissimulando compescat » (2). — *b*) Alii contendunt, Theodoretum orthodoxe sensisse, et processionem Spiritus sancti a Filio impugnasse in sensu Eunomianorum, non vero in sensu Catholicorum; ipsum vero affinxisse S. Cyrillo errorem Eunomianorum, ut eum carperet, pro livoris aestu, quo erga praestantissimum doctorem agebatur. Hanc veram esse causam reprehensionis Theodoreti liquet ex eius epistola ad monasteria, in qua dicit: « Blasphemat vero (Cyrillus), et Spiritum sanctum non ex Patre procedere dicens secundum Domini vocem, sed ex Filio esse. Iste vero Apollinaris seminum fructus est; propinquat vero et Macedonii malignae culturae. » Ipse etiam Cyrillus conqueritur dumtaxat de imposita sibi a Theodoreto calumnia, quasi divinitatem Spiritus sancti in dubium vocasset, et ideo in sua defensione hanc profitetur et declarat, quod non sic Spiritum sanctum proprium Filii asserat, ut non sit etiam proprius Patris et a Patre procedat. Mirum ergo non est, quod Theodoretus neque a Cyrillo, neque a Concilio, ob negatam processionem Spiritus sancti a Filio reprehensus et damnatus fuerit. Negaverat enim solummodo processionem, quae fit per creationem, quod patet etiam ex eiusdem Theodoreti verbis, quae refert in Expositione

(1) M. L. 12 Ep. 31.

(2) Cf. Billuart, l. c. a. 4 Obi. 3.

Ep. ad Rom. VIII, 11 dicens: « Apostolus sanctum Spiritum et Dei appellavit, et Christi; non quod, ut volunt haeretici execrandi, ex Deo per Filium creatus sit, sed quia est eiusdem cum Patre et Filio substantiae » (1).

Nota 6. Graeci abutuntur etiam auctoritate *S. Io. Damasceni*, quem sui erroris patronum putant. Ait enim (2): « Spiritum sanctum et ex Patre esse dicimus, et Patris Spiritum nominamus. At vero eum ex Filio esse non dicimus, Filii tamen Spiritum vocitamus. » Ob haec verba *S. Thomas* (3) putat, Io. Damascenum aberrasse; unde, ait, « in hoc eius sententiae non est standum: quamvis a quibusdam dicatur, quod Damascenus sicut non confitetur Spiritum sanctum esse a Filio, ita etiam non negat ex vi illorum verborum. » Sed hodie fere ab omnibus Theologis S. Io. Damascenus ab errore vindicatur. Nam per illud « ex Filio » exclusit a Filio principalem causam divinarum processionum, non processionem ipsam. Nempe citatis verbis id unum vult S. Doctor, Filium non esse principium absque origine, sed solum esse principium Spiritus sancti cum origine, eo quod solus Pater tale principium sine origine sit, cum omnia quae Filius habet a Patre acceperit, et ideo confestim addit S. Io. Damascenus: « Solus Pater principium est. » Ita explicant hunc locum graeci ipsi Doctores *Manuel Calecas* (4), *Demetrius* (5), *Bessarion* (6). — Sane noluisse per citata verba S. Io. Damascenum excludere processionem Spiritus sancti a Filio, patet ex pluribus locis, in quibus expresse tradit, Spiritum sanctum a Patre per Filium produci, vel procedere; sic (7) Pater dicitur « per Filium producens manifestantem Spiritum; » et rursum: « Spiritum autem Filii, non tanquam ex ipso, sed tanquam per ipsum ex Patre procedens; » et alibi (8) ait: « Spiritus sanctus est ex Patre, siquidem per Filium procedit, non tamen filiationis more; » et (9): « Spiritus sanctus medius ingeniti et geniti, et per Filium Patri coniunctus. »

Nota 7. Saeculo undecimo Graeci ideo vel maxime Ecclesiam latinam criminati sunt, quod symbolo particulam *Filioque* addiderit, quasi hoc modo violata fuisset communis fidei christianae tessera. Sed immerito; nam ex hactenus probatis constat, de fide credendum esse, Spiritum sanctum non solum a Patre, sed etiam a Filio procedere, unde merito cum *S. Gregorio Naz.* dicimus: « Si ita credendum, cur non ita profitendum? » Semper licuit, semperque licebit Ecclesiae, quae est columna et firmamentum veritatis, addere aliquid ad fidei symbolum, cum illud necessarium iudicaverit ad fidem vel illustrandam, vel adversus novos errores vindicandam. Id iuris Ecclesia semper exercuit. Sic in Nicaena Synodo plura addita sunt Symbolo Apostolorum ad asserendam Christi divinitatem contra Arianos; cum autem se proderet Macedonianorum haeresis, Concilium CPtanum novis additamentis auxit symbolum Nicaenum: ergo potuit Ecclesia etiam symbolo CPtano vocabulum *Filioque* adiungere. - Quod autem additio haec legitima Ecclesiae auctoritate facta sit, extra omne dubium est. Initium quidem in Hispania factum est a particularibus synodis propter Gothos ab Arianismo ad Ec-

(1) Cf. Tournely, Perrone, et praec. Herminier p. 181 etc.
(2) L. 1 de fide orth. c. 8.
(3) I. q. 36 a. 2 ad 3. (4) C. 39.
(5) De process. Spir. S. c. 11.
(6) In Orat. dogm. c. 6.
(7) In c. 1 de fide orth. c. 12.
(8) In Ep. ad Iordan.
(9) L. 1 de orth. fid. c. 18.

Digitized by Google

clesiam reversos; Hispanos secuti sunt Galli et Germani eo praecipue tempore, cum Iconomachi processionem Spiritus sancti a Filio palam negarent. Successu temporis etiam Ecclesia Romana additionem recepit et adprobavit, et quidem gravissimis rationibus adducta. Nam cum verba Concilii CPtani: *Qui a Patre procedit*, a multis, imprimis in Orientali Ecclesia, eo sensu intelligerentur, quod Spiritus sanctus a solo Patre procederet, necesse erat pravae interpretationi occurrere per explicationem illorum verborum. Denique hanc additionem etiam Orientalis Ecclesia in Concilio Lugdunensi II adprobavit, in quo ipsi Graeci symbolum cum ter repetita voce *Filioque* recitarunt; et hanc additionem legitimam et necessariam fuisse, declaravit Concilium Florentinum in sua fidei definitione, cui omnes Graeci et Latini subscripserunt: in qua dicitur: ***Definimus, explicationem illorum verborum: Filioque, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite, ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.*** - Absona est etiam obiectio, quam olim Graeci petierunt ex Concilio Ephesino, quod (1) prohibuit, ne novum symbolum fieret, aut veteri aliquid adderetur. Nam haec prohibitio his verbis concepta legitur: ***Statuit S. Synodus alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere praeter definitam a Ss. Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu sancto congregati fuerunt.*** His verbis prohibentur additiones, quae sensum Symboli mutant et pervertunt, prohibetur *fides altera*, et catholicae adversa, non ulterior aliqua professio. Quae autem addita fuit Symbolo particula *Filioque* magis est fidei explicatio, quam nova professio; non enim fidem Nicaenam evertit, sed exponit. Vel si, ut aliqui volunt, Patres Ephesini presse quamcunque ulteriorem declarationem Symbolo addendam interdicere voluerunt, hoc decretum peculiares solum, seu privatas personas, non vero universalem Ecclesiam, aut summum Pontificem afficit.

(1) P. 3, Act 6.

Si *Leo III* additionem ***Filioque*** in Concilio Aquisgranensi sancitam aegre tulit, ratio fuit, quia noluit, ut Ecclesiae particulares in recitatione Symboli ab Ecclesia Romana discordarent, vel quia ex hoc additamento tumultus timuit: sed eandem fidem professus est, Legatis Concilii formulam, *Qui ex Patre, Filioque procedit*, propouentibus respondens: «Ita sentio, ita teneo » (2).

ARTICULUS II.
Sententia Theologorum.

§ 105. In fidei dogmatibus omnes catholici Theologi consentiunt: ast non ita conveniunt, dum haec ipsa dogmata aliquo modo captui humano accommodare, eorumque intrinsecum nexum ostendere tentant. Iste autem dissensus fidem non afficit, et reprehendi nequit iuxta celebre dictum *S. Augustini:* « In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas. » Quamvis porro studia illorum adprobari non possint, qui de suis theologicis opinionibus iusto magnificentius sentiunt, et magis his contra aliter opinantes vindicandis, quam ipsis dogmatibus fidei probandis insudant; attamen etiam illis adsentiendum non est, qui omnia, quae a Scholasticis subtiliter discussa et disputata fuere, tanquam simplicitati fidei contraria, aut tanquam futilia et absona reiicienda esse putant. Scholastici enim, dum ad dilucidanda dogmata

(2) Cf. Natal. Alex. Diss. 10 in Saec. 15, Perrone.

varias quaestiones ventilant, sententiasque suas proferunt, laudabilem Patrum consuetudinem sequuntur, qui tametsi curiosos terrent, ne divinitatis arcana indagare praesumant, ad illa tamen illustranda plures afferunt comparationes, omniaque fere praedictarum doctrinarum pondera ipsi praebuerunt. Praeterea cum haeretici nos metaphysicis argumentationibus et sophismatibus frequentissime provocent, oportet, ut quotiescunque nolunt Scripturis et Traditioni acquiescere, eorum fallaciae probabilioribus coniecturis refellantur. Ad haec delectat nos, et ad Dei maiestatem contemplandam haud mediocriter trahit, creatas illius imagines, licet longe dispares, intueri, et rationem fidei captivando, ad lucem inaccessibilem propius accedere. Ex his rationibus saltem illas Theologorum sententias praeterire non licet, quae ad ipsa dogmata vel dilucidanda, vel contra adversarios defendenda conferre possunt. Aliqua igitur hic exponere oportet, quae Theologi 1° *De discrimine generationis, et spirationis*, et 2° *De processionum divinarum numero*, *principio*, *et indole* senserunt, et docuerunt.

I. *De discrimine generationis, et spirationis.*

§ 106. Quaestio saepe mota est, cur processio secundae personae sit generatio, processio autem tertiae personae non sit generatio, sed simpliciter procedentia, aut spiratio dicatur? — Varia sunt responsa, quae tum a Ss. Patribus, tum a subsequentibus Theologis huic quaestioni data fuerunt.

1. Ss. Patres candide fassi sunt, humanam rationem intelligere non posse, cur secunda persona genita, tertia vero persona non genita, sed simpliciter procedens dicatur, atque ideo humilem istorum dogmatum fidem ob infallibilem Dei revelantis auctoritatem ab omnibus exegerunt. Sic *S. Athanasius* (1) ait: « Nec investigare convenit, quomodo Verbum ex Deo est, quove modo splendor sit Dei; aut quomodo gignit Deus, quisve ille sit Dei gignendi modus. Insanus enim is est aestimandus, qui ista scrutari non verebitur, quippe qui existimet rem inexplicabilem, divinaeque propriam naturae, soli Deo ac Filio cognitam, posse verbis exprimi. » *S. Hilarius* (2), loquens de generatione Filii, ait: « Ego nescio, non requiro; et consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, saecula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit; cesset dolor querelarum. » *S. Basilius* (3) inquit: « Credis genitum esse? cave quaeras, quomodo?... cave quaeras quae investigari non possunt, non enim invenies... Crede iis, quae scripta sunt, quae non sunt scripta, non investiga. » *S. Gregorius Naz.* (4) ita disserit: « Audis generationem? modum ne curiosius inquiras. Audis Spiritum ex Patre procedere? id quomodo fiat, ne anxio studio perscruteris. Quodsi in Filii generatione, et Spiritus processione pervestiganda curiosum te praebes, ego quoque pari curiositate animae corporisque coniunctionem et temperamentum inquiram... Si nihil horum intellectu percepisti, o homo!... si teipsum non nosti quisquis es, qui de his rebus disputas; si haec nondum intellectu comprehendisti, quorum sensus ipse testis est, quo tandem modo, quid, et quatenus sit Deus te certo tenere ac scire arbitraris? » *S. Ambrosius* (5) in verba Christi: *Duc*

(1) Or. 3 (al. 2) c. Arian.
(2) L. 2 de Trin.
(3) Hom 29.
(4) Orat. 29.
(5) In Luc. l. 4 n. 71.

in altum, etc. inquit: « Etsi non licet mihi scire, quomodo natus sit, non licet tamen nescire, quod natus sit. Seriem generationis ignoro, sed auctorem generationis agnosco. Non interfuimus, cum ex Patre Dei Filius nasceretur, sed interfuimus, cum a Patre Dei Filius diceretur. Si Deo non credimus, cui credamus? » *S. Augustinus* (1) scribit: « Respondeo, sive capias, sive non capias: de Patre est Filius, de Patre est Spiritus sanctus, sed ille genitus, iste procedens: ideo ille Filius est Patris, de quo est genitus; iste autem Spiritus utriusque, quoniam de utroque procedit... Amborum est ergo Spiritus, procedens de ambobus. Quid autem inter nasci, et procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest? - Non omne, quod procedit nascitur, quamvis omne procedat, quod nascitur. Haec scio, distinguere autem inter illam generationem, et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio. » *S. Cyrillus Hier.* (2) ait: « Quod Deus quidem Filium habeat, crede: quomodo autem, ne sis curiosus, quaerens enim non invenies. Non extollas te, ne cadas. Quae tibi mandata sunt, haec sola intellige. » *S. Io. Damascenus* (3) inquit: « Inter generationem et processionem discrimen intercedere edocti sumus: caeterum quis sit huius distinctionis modus, prorsus nescimus. » *S. Chrysostomus* (4) ait: « Scio ipsum genuisse Filium, quomodo autem ignoro. Novi Spiritum ex ipso esse, quomodo autem ex ipso sit nescio. Cibos comedo, quo pacto autem dividantur in pituitam, sanguinem, humorem et bilem, ignoro. Haec, quae quotidie comedentes videmus, ignoramus tamen; et Dei substantiam curiose scrutamur? » - Distinctionem inter generationem et spirationem explicari non posse, fatentur etiam *S. Cyrillus Alex.* (5), *S. Fulgentius* (6), *S. Bernardus* (7) et alii.

2. Allata Ss. Patrum dicta, ut monet *Petavius* (8) non sic intelligenda sunt, « quasi nulla omnino pro humano captu investigari ratio possit, aut ea de re disputare sit nefas, ac praeter simplicem credulitatem, nihil ad illam illustrandam afferre quemque oporteat. Sed hoc unum evitandum esse significant, ne nos, liquido ista percipi comprehendique posse, putemus. » Praeterea, ut observat *L'Herminier* (9), Patres suis monitis voluerunt perstringere haereticos, qui vanis et futilibus rationibus dogmata catholica non tam explicare, quam evertere conabantur; et coërcere temerarios, qui aut ad dogmata probanda, neglecta Scriptura et Traditione, solam rationem sufficere dictitabant, aut saltem ad eadem dogmata declaranda sophisticas ratiocinationes promiscue et sine delectu adhibebant. — Caeterum ipsi Patres praefati discriminis rationes inquisiverunt, easque ut probabiles sine contentione proposuerunt. Quidam dixerunt, propterea Spiritum sanctum non generari, et non esse Filium, quia non a solo Patre, sed a Patre et Filio, ergo ex duobus procedit. Alii, praesertim Graeci, dixerunt, Spiritum sanctum idcirco non esse genitum, quia a Patre non immediate, sed per Filium procedit. Alii asseruerunt, processionem Spiritus sancti non dici generationem, ne si duo essent in Deo Filii, cogitaretur in Deo infinita multitudo filiorum, aut ne Spiritus sanctus diceretur Patris aeterni nepos. Alii af-

(1) L. 2 c. Maximin. c. 14.
(2) Catech. 11. (3) L. 1 de orth. fide c. 8.
(4) Orat. 1 de incompr. Dei nat.
(5) L. 2 Thesaur. (6) Ad obiect. 1. Arian.
(7) Serm. 1 in Pent.
(8) De Trin. l. 7 c. 13 n. 4.
(9) De Trin. p. 43.

firmarunt, Spiritum sanctum non esse Filium, quia non ex utero, sed ex ore procedere dicitur. Alii, inter quos etiam *S. Augustinus* (1), docuerunt, Spiritum sanctum rationem Filii non habere, quia processit ut datus, non ut natus. — Has rationes et alias similes quas refert *Petavius* (2), Ss. Patres proposuerunt ad captum populi, et pro iis, qui altiora non valent penetrare, sed ex humanis divina metiuntur, ut constat ex ipso *Augustino*, qui (3) ait: « Sufficit autem interim his, qui extendi non valent in amplius. »

3. Dum Ss. Patres subtilius discrimen inter generationem et spirationem explicare satagunt, in hoc fere omnes conveniunt, quod Deus seipsum cognoscens, gignat secundam, et seipsum amans spiret tertiam personam, ac quod ideo secunda persona sit Filius, quia ex intellectu divino, seu ex mente divina procedit, tertia vero persona non sit genita, quia procedit ex divina voluntate. Et sane: *a*) Quod attinet secundam personam, hanc Ss. Patres ex intellectu divino procedentem dicunt, et ideo frequenter *imaginem Patris, Sapientiam Patris, Verbum Patris* consone cum ipsa S. Scriptura nominant. Sic *Clemens Alex.* (4): « Verbum, ait, esse genuinum mentis filium. » *Theophilus Antioch.* (5) inquit: « Sapientiam si dixero, Filium eius dico. » *S. Athanasius* (6) dicit: « Quomodo igitur per ipsum creat, si non est Verbum ipsius, et Sapientia? quomodo vero Verbum erit, et Sapientia, si non proprius est fetus substantiae ipsius? » *S. Basilius* (7) haec habet: « Cur Verbum dicitur? ut ostendatur ex mente processisse..... Cur Verbum? quoniam imago est Genitoris, totum in seipso Genitorem exprimens, nihil inde decerpens, ac perfectum ex sese, sicut et nostrum verbum totam in se cogitationem nostram refert. » *S. Gregorius Naz.* (8) de Filio ait: « Verbum appellatur, quoniam sic se habet ad Patrem, ut Verbum ad mentem. » *S. Cyrillus Alex.* (9) inquit: « Filius appellatur, Verbum ac Sapientia, quoniam ex intellectu immediate ac indivisibiliter est. » S. *Augustinus* (10) ait: « Quia Verbum, ideo Filius: » et (11): « Eo Filius, quod Verbum, et eo Verbum, quod Filius: » et (12): « Patris essentia est Filius, sicut Patris virtus, et sapientia, sicut Verbum Patris, et imago Patris. » Similia habet *S. Ambrosius* (13).— *b*) Spiritum sanctum Patres ex voluntate procedere dicunt, qui ideo *amor*, seu *charitas* saepe vocatur. *S. Hieronymus* (14) ait: « Spiritus sanctus nec est Pater, nec est Filius, sed dilectio, quam habet Filius in Patre, et Pater in Filio. » *S. Chrysostomus*, seu auctor hom. 2 in symb., inquit: « Spiritus sanctus procedens de Patre, et Filio charitate coniungitur. » *S. Epiphanius* (15): « Spiritus sanctus (ut amor) in medio Patris et Filii, ex Patre, et Filio. » *S. Augustinus* (16) scribit: « Spiritus sanctus in eadem unitate substantiae et aequalitate consistit, - sive unitas amborum, sive sanctitas, sive charitas, sive ideo unitas, quia charitas, et ideo charitas, quia sanctitas... ille, quo genitus a gignente diligatur, generatoremque suum diligat » (17). *S. Prosper* (18) ait: « Spiritus sanctus est Patris et Filii tanquam charitas sub-

(1) L. 5 de Trin. c. 14. (2) L. c.
(3) L. c. initio c. 15. (4) In Protrep.
(5) L. 1. ad Autol. (6) Or. 3 (al. 2) c. Arian.
(7) Hom. in Evang. Ioan. initium.
(8) Or. 36. (9) L. 1 in Io. c. 5.
(10) Tr. 48, in Io. (11) L. 6 de Trin. c. 2.
(12) Ibid. l. 7 c. 1. (13) L. de incarn. c. 3.
(14) In Ps. 17 v. 1. (15) In Ancor.
(16) L. 6 de Trin. c. 5.
(17) Cf. l. de fid. et symb. c. 9 tr. 109 in Io. et alibi. (18) Lib. sentent. 371.

Digitized by Google

stantialis, et consubstantialis amborum. » *S. Gregorius M.* (1) dicit: « Ipse Spiritus sanctus est amor » (2). — Hisce Ss. Patrum sententiis suffragatur *S. Anselmus*, qui (3) causam hanc affert, cur Verbum Filius sit, non Spiritus sanctus; quod « Verbum, mox ut consideratur, se prolem esse eius, a quo est, evidentissime probat, promptam praeferendo Patris imaginem. At amor aperte se prolem negat, quia dum a Patre et Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti, eius, ex quo est, similitudinem, quamvis ipsum considerata ratio doceat, omnino id ipsum esse, quod est Pater et Filius. »

4. *S. Thomas* Ss. Patrum vestigiis insistens, quantum pro captu humano fieri potest, explicare conatus est, cur processio secundae, non autem processio tertiae personae generatio dicatur. Cuius rei rationem ex ipsa generationis notione infert. Nam (4) ait: « Generatio proprie sumta est origo viventis a vivente principio coniuncto secundum similitudinem naturae. » Ad generationem ergo tria requiruntur: 1° ut tam genitus, quam generans sit vivens; 2° ut generans ex sua substantia producat genitum, et 3° ut genitus procedat in similitudinem naturae generantis; et quidem genitus non solum debet esse similis generanti in se et essentialiter, sed etiam debet procedere similis generanti ex vi et modo processionis, quia tota formalitas generationis consistit in expressione similitudinis, seu in propagatione naturae ut similis, nec aliud est generare, quam exprimere similitudinem propagativam sui iuxta illud: *Adam... genuit ad imaginem, et similitudinem suam* (5). Atqui tres istae conditiones in processione secundae personae a prima inveniuntur. Nam Pater ab aeterno seipsum cognoscens concipit ideam sui ipsius: haec autem idea sui ipsius, cum in Deo nil accidentalis, nil imperfecti, nil limitati dari possit, est essentialis, Deo perfecte aequalis, Deo consubstantialis, infinita, aeterna, et secundam personam constituit, quae omni iure genita, seu Filius Dei dicitur: quia 1° tum Pater, qui summa sua activitate ideam producit, tum ipsa idea, perfectissima Dei (ideoque et ipsius summae activitatis) imago, quae producitur, ens summe vivum est; 2° haec idea procedit ab intellectu, qui est ipsa essentia divina, et ideo Pater secundam personam ex sua substantia, producit; 3° eadem idea procedit in similitudinem naturae Patris, cuius est perfecta et adaequata imago, et quidem ex vi et modo processionis, quoniam haec est natura operationum intellectualium, seu cognitionum, ut si veritati consonae sunt, procedant in similitudinem rerum cognitarum, et harum imagines reddantur. Omnes ergo conditiones ad generationem requisitae adsunt in processione secundae personae, quae idcirco rectissime genita, seu Filius Dei dicitur. — Praeterea Pater in idea sui ipsius consubstantiali et infinita complacet sibi, et amorem spirat in Filium, et Filius in Patrem, qui mutuus amor, perfectus et infinitus ut ipse Deus, huicque consubstantialis est tertia persona, seu Spiritus sanctus. Huius autem processio, seu spiratio non potest dici generatio, quia in illa non omnes conditiones ad generationem requisitae inveniuntur. Equidem vivunt Pater et Filius, et vivit pariter Spiritus sanctus, et cum hic procedat ex voluntate

(1) Hom. 30 in Pent.
(2) Cf. Petav. l. 7 de Trin. c. 14.
(3) In Monologio c. 8.
(4) 1, q. 27 a. 2.
(5) Gen. 5, 3.

divina, quae est ipsa essentia Dei, iure dicitur, quod ex substantia divina producatur. Sed tertium requisitum deest, quia haec processio, seu spiratio fit per voluntatem. Voluntas autem non exit in actum per aliquam similitudinem cum obiecto volito, sed per quamdam inclinationem in illud, et hinc fit, ut, quod procedit per voluntatem (vi, et modo volitionis), non procedat in ratione similitudinis, et ideo nec genitum proprie dici possit. Ex hac ratione Spiritus sanctus, qui procedit ex voluntate, genitus, aut Filius non nuncupatur: quamvis enim sit similis, imo aequalis et consubstantialis Patri et Filio, istam tamen similitudinem non habet ex vi et modo processionis, ut secunda persona, sed ideo habet quia, ut dicit *S. Thomas* (1): « quidquid est in divinis est unum cum divina natura. » — Sive Spiritus sanctus est similis, aequalis et consubstantialis Patri et Filio ratione essentiae quae communicatur, non ratione modi, quo communicatur: sic Eva fuit quidem Adamo similis in natura specifica, non tamen formaliter vi processionis ab Adamo, ideoque non fuit genita, aut Adami filia, quamvis naturam humanam ut Adam habuerit.

Nota 1. Explicationem *S. Thomae* de processionum discrimine plerique Theologi amplexi sunt; imo eadem etiam nonnullis Philosophis probata fuit. Deum enim seipsum cognoscere, et seipsum amare, omnis recta Philosophia docet. Et non solum Peripatetici, ut vult *Tournely*, sed etiam Platonici admittunt, intellectum, cum intelligit, formare intra se verbum, quod est formalis repraesentatio obiecti, cuius imago dici solet; hinc illud tritum Platonicorum: « Ex obiecto et potentia paritur notitia. » Idem ipse *S. Augustinus* (2) probat: « Verbum esse Filium, et non Spiritum sanctum, quia mens notitiam suam gignit, cum se novit, et amorem suum non gignit, cum se amat. » Imo quocunque sensu obiectum percipiatur, in quantum per hanc perceptionem vera cognitio acquiritur, in tantum haec est obiecti cogniti imago: et dum mens super seipsam reflectit, cum se cognoscit, suiipsius imaginem efformat. Sic in ipsa mente nostra saltem umbram quandam illius processionis videmus, quam in divinis veneramur. Maximum autem interesse discrimen, nemo est, qui dubitet. Cum enim intellectus noster imperfectus sit, ipse idcirco exprimendo intra se imaginem obiecti cogniti, producit solum imaginem accidentalem; at vero intellectus divinus, utpote perfectissimus, necessario producit substantialem Dei imaginem, proindeque Filium consubstantialem: et sicut prototypon semper imaginem suam praecedit, sic etiam Pater non quidem tempore, quod in Deo cogitari non potest, sed ordine Filium, seu imaginem suam praecedit, quam se cognoscendo producit. Magnum etiam discrimen inter generationem divinam, et humanam attendendum est; nam gignere in humanis est profundere aliam hypostasim, est veluti extra se progredi, etc.; sed aliter sentiendum est de generatione divina, quae fit per intellectum; nam sicut intelligere seipsum est veluti convertere et contrahere se ad seipsum, imo recipere se tandem ad seipsum, sic etiam generatio Verbi est prorsus interna, quia fit in ipsa essentia divina, atque ideo Filius, *ex utero* genitus (3), dicitur etiam esse *in sinu Patris* (4). Denique cum in Deo tempus cogitari non possit, etiam in generatione Verbi neque praeteritum, neque futurum

(1) L. c. a. 4 ad 1. (2) L. 9 de Trin. c. 12.

(3) Ps. 109, 3. (4) Io. 1, 18.

Digitized by Google

discerni debet, sed cum *S. Augustino* sicut Pater semper generans, sic Filius semper genitus rectissime dicitur: idemque asserendum est de tertiae personae spiratione. — His rite attentis variae difficultates, quae contra S. Thomae explicationem moventur, haud difficulter solvi possunt. Nonnulli enim Theologi hanc impugnarunt, inter quos etiam *Hon. Tournely*, cuius obiectiones refellit cel. *Billuart*. Etiam Cl. *Perrone* (1) varias difficultates contra praefatam explicationem profert, sed (2) egregium monitum adnectit, ita disserens: « Haec, aliaque similia non pauca urgent patroni contrariae sententiae, quae eo consilio protuli, non ut probem, sed ut pateat, quot difficultatibus obnoxia sit opinio, quae tamen inter Theologos communior est. Quod a fortiori de caeteris dicendum, ita ut satius sit dogma ab opinionibus secernere, cum illud ab his nullo modo pendeat. Caeterum communis Theologorum sententia satis solidum fundamentum habet in Scriptura et Patribus, sive graecis, sive latinis. Propositae autem difficultates, a psychologia ut plurimum petitae, non possunt applicari operationibus divinis, quae longe nimis a nostris distant. »

Nota 2. Extiterunt Theologi, qui aliis modis divinarum processionum discrimen declarare conati sunt; sed eorum explicationes nec ratione claritatis, nec ratione soliditatis cum illa S. Thomae comparari possunt. Praecipuas saltem hic recensemus. *a*) *Richardus a S. Victore* contendit, ideo processionem Verbi esse generationem, quia est communicatio naturae foecundae, per quam tertiam personam producit; sed talis natura foecunda non communicatur Spiritui sancto, a quo nulla alia persona procedit: ergo secunda persona non solum quoad essentiam sed etiam quoad foecunditatem similis est Patri, et ideo genita dicitur. — Contra hanc sententiam alii Theologi observant, quod ad rationem generationis neutiquam necesse sit, ut is, qui generatur, accipiat naturam foecundam: et praeterea Verbum Dei non accipit a Patre naturam foecundam ea foecunditate, qua foecunda est in Patre; Verbum enim accipit tantummodo naturam foecundam ad spirandum, non ad generandum, ac proinde vi talis processionis formaliter non accipit naturam similem, adeoque hac de causa Verbum dici non potest genitum potius, quam Spiritus sanctus. *b*) *Franc. Henno*, qui suam sententiam tribuit *S. Bonaventurae* et *D. Scoto*, dicit, processionem Verbi, non processionem Spiritus sancti esse generationem, quia prima procedit naturaliter, seu per modum naturae, non secunda; nam, ait, generatio est opus naturae; ergo debet naturaliter procedere, seu ab agente naturali, qualis est intellectus, qui est ad agendum naturaliter determinatus; sed voluntas etiam divina non est agens naturale, sed voluntarium, et liberum libertate essentiali etiam respectu processionis Spiritus sancti, et ideo haec non potest dici generatio. — Ast in hac sententia per libertatem essentialem non potest intelligi libertas indifferentiae, ita ut Deus potuerit non producere Spiritum sanctum, sicut potuit non producere creaturas, talis enim propositio haeretica esset; et ipsa ratio cognoscit, Deum ita se necessario amare, sicut se necessario cognoscit. Laudatus auctor ergo per libertatem non intelligit, nisi immunitatem a coactione. Verum non minus hac libertate gaudet processio Verbi, quam processio Spiritus

(1) De Trin. c. 6 n. 401 in nota. (2) In fine.

Digitized by Google

sancti: etenim extra omne dubium est, Patrem non coacte, non invite, sed voluntarie et spontanee producere Verbum: a quo namque posset cogi? Remanet ergo integra difficultas, cur processio per voluntatem necessaria necessitate naturae non sit generatio, et processio per intellectum non magis necessaria, sit generatio, quandoquidem procedens per voluntatem etiam procedat vivens a vivente, et natura similis. *c*) *Vasquez* ita disserit: De ratione Filii est, ut sit Patris imago; Filius quippe debet esse Patri perfecte similis, eiusque referre ac exprimere characteres: sed Verbum, quod per intellectum procedit, perfecte repraesentat Patrem, adeoque eius imago est et consequenter Filius. — Verum ratio imaginis per se non involvit rationem generationis; alias imago Caesaris genita, et filia Caesaris dicenda esset. Certum est filium esse imaginem patris; sed non satis intelligitur, quid addat imaginis ratio suprasimilitudinem perfectam in natura. Quippe qui alteri perfecte, ac in omnibus similis est, eius imago iure ac merito nuncupari potest: porro Spiritus sanctus perfecte similis est in natura Patri et Filio, imo unus in natura cum ipsis: cur non et ipse dicendus est Patris imago, et consequenter filius? — Hanc quaestionem citatus auctor non solvit. *d*) *Suarez* ita argumentatur: Intellectio est divinae naturae differentia specifica, et consequenter Verbum ex intellectione procedens habet originem a Patre in similitudinem naturae, adeoque genitum iure nominatur, quod non potest dici de Spiritu sancto procedente a voluntate, quae est quidem attributum Dei, sed non differentia specifica. — Ast iam propositionem fundamentalem plerique Theologi non admittunt, negantes, gradum specificum naturae divinae in intellectione actuali purissima positum esse (§ 5): praeterea Suarezii argumentatio admitti nequit, quia in ipsa constitutivum metaphysicum et logicum, cum physico realique confunditur: ad generationem vero non sufficit, quod vi formaliter talis actionis communicetur gradus essentiae specificus, sed tota essentia debet communicari: haec autem communicatur etiam tota Spiritui sancto: ergo eadem quaestio redit, cur Verbum sit genitum, et non Spiritus sanctus (1).

(1) Cf. Tournely de Trin. q. 2 art. 4, Berti lib. 8. c. 3, Billuart de Trin. Diss. 2 art. 5.

II. *De divinarum processionum numero, principio et indole.*

§ 107. 1. Duas esse in Deo processiones, nimirum generationem et spirationem, ex hactenus probatis constat. Moleste autem sciscitantur adversarii, praesertim Sociniani, cur duae tantum in Deo dentur processiones, et non plures, cum tamen in Deo omnia infinita sint, et multa in ipso attributa distinguantur? cur non etiam tot processiones, relationes et personae, quot attributa distinguuntur? — Huic quaestioni respondemus auctoritati Revelationis divinae innixi. Duas nempe in Deo processiones credimus, quia duae nobis revelatae sunt; plures autem quam istas duas non admittimus, quia plures revelatae non sunt. Versamur enim in dogmate puro quod ratio sibi relicta non cognoscit, et etiam per Revelationem illustrata perfecte non comprehendit; quapropter hac in doctrina non tam humanis speculationibus indulgendum, quam potius Deo revelanti, falli et fallere nescio, credendum est. — Sed tamen *S. Thomas* rationem explicare conatus est, cur duae, nec plures, nec pauciores in Deo processiones sint; ait enim (2): « In Deo non sunt nisi duo

(2) 1, q. 27, art. 5.

procedentes, scilicet Filius et Spiritus sanctus, ergo sunt ibi tantum duae processiones; » nam « processiones in divinis accipi non possunt nisi secundum actiones, quae in agente manent: huiusmodi autem actiones in natura intellectuali et divina non sunt, nisi duae, scilicet intelligere et velle... Relinquitur igitur, quod nulla alia processio possit esse in Deo, nisi Verbi et Amoris. »—Fere omnes Theologi hanc S. Thomae sententiam amplectuntur, per quam pro captu humano aliquo modo explicatur, cur in Deo nec pauciores, nec plures processiones sint quam duae. Ipsa etenim sana ratio docet, Deum operari per intellectum et voluntatem. Et quoad propriam essentiam etiam a Philosophia nulla alia operatio assignari potest, nisi quod Deus per intellectum se cognoscat, et per voluntatem se amet. Intellectus equidem et voluntas in Deo realiter non distinguuntur, sed tamen distinguuntur virtualiter, et haec virtualis distinctio sufficit ad varios et realiter distinctos effectus producendos; sicut iustitia et misericordia, licet distinguantur tantum virtualiter in Deo, affectus tamen realiter distinctos producunt, poenas nempe et gratias. Sicut autem ex hac ratione duae divinae processiones recte statuuntur, sic plures admitti nequeunt. Quia enim omnia in Deo infinita sunt, ita etiam eius modus operandi ad intra infinitus est, et (uti Theologi pro captu humano loquuntur) exhauritur productione personae infinitae: ergo intellectus exhauritur productione Verbi infiniti, et voluntas exhauritur productione amoris infiniti, quapropter nulla alia processio in Deo cogitari potest. — Plura quidem attributa in Deo virtualiter distinguuntur, sed haec in non operativa et in operativa dividuntur: ex prioribus, in quibus nulla operatio concipitur, etiam nulla processio sequi potest; posteriores vero solum in intellectu operante, aut in voluntate operante considerantur, et sicut distinctam, aut seiunctam ab intellectu et voluntate operationes non habent, sic neque ut plurium processionum principia statui possunt. - Extiterunt etiam nonnulli, qui dicebant, quod ex ipso systemate S. Thomae sequatur, plures in Deo processiones dari: si enim, aiebant, Pater seipsum cognoscens Filium, et seipsum amans spiritum sanctum producit, etiam Filius, Patri perfecte aequalis se cognoscens alium Filium, et se amans alium Spiritum sanctum producet: idemque de Spiritu sancto dicendum erit, et sic infinita processionum ac personarum series admittenda erit. — Sed tale absurdum non ex systemate S. Thomae, sed ex falsa hypothesi sequitur, quod quaelibet persona specialem intellectum et specialem voluntatem habeat, ita ut tres intellectus et tres voluntates in Deo admitti debeant. Ast iuxta dogma catholicum, cui S. Thomas tenacissime inhaeret, una est essentia divina, et ideo etiam unus intellectus et una cognitio, una voluntas et unus amor; una enim eademque essentia divina cognoscitur et amatur. Scholastici eandem difficultatem solvunt dicendo, quod intellectus divinus exhauriatur per productionem Verbi, et voluntas divina exhauriatur per productionem Spiritus sancti. Communicatur autem Filio, et Spiritui sancto intellectus iam exhaustus, et ideo non amplius foecundus. Voluntas quidem Filio communicatur nondum exhausta, quia generatio ordine spirationem praecedit (atque ideo Filius cum Patre producit Spiritum sanctum): sed per huius produ-

ctionem exhausta non amplius foecunda est.

2. Ut Theologorum controversia *de principio* divinarum processionum intelligatur, quaedam praemittere oportet. Duplex vulgo distinguitur a Scholasticis principium actionis; unum *quod*, et est ipsum suppositum agens; alterum *quo*, et est forma, per quam agit: quae cum duplex sit, remota et proxima, duplex quoque distinguitur principium *quo:* remotum unum, et est ipsa natura; proximum alterum, et est naturae facultas, aut potentia. Sic v. g. Petrus intelligens est principium *quod*, anima rationalis est principium *quo* remotum, et intellectus est principium *quo* proximum intellectionis. Haec principiorum distinctio, a rebus humanis et creatis desumta, etiam ad res divinas investigandas a Theologis applicata fuit. Quod praesentem spectat controversiam, consentiunt omnes, principium *quod* divinarum processionum esse personas divinas, scilicet Patrem esse principium *quod* generationis Filii, Patrem vero et Filium esse principium *quod* processionis Spiritus sancti. Omnes etiam fatentur, principium *quo remotum* divinarum processionum esse naturam divinam, in qua virtus processionum remote continetur. Dissentiunt autem Theologi, dum de principio *quo* proximo agitur, et in varias abeunt opiniones. — *a*) *Durandus* contendit, principium *quo proximum* processionum esse essentiam divinam, quae, inquit, habet foecunditatem praecise ex sua infinitate, et non ex hoc, quod est intelligens et volens. — Hanc sententiam, quae essentiam divinam, praecisam ab operationibus vitalibus intellectus et voluntatis, ut principium *quo* proximum, et immediatum divinarum processionum, statuit, haud immerito a plerisque Theologis reiicitur, tum quia recepto in scholis effato, ac in Concilio Lateranensi IV confirmato; « essentia nec producit, nec producitur; nec generat, nec generatur, » repugnat, tum quia in ista sententia explicari nequit, cur processio Filii sit prior origine processione Spiritus sancti; cur illa sit generatio, haec non item; et cur non plures sint processiones quam duae. — *b*) Alii docent, solam relationem esse principium *quo* proximum cuiuslibet processionis, v. g. paternitatem esse principium *quo* proximum generationis Filii a Patre: hacc sententia *S. Bonaventurae* adscribi solet. Ast etiam ista admitti nequit; nam relationes divinae supponunt processiones divinas, et ex his iuxta nostrum concipiendi modum (non ratione temporis, sed ratione ordinis) sequuntur; sic v. g. paternitas non resultat, nec concipitur esse in Patre nisi supposita Verbi generatione: relationes ergo, quae ex processionibus deducuntur, harum principium *quo* proximum statui non possunt. — *c*) Plerique Theologi statuunt, intellectum et voluntatem esse principia proxima processionum divinarum, actiones vero harum productivas esse intellectionem et volitionem prout connotant relationes. Quippe cum generandi facultas, et ipsa generatio Patri, spiratio autem activa Patri et Filio propriae sint, unus vero in tribus personis sit intellectus, una intellectio, una voluntas, una volitio omnibus communis, necesse est assignare aliquid, quo fiat, ut intellectio Patris producat, non intellectio Filii. Quid porro illud est? — *Scotistae*, ut huic quaestioni respondeant, asserunt, intelligere et dicere, seu producere in Deo duos esse actus virtute distinctos, quorum primus essentialis dicitur, secundus

vero notionalis: per essentialem terminum non produci affirmant, sed per notionalem; hincque rationem reddunt, cur Filius intelligendo non producit, quia nempe intelligit tantum intellectione essentiali, non vero notionali. Sed dubium superest, quid sit illa notionalis intellectio: et Patres affirmant, in Deo cogitare et dicere idem esse; sic *S. Fulgentius* (1) ait: « Sic est Verbum apud Deum, sicut est in mente verbum sicut in corde consilium. Cum enim mens apud se verbum habet, utique cogitando habet, quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare. » Non satis recte ergo Scotistae duos actus, nempe intelligere et dicere, sicut pariter velle et spirare virtualiter distinguunt. Ideo *Thomistae* repudiata hac distinctione dicunt, notionales actus esse ipsosmet essentiales, quatenus connotant relationes sibi proprias. Cum enim neque essentia sola possit producere, neque relatio sola; utraque requiritur, scilicet natura cum relatione coniuncta: ex quo sequitur, principium *quo* proximum divinarum processionum esse intellectum ut affectum paternitate, et voluntatem, ut affectam spiratione activa. — *D. Gregorius Ariminensis*, *Berti* et alii dicunt, non esse in Deo admittendum aliquod principium *quo* a principio *quod* sensu complexo distinctum. Haec enim distinctio desumitur ab entibus creatis, in quibus actus sunt accidentales, et potentia ad agendum ab ipso actu distinguitur, ex quo fit, ut de illis quaeri possit, *quo* principio remoto et proximo agant. In Deo autem accidentia non dantur; ipsius intellectus et voluntas non sunt in potentia, sed in actu; Deus ipse est purissimus actus: non satis recte ergo distinctiones ab entibus creatis desumtae Deo applicantur. Ss. Patres frequenter Patrem sine principio, et primum principium esse dicunt; etiam Scholastici in hoc conveniunt; quod Pater, qui generat, sit principium *quod* processionis secundae personae; si autem ulterius quaeritur de principio, quo Pater generat, videtur ipse Pater non absque omni principio esse, nam, ait *Berti* (2), « quod operatur per aliquid aliud, recipit aliqualiter esse, ut anima a mente, qua percipit, fit rationalis. » Sufficiat ergo scire et credere, Patrem esse principium secundae, et Patrem ac Filium esse principium tertiae personae: ulterius principium processionum divinarum inquirere fere idem est, ac principium aeternitatis investigare velle. Huc ergo spectat monitum *S. Anselmi*, qui (3) dicit: « Sicut intellectus noster non potest transire ultra aeternitatem, ut quasi de principio eius iudicet, sic non potest de hac nativitate, vel processione, nec debet ad similitudinem creaturae sentire, vel iudicare. »

3. Quod *indolem* divinarum processionum attinet, Theologi quinque earundem proprietates enumerant, quae ex ipsis dogmatibus iam probatis recte deducuntur. Processiones nempe divinae sunt: *a*) *immanentes*, quia earum termini, Filius scilicet, et Spiritus sanctus in ipso Deo sunt iuxta effatum Christi: Pater in me est, et ego in Patre (4): *b*) *aeternae*, ac Deo coaevae, quia Pater, ab aeterno se cognoscendo, producit Verbum, et Pater et Filius, ab aeterno sese amando, producunt Spiritum sanctum: *c*) *substantiales*, id est, terminos habentes subsistentes ac personales, non vero accidentales et adventitios,

(1) L. 3 ad Monim. c. 3.
(2) L. 9, c. 2, pr. 4.
(3) De proc. Sp. c. 25. (4) Io. 10, 38.

quales sunt in nobis termini intellectionis et volitionis; in Deo enim nihil est accidentale, adventitium nihil: *d) necessariae*, quia necessitate naturae Deus seipsum cognoscit et amat: *e) metaphysicae*, seu simplicissimae et perfectissimae, quia non sunt tanquam a causa proprie dicta, sed tanquam a mero principio, importantque solum in suo conceptu originem unius personae ab alia, absque ulla mutatione sive in subiecto, sive in termino, absque ulla prioritate temporis, aut praeeminentia naturae in una persona; absque ulla dependentia, divisione, partitione, separatione, sectione essentiae; uno verbo, absque ulla earum imperfectionum, quae physicam productionem semper comitantur. Haec discrimina etiam Ss. Patres, uti *S. Athanasius* (1), *Hilarius* (2) et alii adnotarunt contra Arianos, qui divinam Verbi generationem ex humana metientes, illam tot imperfectionibus obnoxiam esse dixerunt. Nonnulli Theologi cum *Suarez* volunt, divinas processiones non esse veras actiones, sed simplices emanationes, seu resultantias eo fere modo, quo proprietates oriuntur ab essentia: plerique autem Theologi contendunt, processiones divinas active sumtas esse veras ac proprias actiones, nimirum iuxta *Scotistas* dictionem et spirationem, iuxta *Thomistas* intellectionem et volitionem, modificatas relationibus. — Disputarunt etiam Scholastici, ex quarum rerum cognitione Verbum procedat a Patre? — *Scotus* respondet: ex cognitione essentiae, et attributorum; *Thomistae* vero aiunt: Verbum essentialiter et necessario procedit non solum ex cognitione essentiae, et attributorum, sed et ex cognitione trium personarum et creaturarum possibilium, imo concomitanter, et quasi consequenter etiam ex cognitione creaturarum in aliqua temporis differentia existentium. — Haec sententia magis consona videtur recto conceptui de scientia Dei, qui omnia uno et simplicissimo actu cognoscit. Ipse *S. Augustinus* (3) ait: « Novit omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio: sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quae sunt in seipso. » Et *S. Thomas* (4) ait: « Pater intelligendo et Filium, et Spiritum sanctum et omnia alia, quae in eius scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas verbo dicatur, et etiam omnis creatura: » in qua sententia distinctio inter cognitionem creaturarum possibilium et cognitionem creaturarum existentium non commemoratur, neque commemoranda esse videtur, cum solum a nostra mente petatur, et unitatem ac infinitam simplicitatem omniscientiae divinae afficere non possit. — Verbum Dei ergo ex cognitione Dei, prout haec in se est, procedit: iuxta nostrum autem concipiendi modum recte dicitur, cognitionem creaturarum existentium in Deo non esse necessariam, quia ipsa harum creaturarum existentia necessaria non est; et in hoc sensu cum *S. Anselmo* (5) dicendum est: « Sive Deus cogitetur, nulla alia existente essentia, sive aliis existentibus, necesse est Verbum illius, coaeternum illi, esse cum ipso » (6).

(1) De decr. Nic. Syn. (2) L. 7 de Trin.
(3) L. 15 de Trin. c. 14.
(4) 1, q. 34 a. 1 ad 3.

(5) Monol. c. 30.
(6) Cf. Tournely de Trin. q. 6, art. 2. Billuart diss. 5, art. 3.

ARTICULUS III.

Consectaria doctrinae de processionibus divinis.

§ 108. Ex dogmatibus de divinarum personarum processionibus varia consectaria deducuntur, quae hic pertractare oportet, ne in re tanti momenti, quale est ineffabile et augustum Trinitatis mysterium, alicui subesse possit, ex ignorantia ac defectu rectae notionis, errandi periculum. Agendum ideo hic est 1° *de relationibus divinis,* 2° *de notionibus divinis,* 3° *de circuminsessione,* 4° *de missione divinarum Personarum.*

I. *De relationibus divinis.*

§ 109. 1. *Relatio,* ut tradunt Philosophi, est ordo, sive respectus unius ad aliud. In qualibet ergo relatione tria reperiuntur, subiectum nempe, terminus et fundamentum. Subiectum est res, quae ad aliam refertur; terminus est res, ad quam refertur subiectum; fundamentum est ratio, propter quam subiectum refertur ad terminum: sic in relatione patris ad filium pater subiectum est, filius vero terminus, et generatio fundamentum relationis, siquidem propter generationem pater ordinem habet ad filium. — Dubitare non licet, quod in Deo relationes dentur. Existunt enim in Deo tres personae distinctae, Pater, Filius et Spiritus sanctus, ut probatum fuit: atqui haec nomina totidem relationes exprimunt; relatio enim est respectus unius ad alium: atqui Pater necessario respectum habet ad Filium, et vicissim Filius ad Patrem; siquidem concipi non potest Pater sine Filio, nec Filius sine Patre; pariter Spiritus sanctus necessario refertur ad principium, a quo procedit: ergo admittendae sunt in Deo relationes, quae a Theologis *relationes originis* vocantur, quia ex processionibus resultant, et ratione originis personas distinguunt.

2. Quatuor sunt in Deo relationes originis, nempe *Paternitas, Filiatio, Spiratio activa,* et *Spiratio passiva.* Ratio est, quia in Deo sunt duae processiones, nec plures, nec pauciores, ut iam ostensum fuit: sed ex qualibet processione resultant duae relationes, una nimirum producentis ad procedentem, altera vero procedentis ad principium: ergo quatuor sunt in SS. Trinitate relationes originis, *Paternitas,* quae resultat in Patre ex eo, quod genuerit Filium; *Filiatio,* quae est in Filio ex eo, quod genitus sit a Patre; *Spiratio activa,* quae resultat in Patre, et Filio ex eo, quod per modum unius principii producunt Spiritum sanctum; et *Spiratio passiva,* quae est in Spiritu sancto ex eo, quod procedat a Patre, et Filio.

3. Relationes declaratae dupliciter considerari solent, nimirum ratione subiecti, in quo sunt, et ratione termini, ad quem referunt, seu, ut barbare Scholastici loquuntur, secundum suum esse *in,* et secundum suum esse *ad.* Iam vero *reales* sunt utrovis modo spectatae. Siquidem illud est reale, quod existit nemine cogitante, nec merum est rationis figmentum: sed quatuor relationes divinae in Deo existunt nemine cogitante, nec mera sunt rationis figmenta; nam, v. g., paternitas non solum cogitatur, aut fingitur esse in Patre, sed vere in eo residet tanquam proprietas personalis et subsistens: igitur relationes originis reales sunt tum ratione subiecti, quia realiter modificant subiectum, cui insunt, tum ratione termini, quandoquidem referunt unam personam ad aliam; per paternitatem enim realiter, positive, nemine cogitante, Pater opponitur Filio, refertur ad Filium.

4. Tres divinae personae realiter inter se distinguuntur per relationes, quae ideo personarum *proprietates* dici solent. Nam, ait *S. Thomas* (1): « In quibuscunque pluribus invenitur aliquid commune, oportet quaerere aliquid distinctivum. Unde cum tres personae conveniant secundum essentiae unitatem, necesse est quaerere aliquid, quo distinguantur, ad hoc, quod plures sint. Inveniuntur autem in divinis personis duo, secundum quae differunt, scilicet *origo* et *relatio:* quae quidem, quamvis re non differant, differunt tamen secundum modum significandi. Nam origo significatur per modum actus, ut generatio; relatio vero per modum formae, ut paternitas... Unde melius dicitur, quod personae seu hypostases distinguantur relationibus, quam per originem. Licet enim distinguantur utroque modo, tamen prius et principalius per relationes secundum modum intelligendi. » Hinc etiam Ss. Patres personas divinas per relationes, seu proprietates distinguunt: sic *S. Basilius* (2) ait: « Commune est deitas, proprium est paternitas; » *S. Gregorius Naz.* (3) dicit: « Adoramus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; ita ut proprietates i. e. relationes distinguamus, divinitatem autem unam faciamus. » *S. Chrysostomus* (4) ait: « Nomina alia sunt communia, alia propria: communia, ut non differre substantiam ostendatur; propria, ut proprietas hypostasium declaretur. Illud itaque, Pater et Filius, alterutrius hypostaseos proprium est; illud vero, Deus et Dominus, commune est. » *Concilium Lateranense IV* (5) ait: *Haec Sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, secundum personales proprietates discreta.* Ecclesia denuum in praefatione de Trinitate sic canit, *ut in personis proprietas, in essentia unitas, et in maiestate adoretur aequalitas.*

5. Si quaeritur, utrum relationes, quae sunt in Deo, realiter ab invicem distinguantur, cum distinctione respondendum est. Relationes originis, quae sibi mutuo opponuntur, nimirum Paternitas, Filiatio, et Spiratio passiva a se invicem realiter distinguuntur, quia relationes istae mutuam inter se dicunt oppositionem; neque enim fieri potest, ut qui pater est, idem sit sui filius, alias suimetipsius pater foret, quod plane absurdum est: praeterea si dictae relationes inter se realiter non distinguerentur, etiam personae realiter distinctae non essent, et sic trinitas personarum negaretur: ideo *S. Thomas* (6) dicit: « Si relationes non distinguuntur ab invicem realiter, non erit in divinis trinitas realis, sed rationis tantum, quod est Sabelliani erroris. » — Relationes autem, quae sibi non opponuntur, a se invicem realiter non distinguuntur: ideo de fide credendum est, spirationem activam non distingui realiter a paternitate et filiatione. Id probatur ex effato *S. Anselmi* ab omnibus recepto: « omnia in divinis sunt unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio. » Atqui inter spirationem activam ex una parte, et paternitatem et filiationem ex altera non obviat relationis oppositio, quia haec fundatur in reali processione unius ab alio: sed per spirationem activam neque Pater procedit, neque Filius, sed ipsa a Patre Filio communicatur: ergo inter spirationem activam ex una, et paternitatem ac filiationem ex altera parte nulla relationis oppositio, et ideo nul-

(1) 1, q. 40, art. 2, in o.
(2) Ep. 319 (3) Or. 39
(4) Hom. 5 de incompr. nat. Dei
(5) C. Firmiter (6) 1, q. 28, art. 3.

la realis distinctio adest. Bene vero spiratio activa realiter a passiva distinguitur, quia per spirationem activam tertia persona a Patre et Filio tanquam ab uno principio procedit. — Theologi Paternitatem, Filiationem, et Spirationem passivam *proprietates personales* nominant, quia per illas personae constituuntur; spirationem vero activam simpliciter *proprietatem* nuncupant, quia per hanc non quarta persona constituitur, sed ipsa in Patre et in Filio invenitur.

6. Nos quatuor relationes et tres personas in Deo distinguimus, nullatenus autem putandum est, quod relationes realiter a personis distinguantur; nam relationes, seu proprietates sunt ipsae personae, quae ideo a *S. Thoma* dicuntur relationes subsistentes in divina natura. Et sicut recte dicitur, proprietates esse in personis, sic etiam recte asseritur, relationes, seu proprietates esse ipsas personas. « Oportet dicere, ait *S. Thomas* (1), proprietates esse in personis, et eas tamen esse personas, sicut essentiam esse in Deo dicimus, quae tamen est Deus. » Neque ex eo, quod quatuor relationes, seu proprietates numerantur, sequitur, etiam quatuor esse personas, quia spiratio activa non est per se subsistens, sed subsistit in Patre et Filio. Ad id declarandum *S. Thomas* (2) dicit: « Considerandum est, quod propter divinam simplicitatem consideratur duplex realis identitas in divinis eorum, quae differunt in rebus creatis. Quia enim divina simplicitas excludit compositionem formae et materiae, sequitur, quod in divinis idem est abstractum et concretum, ut Deitas, et Deus. Quia vero divina simplicitas excludit compositionem subiecti et accidentis, sequitur, quod quidquid attribuitur Deo, est eius essentia, et propter hoc sapientia et virtus idem sunt in Deo, quia ambo sunt in divina essentia. Et secundum hanc duplicem rationem identitatis proprietas in divinis est idem cum persona. Nam proprietates personales sunt idem cum personis ea ratione, qua abstractum est idem cum concreto: sunt enim ipsae personae subsistentes, ut paternitas est ipse Pater, et filiatio Filius, et processio Spiritus sanctus. Proprietates autem non personales sunt idem cum personis secundum aliam rationem identitatis, qua ratione illud, quod attribuitur Deo, est eius essentia. Sic igitur communis spiratio est idem cum persona Patris, et cum persona Filii, non quod sit una persona per se subsistens; sed sicut una essentia est in duabus personis, ita et una proprietas. » Ergo relatio paternitatis et relatio spirationis activae in Patre sunt idem secundum rem cum sola distinctione virtuali: idemque dicendum est de relatione filiationis, et relatione spirationis activae in Filio.

7. Relationes, quae sunt ipsae personae divinae, non realiter ab essentia divina distinguuntur, sed ratione tantum. Id clare definitum legitur in Concilio Lateranensi IV (3), ubi dicit: *Credimus, et confitemur, quod una quaedam res est, incomprehensibilis quidem, et inaestimabilis, quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, tres simul personae, ac singulatim quaelibet earundem: et ideo in Deo trinitas est solummodo, non quaternitas; quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest... Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus,*

(1) 1, q. 40, art. 1 in c. (2) Ib. ad 1. (3) Cap. 2.

non tamen aliud; sed id, quod est Pater, est et Filius, et Spiritus sanctus idem omnino. Valde igitur cavendum est, ne putemus, relationes et proprietates ita esse in Deo, uti accidentiae, quae sunt in rebus creatis sed ab earundem substantia distinguuntur. Nam, ait *S. Thomas* (1): « Quidquid in rebus creatis habet esse accidentale, secundum quod transfertur in Deum, habet esse substantiale; nihil enim est in Deo ut accidens in subiecto: sed quidquid est in Deo, est eius essentia. Sic igitur ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subiecto, relatio realiter existens in Deo habet esse essentiae divinae, idem omnino ei existens. In hoc vero, quod ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum oppositum. Et sic manifestum est, quod relatio realiter existens in Deo est idem essentiae secundum rem, et non differt nisi secundum intelligentiae rationem, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiae. Patet ergo quod in Deo non est aliud esse relationi et essentiae, sed unum et idem. » — Ex eodem principio angelicus Doctor infert, tres personas idem esse cum divina essentia, quamvis illae inter se realiter distinguantur: scribit enim (2): « Sicut relationes in rebus creatis accidentaliter insunt, ita in Deo sunt ipsa essentia divina. Ex quo sequitur, quod in Deo non sit aliud essentia, quam persona secundum rem, et tamen quod personae realiter ab invicem distinguantur. Persona enim, ut dictum est supra (3) significat relationem, prout est subsistens in natura divina. Relatio autem ad essentiam comparata non differt re, sed ratione tantum. Comparata autem ad oppositam relationem habet virtute oppositionis realem distinctionem. Et sic remanet una essentia, et tres personae. »

8. Cum relationes identificentur cum essentia divina, eandem procul dubio cum illa perfectionem infinitam habent, ratione cuius necessario amantur a Deo, et a nobis adorari debent adoratione latriae, ut docet *S. Thomas* (4). — Sed quia virtualiter et ratione relationes ab essentia distinguuntur, quaestio agitata est inter Theologos, utrum praeter perfectionem absolutam essentiae, quae ipsis competit, afferant vi et ratione conceptus *ad* aliam propriam et relativam virtualiter ab absoluta essentiae perfectione distinctam. Sunt, qui cum *Suarez*, *Vasquez*, *Tournely*, *Herminier*, *Th. ex Charmes* etc. id affirmant, nam, aiunt, illud censeri debet perfectio in persona divina, quod eam constituit et specificat; sed relationes originis constituunt ac specificant personas divinas, in quibus insunt, ergo sunt verae perfectiones, et quidquid est in Deo realiter, est perfectio, sed relationes secundum *esse ad* sunt in Deo realiter, ergo sunt verae perfectiones. — Alii autem cum *S. Thoma*, *Scoto*, *Caietano*, *Salmanticensibus*, *Goneto*, *Billuart*, *Berti* etc. id negant, quia, aiunt, cum in Deo, sicut omnia perfecta, sic et infinita sint oportet, si relationes essent perfectiones a perfectione essentiae distinctae, sequeretur, quod quaelibet persona ultra infinitam perfectionem essentiae haberet adhuc infinitam perfectionem relationis, et sic Pater, ut Pater esset perfectior, quam ut Deus: et quia relationes originis sunt realiter distinctae, sequeretur, quod plura sint infinita realiter distincta: non potest

(1) 1, q. 28, a. 2 in o. (2) 1, q. 39, art. 1 in o. (3) q. 29, a. 4 (4) 1, q. 28, a. 2.

ergo dici, quod relationes praeter perfectionem essentiae absolutam, adhuc aliam propriam, seu relativam perfectionem habeant. Relationes sunt ipsa essentia divina, quae est infinite perfecta; et quid infinitae perfectioni addi poterit? — Recte ideo *D. Berti* (1) dicit: « In Deo una est tantum perfectio, uti una substantia, una essentia, una res summa: propterea dixi, divinas relationes esse perfectionem, non ut alii complures Theologi, perfectiones. » Argumenta aliter sentientium nihil aliud probant, nisi quod cuilibet personae divinae competat perfectio infinita, quae est ipsa simplicissima essentia divina.

Nota. Theologi praeter relationes originis, quas *proprias* nominant, alias quoque in Deo distinguunt, quae tribus personis divinis ex aequo competunt, et ideo *communes* dicuntur, quales sunt *identitas*, *aequalitas* et *similitudo*. Huiusce generis relationes sex possunt admitti in qualibet persona divina; quaelibet enim persona duas habet relationes identitatis, duas aequalitatis, et duas similitudinis; Pater v. g. est idem cum Filio, et idem cum Spiritu sancto; aequalis est Filio, et aequalis Spiritui sancto, ac demum similis Filio, et similis Spiritui sancto, quod idem plane dixeris de Filio respectu Patris et Spiritus sancti, et de Spiritu sancto respectu Patris et Filii. — Relationes istae communes ex dogmatibus iam probatis deducuntur. Nam relationes identitatis innituntur dogmati de una numero essentia trium personarum (§ 95); quapropter recte dicitur: Pater est idipsum quod Filius; Filius idipsum quod Spiritus sanctus. Sicut autem essentia divina, ita etiam omnia attributa divina absoluta (§ 16) ex aequo singulis personis competunt, quae idcirco sibi perfecte aequales sunt. Id docet Apostolus, dum de Christo scribit: *Non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo* (2). *S. Fulgentius* (3) ait: « Aequalitas intelligitur in Patre, et Filio, et Spiritu sancto, in quantum nullus horum aut praecedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. » Et in Symbolo Athanasiano dicitur: *Tres personae coaeternae sibi sunt, et coaequales.* Ex his inferri potest, tres personas esse etiam sibi similes, quia omnia aequalia secundum quantitatem virtutis sunt similia: quamvis non omnia similia sint aequalia. — *Scotus* propugnavit, relationes identitatis, aequalitatis et similitudinis esse reales, quia etiam nemine cogitante in Deo existunt. Sed aliter sentit *S. Thomas*, qui docet, eiusmodi relationes non esse reales, sed rationis, eo nimirum quod illarum fundamentum non multiplicatur in personis divinis in iisque non est realiter distinctum. Egregie hac de re disserit angelicus Doctor (4), dicens: « In divinis personis nihil est considerare, nisi essentiam, in qua communicant, et relationes, in quibus distinguuntur; aequalitas autem utrumque importat, scilicet distinctionem personarum (quia nihil sibi ipsi dicitur aequale) et unitatem essentiae: quia ex hoc personae sunt sibi invicem aequales, quia sunt unius magnitudinis et essentiae. Manifestum est autem, quod idem ad seipsum non refertur aliqua relatione reali. Nec iterum una relatio refertur ad aliam per aliquam aliam relationem. Cum enim dicimus, quod paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem et filiationem, quia utroque modo relatio

(1) l. 9, c. 5, pr. 3. (2) Phil. 2, 6.
(3) L. de fid. ad Petr. c. 1.
(4) 1, q. 42, a. 1 ad 4.

multiplicaretur in infinitum. Et ideo aequalitas et similitudo in divinis personis non est aliqua realis relatio distincta a relationibus personalibus, sed in suo intellectu includit et relationes distinguentes personas et essentiae unitatem. » Et propterea Magister dicit (1) quod in his appellatio tantum est relativa.

Deus etiam considerandus est in relatione erga entia extra ipsum existentia: sed de istis relationibus in sequentibus Theologiae dogmaticae partibus agendum erit.

II. *De notionibus divinis.*

§ 110. 1. Per notiones divinas intelliguntur notae quaedam peculiares, quibus personae divinae dignoscuntur, et ab invicem secernuntur. Reipsa notiones divinae non differunt a proprietatibus personalibus, sed tantum modo significandi: omnis quippe personalis proprietas est notio, sed non omnis notio est proprietas personalis, quia plures notiones in una eademque persona convenire, illam manifestare et ab alia secernere possunt.

2. Ad veram rationem notionis divinarum personarum, requiritur, 1° ut pertineat ad originem, quia personae constituuntur et distinguuntur solis relationibus in origine fundatis; 2° ut importet aliquam dignitatem, sicut enim persona nomen est dignitatis et honoris, ita notio alicuius personae ad dignitatem pertinere debet; 3° ut sit aliquid proprium uni personae, vel duabus tantum, quia quod est commune tribus personis non est sufficiens ratio dignoscendi et discernendi unam ab alia.

3. Quinque communiter assignantur notiones divinae, nempe *Innascibilitas*, *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio activa*, et *Spiratio passiva*. Has quatuor relationes totidem notas esse, quibus una persona ab alia distinguitur, satis per se apertum est. Hisce autem Innascibilitas addenda est. Nam ne plures in Deo cogitentur processiones, quam duae. ac proinde plures personae quam tres, necesse est intelligere unam e tribus personis divinis esse improductam et primum aliarum principium. Cum vero id non satis declaretur per paternitatem, quia qui Pater est, non eo praecise est improductus, sed alium Patrem habere potest; idcirco necesse est aliam specialem supponere notionem, nimirum *Innascibilitatem*, per quam Pater a nullo esse intelligitur. Id recte observat *S. Augustinus* (2) dicens: « Alia est notio, qua intelligitur genitor, alia qua ingenitus. » Per hanc porro Innascibilitatem non solum negatur, Patrem natum, seu genitum esse, sed etiam positive asseritur, ipsum primum principium esse totius divinitatis, quod summam dignitatem importat: et in hoc sensu innascibilitas est notio soli Patri propria; nam Spiritus sanctus, licet genitus non sit, non est tamen ut Pater divinitatis principium, sed a Patre Filioque procedit.

Nota 1. *Scotus* praedictis quinque notionibus sextam adiecit, nimirum *Inspirabilitatem*, communem Patri et Filio, qui per spirationem non procedunt, et sic a Spiritu sancto distinguuntur. Sed plerique Theologi hanc inspirabilitatem tanquam notionem divinam agnoscere recusant, quia nullam dignitatem importat.

Nota 2. Theologi Deo adscribunt etiam duos *actus notionales*, nempe generationem, et spirationem activam; sed, ait *S. Thomas* (3): « Actus notionales secundum modum significandi tantum differunt a relationibus

(1) In 31 dist. 1 sentent

(2) L. 5, de Trin. (3) 1, q. 41, a. 1 ad 2.

personarum, sed re sunt omnino idem. » — Quaesitum est, an isti actus notionales in Deo voluntarii sint? Ad quod respondendum est, ipsos absque dubio immunes esse a qualibet coactione, et in hoc sensu *S. Hilarius* (1) dicit: « Non naturali necessitate ductus Pater genuit Filium. » Praeterea quia voluntas pertinet ad ipsam naturam et substantiam Dei, Filius ex substantia Dei genitus, concomitanter etiam voluntate Patris genitus dici potest; quapropter *S. Thomas* (2) ait: « Hoc modo potest dici quod Pater genuit Filium voluntate, sicut et est voluntate Deus, quia vult se esse Deum, et vult se generare Filium. » Non potest autem dici, quod actus notionales sic voluntarii sint, uti voluntaria a nobis concipitur productio creaturarum, quae esse, vel non esse, sic, et alio modo constitutae esse possunt; si enim hoc diceretur, Filius et Spiritus sanctus ad rationem creaturarum, redigerentur. « Unde, ait *S. Thomas* (3) dicitur, quod, *si quis voluntate Dei tanquam unum aliquid de creaturis Filium factum dicat, anathema sit*. Et huius ratio est, quia voluntas et natura secundum hoc differunt in causando, quia natura determinata est ad unum, sed voluntas non est determinata ad unum... Eorum igitur voluntas principium est, quae possunt sic, vel aliter esse. Eorum autem, quae non possunt nisi sic esse, principium natura est..... Nobis ergo dicendum est, quod Pater genuit Filium non voluntate, sed natura. » Unde *Hilarius* (4) dicit: « Omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit, sed naturam dedit Filio ex impassibili, ac non nata substantia perfecta nativitas. »

(1) L. de syn. defin. 25.
(2) L. c. art. 2, in o.
(3) L. c. in lib. de Synod. c. 24.
(4) L. de Syn. def. 24.

III. *De Circuminsessione.*

§ 111. 1. *Circuminsessio*, quae ab aliis *circumincessio*, seu *circummeatio* dicitur, designat illum existendi modum, qui tribus personis communis est, et definiri solet: Intima existentia unius personae in altera sine personae confusione. — Dum haec circuminsessio cogitatur, omnis idea loci et spatii caute removenda est, quia Deus immensus nec loco circumscribitur, nec spatium occupat: modus ergo, quo tres personae divinae in se invicem coëxistunt, penitus differt ab omnibus modis, quibus sibi coëxistunt creaturae. — Erraret etiam qui communem essentiam infinitam quasi locum conciperet, in quo tres personae invicem cohabitent. Nam essentia divina realiter a divinis personis non distinguitur, *Sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, et Spiritus sanctus qui procedit*, ut inquit Concilium Lateranense IV: ergo Pater est ipsa essentia divina, Filius est una eademque essentia divina, et sic pariter Spiritus sanctus est una eademque essentia divina: ex quo sequitur, quod Pater sit in Filio, Filius in Patre, uterque in Spiritu sancto, et Spiritus sanctus in utroque. — Haec circuminsessio duo importat, nimirum, *primo* distinctionem personarum: id enim suppositum non dicitur esse in seipso nisi improprie ratione partium, quod non habet locum in divinis, et *secundo* unitatem numericam essentiae: si enim diversa esset essentia, plus perfectionis esset in omnibus, quam in uno, et minus in uno, quam in omnibus, quod etiam non convenit divinis personis.

2. Dari in Deo circuminsessionem personarum ex ipsa S. Scriptura patet. Christus Apostolos sic interrogat: *Non creditis, quia ego in Patre et Pa-*

Digitized by Google

ter in me est?... Pater autem in me manens ipse facit opera (1); et sic Patrem alloquitur: *Sicut tu, Pater, in me, et ego in te* (2). Ita Christus locutus est, quia unam cum Patre essentiam habet, et huic consubstantialis est; quapropter idem dicendum est de Spiritu sancto, qui pariter unam cum Patre et Filio essentiam habet, et Patri et Filio consubstantialis est.

Ex citatis Scripturae locis iam Ss. Patres idem dogma catholicum probarunt. *S. Athanasius* (3) ait: « Qui contemplatur Filium, contemplatur id, quod Patris substantiae proprium est, et agnoscit Patrem esse in Filio. Nam cum id, quod proprium est, nempe divinitas Patris, sit esse Filii, consequens est, ut et Filius in Patre sit, et Pater in Filio. Etenim propterea merito, cum ante dixisset: *Ego, et Pater unum sumus*, adiecit: *Ego in Patre, et Pater in me*, ut et identitatem divinitatis, et substantiae unitatem ostenderet» (4). *S. Hilarius* (5), loquens de Patre et Filio, inquit: « Non duo unus, sed alius in alio, quia non aliud in utroque. Pater in Filio, quia ex eo Filius; Filius in Patre, quia non aliunde; quod Filius Unigenitus in Ingenito, quia ab Ingenito Unigenitus. Ita in se invicem, quia ut omnia in Ingenito Patre perfecta sunt, ita omnia in Filio Unigenito perfecta sunt. » *S. Dionysius* (6) ait: « Una est, et communis mutua in se invicem, si sic loquendum est, uni principalium hypostascon mansio, et stabilitas, universe supra omnem modum unita, ac nulla parte confusa; » id declarare conatur per plures faces, quarum in unum coniuncta lumina uno ac minime distincto fulgore splendescunt. *S. Fulgentius* (7) dicit: « Totus Pater in Filio, et Spiritu sancto est; et totus Filius in Patre et Spiritu sancto est, totusque Spiritus sanctus in Patre et Filio est. »

3. Circuminsessio divinarum personarum iuxta *S. Thomam* (8) triplici modo fit, nimirum essentia, relatione et origine; *essentia*, quae una et eadem est in singulis personis; *relatione*, quia relativa simul coëxistunt; *origine*, quia una persona ab altera emanat per processionem ad intra. Tres personae equidem realiter inter se distinguuntur, seu, ut Theologi dicunt, relative sibi opponuntur, sed haec oppositio relativa nullam essentialem repugnantiam involvit, sed solum efficit, ut una persona non sit alia, atque ideo circuminsessionem nullatenus impedit; imo haec tam necessario admittenda est, sicut necessario a quolibet Philosopho admittitur, Deo sui cognitionem suique amorem intime inesse. Si Filius Dei dicitur *a Patre exire* (9), *egredi* (10), hic « exitus, ait *S. Thomas* (11), Filii a Patre est secundum modum processionis interioris, prout verbum exit a corde, et manet in eo. Unde exitus iste in divinis est secundum solam distinctionem relationum, non secundum essentialem aliquam distantiam. »

IV. *De Missione divinarum Personarum.*

§ 112. 1. Missio quinque modis fieri potest: *primo* per imperium, sicut dominus mittit servum; haec vero non competit personis divinis, quae sunt omnino aequales; *secundo* per consilium et suasionem, ut si consiliarii dicuntur mittere regem ad bellum; quod iterum locum non habet in personis divinis, quarum quaeli-

(1) Io. 14, 10. (2) Io. 17, 21.
(3) Or. 4, c. Arian. (4) Cf. Orat. 3
(5) Init. libri 3 de Trin.
(6) De div. nom. c. 2.
(7) L. de Fide c. 1, n. 4. (8) 1, q. 42 a. 5.
(9) Io. 16, 28. (10) Mich. 5, 2. (11) L. c ad 2.

bet omniscia ac infinite sapiens consilio non indiget; *tertio* orando et obsecrando, ut quando aliquis alium per preces aliquo mittit; etiam haec in personis divinis reperiri nequit, qui rogat enim, est inferior rogato; *quarto* per motum localem, sicut mittitur sagitta, vel epistola, aut legatus in alium locum; haec denuo aliena est a personis divinis, quae immensae sunt, et ubique praesentes; *quinto* secundum originem, ut si dicatur, quod flos emittitur ab arbore, splendor a sole; et hic solus modus potest personis divinis convenire secundum quod importat processionem originis a mittente, et temporalem effectum in creaturis productum.

2. Missio definiri solet: Processio unius personae ab altera cum novo modo existendi in alio. Missio haec, si origo spectetur, aeterna est et necessaria; duplex enim in Deo processio datur - generatio et spiratio - et utramque aeternam esse iam probatum fuit; si autem terminos spectetur, seu novus existendi modus, hic in tempore contingit, e. g. dum homo peccator iustificatur, et Deus ipsius animam per gratiam sanctificantem inhabitare incipiat; et in hoc sensu missio temporalis, gratuita et libera dicitur. Nulla vero idcirco mutatio in persona divina, quae mittitur, contingit; haec enim semper immutabilis manet; mutatio autem solum reperitur ex parte termini, seu effectus, qui iuxta aeternum et immutabile decretum divinum statuto tempore producitur. Ideo a nonnullis missio definitur: unius personae divinae ab alia processio, adiunctum habens effectum aliquem temporalem. Hoc idem innuit *S. Thomas* (1) dicens: « Missio includit processionem aeternam, et aliquid addit, scilicet temporalem effectum. »

3. In Divinis existere personarum missionem ipsa S. Scriptura testatur. Filius enim dicitur missus a Patre: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (2); Christus ipse ait: *Misit me vivens Pater* (3); *Solus non sum; sed ego, et qui misit me Pater* (4); *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum* (5). Legitur: *Ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum, factum ex muliere* (6) - quibus verbis incarnatio intelligitur, in tempore facta. - Etiam Spiritus sanctus mitti dicitur, et quidem a Patre et a Filio. - Legitur: *Misit Deus* (Pater) *Spiritum Filii sui in corda vestra* (7). Christus ait: *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo* (8); *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis* (9); *Si autem abiero, mittam eum (Spiritum sanctum) ad vos* (10).

4. Quia in missione declarata semper occurrit persona, quae mittit, et persona, quae mittitur, ideo a Theologis etiam *missio activa*, et *passiva* distinguitur; haec convenit personae productae, illa personae producenti. Pater ergo mittit quidem, sed non mittitur, quia non procedit: id docet *S. Augustinus* (11): «Solus, ait, Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem, a quo genitus sit, vel a quo procedat... Non enim splendor, aut fervor ignem, sed ignis mittit sive splendorem, sive fervorem.» Quamvis autem Pater non mittatur, venit tamen, et se communicat animae cum aliis iuxta dictum

(1) 1, q. 43, a. 2 ad 3. (2) Io. 3, 17. (3) Io. 6, 58. (4) Io. 8, 16. (5) Io. 10, 36. (6) Gal. 4, 4.

(7) Gal. 4, 6. (8) Io. 14, 26. (9) Io. 15, 26. (10) Io. 16, 7. (11) L. c. serm. Arian. c. 4

Christi: *Si quis diligit me... Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (1). Ob hanc vero sui communicationem et inhabitationem in anima Pater non dicitur missus, quia a nullo mittitur, sicut a nullo procedit: « Pater, ait *S. Augustinus* (2), cum ex tempore a quoquam cognoscitur, non dicitur missus; non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat. » Filius mittitur a Patre, a quo generatur, et mittit Spiritum sanctum qui ab ipso procedit. Spiritus sanctus autem non mittit, sed mittitur a Patre et Filio. Equidem Luc. IV, 18 Christo applicatur illud Isaiae LXI, 1, *Spiritus Domini super me... evangelizare pauperibus misit me;* et Is. XLVIII, 16 Messias ait: *Dominus Deus misit me, et Spiritus eius*, quem locum citat Concilium Toletanum XI, ut ostendat, Filium non solum a Patre, sed et a Spiritu sancto missum esse. Sed hisce in locis sermo est de Filio Dei incarnato, qui ideo a Spiritu sancto missus dicitur ut homo est, non ut Deus est: Incarnatio enim Filii Dei totius Trinitatis opus est. Ideo *S. Fulgentius* (3) scribit: « Quia non uno modo in Scripturis sanctis dicitur missio, propterea in Sacramento Incarnationis non solum a Patre, verum etiam a Spiritu sancto missus est Filius, quia mediator Dei et hominum homo Christus Iesus totius est Trinitatis operatione plasmatus. » Quamvis enim solum secunda persona carnem assumpserit, tamen in hoc magno pietatis mysterio *inseparabilis non solum voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur*, ut loquitur Concilium Toletanum supra citatum. Caeterum *S. Thomas* etiam explicat, qua ratione persona divina dicatur missa ab alia, a qua non procedit; ait enim (4): « Cum dicitur aliqua persona mitti, designatur et ipsa persona ab alio existens, et effectus visibilis, aut invisibilis, secundum quem missio divinae personae attenditur. Si igitur mittens designetur ut principium personae, quae mittitur, sic non quaelibet persona mittit, sed solum illa, cui convenit esse principium illius personae; et sic Filius mittitur tantum a Patre, Spiritus sanctus autem a Patre et Filio. Si vero persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam. »

5. Missio ratione modi, quo perficitur, duplex est, *visibilis* nempe, et *invisibilis*. Missio visibilis est ea, quae fit in specie sensibili; talis fuit missio Filii in carne assumpta; et Spiritus sancti in specie columbae super Christum, et in specie linguarum ignearum super Apostolos. - Missio invisibilis est ea, quae fit sine specie sensibili interius sanctificando animas, vel formaliter per gratiam habitualem, vel efficienter per gratiam excitantem, qua Deus sibi vult praeparare templum, in quo habitet iuxta illud: *Ego sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et caenabo cum illo* (5). In hac invisibili missione temporalis effectus, quem illa adiunctum habet, semper pertinet ad ordinem gratiae interioris, quam Theologi gratiam gratum facientem vocant. Id *S. Thomas* tum auctoritate S. Augustini, tum ratione theologica probat. Notatu digna sunt illius verba (6); ait: « *S. Augustinus* (7) dicit, quod Spiritus sanctus procedit temporaliter ad sanctificandam crea-

(1) Io. 14, 23. (2) L. 2 de Trin. c. 5.
(3) L. 8 c. Fabian. (4) 1, q. 43, a. 8
(5) Apoc. 3, 20. (6) 1, q. 43, a. 3.
(7) L. 3 de Trin. c. 4.

turam. Missio autem est temporalis processio. Cum igitur sanctificatio creaturae non sit nisi per gratiam gratum facientem, sequitur, quod missio invisibilis divinae personae non sit nisi per gratiam gratum facientem. — Nam divinae personae convenit mitti, secundum quod novo modo consistit in aliquo; dari autem, secundum quod habetur ab aliquo; neutrum autem horum est, nisi secundum gratiam gratum facientem. Est enim communis modus, quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam et praesentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius. Super istum modum autem communem est unus specialis, qui convenit naturae rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente, et amatum in amante. Et quia cognoscendo et amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam inhabitare in ea, sicut in templo suo. Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio, quod divina persona sit novo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientem mittitur, et procedit temporaliter persona divina. - Similiter illud solum habere dicimus, quo libere possumus uti, vel frui. Habere autem potestatem fruendi divina persona est solum secundum gratiam gratum facientem. »

CAPUT IV.

DE MYSTERII TRINITATIS RELATIONE AD RATIONEM HUMANAM

§ 113. In Theologia generali (§ 296, etc.) ostensum fuit, rationi humanae in Religionis ac Revelationis negotio iura et officia quaedam competere, quae autem certis limitibus circumscribenda sunt. In Religione enim revelata etiam tales veritates continentur, quae a ratione humana quoad intrinserum nexum perspici nequeunt, et quae ideo *mysteria* vocantur. Hasce veritates, de quibus sola Dei revelantis auctoritas nos certos reddit, ratio humana neque ex suis principiis evidenter probare, neque ita explicare valet, ut omni ex parte perfecte comprehendantur; ipsi tamen officium incumbit, istas veritates contra adversariorum argutias defendendi, atque ostendendi, nihil in doctrina revelata occurrere, quod impossibile, absurdum, aut contradictorium monstrari possit. Inter huiusce generis veritates praecipuum locum obtinet doctrina de Deo uno in essentia, et trino in personis; in illa enim summum Trinitatis mysterium nobis credendum proponitur. Relatio autem huius mysterii ad rationem humanam duplici propositione enuntiatur dicendo: doctrina revelata de Trinitate 1) *est supra rationem*, sed 2) *non est contra rationem*. Utraque propositio probanda est.

I. *Doctrina revelata de Trinitate est supra rationem.*

§ 114. Doctrina revelata de Trinitate talis est, ut a sola ratione nec cognosci, nec probari, imo etiam post factam Revelationem haud perfecte comprehendi possit.

PROB. 1° *ex S. Scriptura*. Ad cognoscendum Trinitatis mysterium necesse est, ut Pater et Filius cognoscantur; sed istae personae absque Revelatione cognosci nequeunt, dicente Christo: *Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (1). Idem innuit dictum: *Deum*

(1) Matth. 11, 27.

nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit (1), quasi diceret: essentiam divinam, quae est Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, nemo perspexit, sed Filius Dei, qui carnem assumpsit, et inter nos habitavit, eam manifestavit. Praeterea ad cognoscendum Trinitatis mysterium opus est, ut secundae personae generatio perspiciatur; sed hanc a nobis perfecte perspici et explicari non posse, testis est Isaias LIII, 8 dicens: *Generationem eius quis enarrabit?* - Sicut ergo generatio secundae personae, ita et totum Trinitatis mysterium a ratione humana perfecte comprehendi et explicari non potest. Ideo ipse Christus fidem, quam Petrus de ipsius divinitate professus erat, non humanae intelligentiae viribus, sed Revelationi supernae adscripsit, dicens: *Beatus es, Simon Barlona, quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est* (2). Idem confirmatur ex iis S. Scripturae testimoniis, quae generatim ostendunt, altiora esse Religionis christianae mysteria, quam ut naturae lumine attingi unquam possint. Et sane Paulus de Evangelio, quod praedicavit, dicit: *Sapientiam loquimur inter perfectos; sapientiam vero non huius saeculi... sed Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est* (3); et: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (4). Certum ergo est, in doctrina a Christo revelata veri nominis mysteria contineri (Cf. Th. gen. § 59). Ast - si quod est in tota Christi Religione mysterium profundum et inscrutabile, hoc sibi maxime vindicat SS. Trinitas; et ideo ad hanc praecipue referenda sunt S. Scripturae monita: *Sapientia* (Dei) *ubi invenitur? et quis est locus intelligentiae? Abscondita est ab oculis omnium viventium* (5); *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria* (6); *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris* (7).

Prob. 2° *ex Ss. Patribus*, qui passim fatentur, summum Trinitatis mysterium perfecte comprehendi et explicari non posse. *S. Athanasius* (8) ita Arianos alloquitur: « O stulti, atque ad omnia audaces et praecipites! Quare non potius SS. Trinitatem curiose scrutari desinitis? eamque esse duntaxat creditis, magistrum Apostolum hac in re imitati, cuius haec sunt verba; credere enim oportet primum Deo, quia est? » — *S. Hilarius* (9) scribit: « Non relictus est hominum eloquiis de Dei rebus alius quam Dei sermo; omnia reliqua et arcta, et conclusa, et impedita sunt, et obscura: » et (10) « in simplicitate fides est. » *S. Ambrosius* (11) inquit: « Impossibile est, generationis (Verbi divini) scire secretum; mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed et Angelorum; supra Potestates, supra Angelos, supra Cherubim, supra Seraphim, supra omnem sensum est. » *S. Augustinus* (12), de Trinitate loquens, dicit: « Caeterum illud, quod est ineffabile, incomprehensibile est, nec verbis angelicis explicari potest, quanto magis humanis? » Et (13) scribit: « Quis disputandi modus, quaenam tandem vis intelligendi, atque potentia, quae vivacitas rationis, quae acies cogitationis ostendet, quomodo sit Trinitas? » *S. Fulgentius* (14) ait: « Sola immutabilis illa sempiternitas Trinitatis reperitur incomprehensibi-

(1) Ioannis 1, 18. (2) Matth. 16, 17.
(3) I Cor. 2, 6. (4) Hebr. 11, 1.
(5) Iob 28, 12, 21. (6) Prov. 25, 27.
(7) Eccli. 3, 22. (8) Ep. ad Serap.
(9) L. 7 de Trin. (10) L. 10.

(11) L. 1 de fide ad Grat. c. 10.
(12) L. de symbolo ad Catechumenos c. 9.
(13) L. 15 de Trin. c. 16, n. 9.
(14) L. 2 ad Trasimundum c. 1.

litatis digna miraculo; quae sic excedit omne, quod cogitare, vel sapere possumus, sicut superat omne, quod sumus. » *S. Bernardus* (1) haec habet: « Sacramentum hoc magnum est, et quidem venerandum, non scrutandum; quomodo pluralitas in unitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc temeritas est; credere pietas; nosse via et vita aeterna. » Huc spectant etiam Ss. Patrum loca, § 106, n. 1 citata; mysterium enim Trinitatis incomprehensibile dicendum est, si generatio Verbi perfecte intelligi et explicari non potest.

Prob. 3° *ex ratione Theologica*. Omnis demonstratio vel a priori fit, vel a posteriori; atqui nec a priori, nec a posteriori demonstrari potest mysterium Trinitatis. Nam in demonstratione a priori conclusio fit a causa ad effectum; sed SS. Trinitatis, quae est unus et verus Deus nulla est causa; Deus enim est Ens undequaque primum, nihilque Deo prius cogitare licet: quapropter demonstratio a priori in Deo locum non habet. — Demonstratio a posteriori fit concludendo ab effectibus ad causam; atqui etiam hac argumentatione non potest mysterium Trinitatis demonstrari, quia ad omnium effectuum existentiam probandam sufficit essentia divina omnipotens, sapientissima et benignissima. Hanc igitur ex consideratione creaturarum recte probamus, non autem distinctionem personarum. Nam, ait *S. Thomas* (2): « Virtus creativa Dei est communis toti Trinitati; unde pertinet ad unitatem essentiae, non ad distinctionem personarum. Per rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea, quae pertinent ad unitatem essentiae, non autem ea, quae pertinent ad distinctionem personarum. » — Imo ratio humana non solum mysterium Trinitatis per se cognoscere et demonstrare nequit, sed et post factam divinitus revelationem comprehendere haud valet. Essentia enim Dei infinita, et ideo incomprehensibilis est (§ 10); ipsa attributa divina, quae Deo inesse per rationem cognoscimus, intime perspicere et perfecte comprehendere non valemus, quia infinita sunt; quanto magis id dicendum est de iis, quae Deo inesse per solam rationem ne probare quidem valemus? Cum omnia in Deo infinita sint, etiam processiones, relationes et personas tales esse oportet, ut a mente finita comprehendi non possint. Recte ergo dicitur, mysterium SS. Trinitatis rationis humanae captum longe superare. *S. Thomas* (3) hisce addit: « Qui probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primo quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei, quae est ut sit de rebus invisibilibus, quae rationem humanam excedunt; unde Apostolus dicit (4), quod fides est de non apparentibus... Secundo quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quae non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim, quod huiusmodi rationibus innitamur, et propter eas credamus. Quae igitur fidei sunt, non sunt tentanda probare, nisi per auctoritates his, qui auctoritates suscipiunt. Apud alios vero sufficit defendere, non esse impossibile, quod praedicat fides. »

Nota 1. Extiterunt variis temporibus Theologi, qui nimium ingenio suo fidentes putarunt, excogitari posse nonnullas necessarias et evidentes rationes, quibus mysterii Trinitatis veritas demonstretur. *Petrus Abaëlardus*, vir dialecticis subtilitatibus

(1) L. 5 de Consid. c. 8 (2) 1, q. 32, a. 1.
(3) L. c. (4) Hebr. 11.

nimium deditus, Trinitatem philosophice explicare et probare tentavit; de ipso scribit *S. Bernardus* (1): « Ut Platonem faciat christianum, se probat ethnicum... Dum paratus est, de omnibus reddere rationem, etiam quae sunt supra rationem, et contra rationem praesumit, et contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere? et quid magis contra fidem, quam credere nolle, quidquid non possit ratione attingere? » - Idem fere sentire visus est *Richardus a S. Victore*, qui (2) dicit: « Credo sine dubitatione, quod ad quancunque explanationem veritatis non modo probabilia, imo etiam necessaria argumenta non desint; » sed *S. Thomas* (3) benigne Richardi mentem interpretatur, asserens, ipsum non per solam rationem Trinitatem demonstrare, sed, supposita Revelatione, eam explicare, et confirmare voluisse. — *Raymundus Lullus*, qui obiit anno 1314, in libro, *de demonstratione aequiparantiae*, sibi visus est tam clare ac evidenter demonstrasse mysterium Trinitatis, ut Gentilem et Mahumetanum quemlibet exposita argumenta convincere valeant, si eas semel animo penetrare voluerit. Raymundus non paucos admiratores habuit, qui eiusdem methodum in demonstrandis fidei dogmatibus amplexi sunt. Sed, teste *Gersonio*, methodus ac doctrina Lullii iudicio Facultatis Parisiensis e scholis eliminata fuit. *Gregorius XI* damnavit sequentem propositionem Lullianam: « Omnes articuli fidei, possunt probari, et probantur per rationes necessarias, demonstrativas et evidentes. » Item sub Paulo V a censoribus sequens proscripta est propositio: « Mysterium Trinitatis est demonstrabile per rationes naturales. » — Nihilominus nostris quoque temporibus nonnulli tentarunt, per rationes philosophicas, mysterium Trinitatis explanare et demonstrare, putantes, novissimam Philosophiam, quae *Schellingium* auctorem habet, ad id praestandum aptissimam esse (4).

Nota 2. Mysterium Trinitatis per solam rationem neque demonstrari, neque ita explicari posse, ut perfecte comprehendatur, clarius patebit si contrariae sententiae argumenta rite ponderentur, et insufficientia ostendantur.

Obj. I. Praestantissimi quidam Gentilium Philosophi sola ratione duce eo pervenerunt, ut in Deo Trinitatem agnoverint. Celebre est *Mercurii Trismegisti* effatum: « Monas genuit monadem, et in se suum reflexit ardorem. » In *Zoroastris* oraculis magicis haec verba leguntur: « In toto mundo resplendet Trinitas, cuius unitas est principium. » *Pythagoraei* numerum *Ternarium* sacrosanctum, et naturae mysterium existimaverunt, atque in Ternario Pythagorae omnia contineri *Aristoteles* adserit, et (5) ait: « Per hunc numerum (scilicet ternarium) adhibuimus nos ipsos magnificare Deum unum, eminentem proprietatibus eorum, quae sunt creata. » *Plato* divinam naturam distinguit in Patrem; mentem paternam, quam et Dei germen vocat, mundi opificem; et animam, qua cuncta contineantur. Saepe quoque in scriptis suis Verbum ideam per se subsistentem, filium Dei, filium boni, rerum productricem vocat, et (6) inquit: « Circa omnium Regem cuncta sunt, ipsius gratia omnia: ipse pulcrorum o-

(1) Ep. 190 ad Innoc. P.
(2) L. 1 de Trin. c. 4. (3) L. c. ad 2.
(4) Cf. Wiest. tom. 4 § 268, Dobmayr t. 5 § 94 etc.
(5) Lib. 1 de coelo text. 1.
(6) In Ep. ad Dionys.

mnium causa, circa secundum secunda, tertia circa tertium. » Ipse S. Augustinus (1) dicit: « Ibi (in libris Platonicorum) legi non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis, et multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Maior adhuc Trinitatis notitia invenitur in Platonicis iunioribus prout vocari solent, nempe *in Plotino*, *Porphyrio*, *Iamblico*, *Proclo* et *Chalcidio*, qui (2) ait: « Summus Deus iubet, secundus ordinat, tertius intimat etc. » Accedit, quod etiam inter antiquos populos, quibus lux Revelationis non affulsit, quaedam Trinitatis notitia inventa fuerit. Sic *Indi* coluerunt effigiem cui inscriptum erat: « qui in tribus unus, et in uno trinus. » *Peruviani* quoque trinum adorarunt Deum, et in quodam sacello effigiem posuerunt, quam unam in Trinitate, et trinam in Unitate esse dicebant. Et sicut *Romani* tres supremos totius Universi Deos coluerunt, nempe Iovem, Neptunum et Plutonem, ita etiam de variis aliis populis constat, quod tres Deos caeteris idolis praestantiores coluerint. Talia vestigia Trinitatis apud Ethnicos inveniri erudite ostenderunt *Dan. Huetius* (3), et *Comes de Stolberg* (4) et alii. Ergo non solum per Revelationem, sed etiam per rationem mysterium Trinitatis agnosci potest.

Resp. Allata monumenta nullatenus probant, mysterium Trinitatis ex sola ratione cognosci posse. Nam: *a*) illa, ut multi volunt, nequaquam sufficientia sunt, ut ostendant, Philosophos genuinam de Trinitate notitiam habuisse. Dictum Trismegisti, ut vult S. Thomas (5); « Non est referendum ad generationem Filii, vel processionem Spiritus sancti, sed ad productionem mundi, nam unus Deus produxit unum mundum propter sui ipsius amorem. » Imo scripta Trismegisti supposititia esse, cum aliis criticis contendit *Huetius* (6). Idem dicendum est de oraculis magicis Zoroastris. Numerus ternarius a Pythagora ut sacer, et mysticus habebatur, quia insinuat initium, medium et finem. Unde etiam effatum Aristotelis, ut loquitur *S. Thomas* (7), « Non sic est intelligendum, quod ipse poneret ternarium numerum in divinis; sed vult dicere, quod antiqui utebantur ternario numero in sacrificiis et orationibus propter quamdam ternarii numeri perfectionem. » *Plato* obscuro dicendi genere usus est ita, ut vix certi quid inde colligi queat. Doctissimus Cardinalis *Bessarion*, de Trinitate Platonica et Aristotelica disserens, monuit, ea, quae in scriptis a Religione christiana alienis de Trinitate adferuntur, a dogmate catholico non parum remota esse, et longe aliorsum spectare. « In libris Platonicorum, ait *S. Thomas* (8), invenitur: *In principio erat Verbum*, non secundum quod per Verbum intelligitur persona genita in divinis, sed secundum quod per Verbum intelligitur ratio idealis, per quam Deus omnia condidit, quae Filio appropriatur. » Nullatenus ergo dici potest, Philosophos genuinam de personarum divinarum Trinitate notitiam habuisse: quapropter Apostolus dicit: *Loquimur Dei sapientiam... quam nemo principum huius saeculi* (9), i. e. (iuxta *S. Hieronymum*, et *S. Thomam* nemo Philosophorum) *cognovit*. — *b*) Alii vero contendunt

(1) L. 7 Conf. c. 9
(2) In Comment. in Tim. Plat.
(3) Quaest. Alnetan. l. 2 c. 3
(4) Geschicte 1. B. S. Beil. (5) L. c. ad 1.
(6) L. c. (7) L. c. (8) L. c.
(9) 1 Cor. 2, 7-8.

monumenta allata aliaque permulta talia esse, ut negari non possit, vestigia de fide in Deum unum et trinum, tum apud Philosophos, tum apud profanas gentes inveniri. Haec autem Trinitatis notitia non ex ratione, sed ex Revelatione sive scripta, sive oretenus tradita, repetenda est. Mysterium enim Trinitatis iam in S. Scriptura V. T. indigitatum, et clarius Patriarchis manifestatum fuit, qui acceptam divinitus notitiam ad posteros propagarunt, apud quos equidem pedetentim corrupta, sed non penitus extincta fuit. Ita tantum magna populorum hac in re consensio explicari potest. Constat porro antiquos Philosophos magna itinera instituisse, et etiam cum Hebraeis conversatos fuisse, unde non improbabilis coniectura est, illos multa ex S. Litteris hausisse, sive dein eas legerent, sive cum doctissimis Iudaeorum colloquendo, quid continerent, addiscerent. Platonici iuniores, cum scripserint, postquam lux Evangelii toti orbi illuxerat, ex scriptis Apostolorum, et Evangelistarum hauserunt, quae rectius et apertius de divinitate disseruerunt. Non ergo solius rationis sagacitati, sed potius luci Revelationis ea adscribenda sunt, quae de Deo praeclare scripta in Philosophorum libris inveniuntur, uti iam observarunt *Eusebius* (1), *Iustinus* M. (2), *Augustinus* (3), *Cyrillus Alex.* (4).

Obi. II. Sola ratio perspicit Deum seipsum necessario cognoscere et amare, atque ideo producere Verbum seu imaginem sibi coaequalem et consubstantialem, et spirare amorem perfectissimum et infinitum: cognitis tali modo tribus personis, etiam declaratur, cur processio secundae personae dicatur generatio, non item tertiae, et cur nonnisi duae processiones in Deo dari queant: ergo sola ratio ad rectam Trinitatis cognitionem perducit.

Resp. a) Huic obiectioni iure opponitur auctoritas Ss. Patrum, S. Thomae et aliorum Theologorum, qui licet praefatam explicationem adoptaverint, nihilominus candide fassi sunt, mysterium Trinitatis per solam rationem nec demonstrari, nec comprehendi posse. *b)* Aliud profecto est, veritatem quamdam per solam rationem detegere et demonstrare, et aliud est, veritatem, iam aliunde notam et certam, aliquo modo explicare et captui humano accommodare; nam, ait Cel. *Ludovicus de Vives:* « Adhibitis rebus luce facile est, et quid, quaeque res sit, et cuiusmodi sit dicere, et pro iis, quae dixeris, argumenta congerere. » Ipse *S. Thomas* (5), eandem distinctionem proponens, ait: « Primo modo potest induci ratio ad probandum Deum esse unum, et similia; sed secundo modo se habet ratio, quae inducitur ad manifestationem Trinitatis, quia scilicet, trinitate posita, congruunt huiusmodi rationes, non tamen ita, quod per has rationes sufficienter probetur Trinitas personarum. » *c)* Quamvis per rationem cognoscamus Deum necessario seipsum cognoscere et amare; attamen ratio sibi relicta nunquam ad id pervenire potuisset, ut cognosceret, per cognitionem et amorem in Deo personas constitui, realiter ab invicem distinctas, et has etiam post factam Revelationem perfecte non comprehendimus. Explicatio enim praefata ex analogia mentis humanae deducitur, quia in nobis esse, intelligere et velle distinguimus; sed ait

(1) L. 11 praep. ev. c. 10. (2) Apol. 2.
(3) L. 18 de Civ. D. c. 27.
(4) L. 1 et 2 c. Iulian.
(5) I. c. ad 2

S. *Thomas* (1), « Similitudo intellectus nostri non sufficienter probat aliquid de Deo propter hoc, quod intellectus non univoce invenitur iu Deo, et in nobis. Et inde est, quod *Augustinus* (2) dicit, quod per fidem venitur ad cognitionem, et non e converso. »

Obj. III. *Richardus a S. Victore* ex sola ratione pluralitatem personarum in Deo probavit; ait enim (3): « Ubi totius bonitatis plenitudo est, vera et summa charitas deesse non potest; nihil enim charitate melius, nihil charitate perfectius. Nullus autem pro privato et proprio sui ipsius amore dicitur proprie charitatem habere; oportet itaque, ut amor in alterum tendat, ut charitas esse queat. Ubi ergo pluralitas personarum deest, charitas omnino esse non potest. Sed dicis fortassis: si sola una persona in vera illa divinitate esset, nihilominus tamen erga creaturam charitatem quidem et habere posset, imo et haberet; — sed summam certe charitatem erga creatam personam habere non posset; inordinata enim charitas esset: est autem impossibile in illa summae sapientiae plenitudine charitatem inordinatam esse... Ut ergo in illa vera divinitate plenitudo charitatis possit locum habere, oportuit, aliquam divinam personam personae condignae, et eo ipso divino consortio non carere. Vide ergo, quam de facili ratio convincit, quod in vera divinitate pluralitas personarum deesse non possit. » Idem aliud argumentum petit ex eo, quia sine pluralitate personarum etiam summa felicitas in Deo cogitari non posset. Nam, ait deinde (4), « Non potest esse amor iucundus, si non sit et mutuus. In illa ergo vera et summa felicitate sicut nec amor iucundus, sic nec amor mutuus potest deesse. In amore autem mutuo oportet omnino ut sit et qui amorem impendat, et qui amorem rependat: » ergo ratio ipsa probare potest, plures in Deo personas dari: has vero tres esse, conatur Richardus ostendere (5). Cl. *Staudenmayr* (6) subtiles Richardi argumentationes citat, ad « trinitariam divinitatis vitam » explicandam applicat, et (7) observat, non admissa personarum trinitate Pantheismum induci, quia Deus, si se non cognoscit, vult et amat in persona divina, necessario se scit, cognoscit, evolvit, amat et vivit in entibus finitis.

Resp. a) Iuxta sententiam S. Thomae, Richardus non putavit solam rationem ad Trinitatis cognitionem pertingere posse, sed supposita Revelatione ostendere voluit, doctrinam de Trinitate, etiam principiis rationis congruam esse. Et certe Richardus, nisi per Revelationem mysterium Trinitatis iam cognovisset, ad construendas subtiles suas argumentationes non pervenisset. b) Neque istae satis solidae dici possunt, cum in ipsis Deus cum homine confundi videatur. Homo enim finitus, et obligationibus erga sibi aequales, aut se superiores subditus, seipsum unice, aut nimium amans, et omnia ad se trahens, recte amorem proprium inordinatum, et non veram charitatem habere dicitur: ast id dici neutiquam potest de Deo infinito ac nulli obligationi subiecto; hic enim, dum infinitam suam essentiam infinite diligit, hoc ipso ordinatissimum amorem et perfectissimam charitatem habet. Absonum est etiam dicere, Deum, dum creaturas vult et diligit, aut non summam, aut inordinatam charitatem

(1) L. c. (2) Tr. 27 in Ioan.
(3) L. 3 de Trin. c. 2. (4) Ibidem c. 3.
(5) L. 3 de Trin. c. 14
(6) T. 2 § 3°. (7) Ib. n. 5.

habere; nam sicut omnipotentia, ita et charitas, seu bonitas divina in se infinita est, quamvis eius effectus in creaturis finiti sint. Ideo *S. Thomas* (1) dicit: « Bonitas infinita Dei manifestatur etiam in productione creaturae, quia infinitae virtutis est, ex nihilo producere. Non enim oportet, si infinita bonitate se communicat, quod aliquid infinitum a Deo procedat, sed secundum modum suum recipiat divinam bonitatem. » Etiam in altera argumentatione confunditur divina felicitas, quae in se infinita est cum felicitate humana, quae per communicationem augetur: ideo *S. Thomas* addit: « Similiter etiam quod dicitur, quod sine consortio non potest esse iucunda possessio alicuius boni, locum habet quando in una persona non invenitur perfecta bonitas: unde indiget ad plenam iucunditatis bonitatem bono alicuius alterius consociati sibi: » in Deo autem id locum habere nequit. *c*) Richardus equidem probare tentat, « quod communicatio amoris non potest esse minus, quam in tribus personis, » sed sufficientia argumenta ex sola ratione petita non exhibet. Neque ex ipsius elucubrationibus elucet cur secunda persona genita, et tertia a prima et secunda procedens sit. Hoc discrimen etiam vix concipi potest, si vita Trinitatis ita declaratur, ut tres personae sicut cognitionem, voluntatem et amorem, ita et essentiam aequaliter sibi communicare videantur. *d*) Ex ignorata Trinitate haud necessario Pantheismum induci, patet ex eo, quia Iudaei et nonnulli Philosophi ethnici mysterium Trinitatis ignorantes, unum tamen Deum agnoverunt quin Pantheismi labe inficerentur. Hic tunc tantum inducendus esset, si admitteretur, quod charitas seu bonitas Dei necessario se ad extra diffundere deberet: hoc autem principium falsum esse ex iis patet, quae § 41 et § 50 dicta sunt; cum enim Deus infinitus sit, etiam sibi sufficientissimus est, et cum sit ens primum, nulla prior causa, aut ratio cogitari potest, ob quam aliquid extra se efficere debeat.

Obi. IV. *Raymundus Lullus* sequenti argumento demonstrat Trinitatem: Deus est actus perfectissimus; sed in actu perfectissimo est concordia; ubi vero est concordia, ibi est pluralitas: scilicet est concordia bonificativi, nempe Patris, cum bonificabili, nempe Filio, et cum actu bonificandi, seu ipso bonificare, nempe Spiritu sancto: ergo in Deo sunt tres personae.

Resp. a) Argumentatio Lullii, barbaris et inusitatis terminis concepta ita obscura est, ut demonstrationis nomen non mereatur. *Cl. Liebermann* eam mente revolvens haud immerito exclamat: « Miseros nos, qui in tanta luce nihil videmus » (2)! *b*) Deum actum purissimum et perfectissimum esse, ratio demonstrat; sed actum illum intra se veros, et distinctos, et subsistentes producere terminos, sola fides docet, non humana ratio: neque illud Lullus probat. Quod enim de concordia asserit, plane futile videtur: de omni quippe divino attributo id dici merito potest: consentiunt enim omnia inter se, et concordant, an ideo productiva sunt quorundam terminorum? vel an ideo sunt plura *realiter* inter se distincta? *c*) Ex Lullii demonstratione sequeretur, Spiritum sanctum a Filio non procedere, quia actus bonificandi non est a bonificabili. Et praeterea, admissa Lullii distinctione, etiam in Deo distingui eodem iure possent generativum, generabile et generare, imo et spirativum, spirabile et spirare: et sic

(1) L. c. (2) De Trin. c. 1 § 1 obs. 2.

in Deo plures essent admittendae personae, quam tres. Perperam ergo gloriatur Lullus, se sole clarius ex ratione demonstrasse Trinitatem.

Obi. V. *S. Bonaventura* ex ratione Trinitatem demonstravit, innixus certissimo principio, quo Deus dicitur, et vere est Ens perfectissimum, quo nihil melius cogitari potest. Hoc posito in *Itinerario mentis in Deum* (1), ita argumentatur: « Bonum dicitur diffusivum sui. Summum igitur bonum summe diffusivum est sui. Summa autem diffusio non potest esse, nisi sit *actualis* (quae melior est, quam quae solum posset fieri); *intrinseca* diffusio enim exterior ad creaturas est respective modica); *substantialis* (quae melior est, quam accidentalis); *hypostatica* (quae plus est, quam non personalis); *naturalis et voluntaria* (quae melior est, quam libera et coacta); *liberalis et necessaria* (quae praestantior est, quam limitata et contingens); *indeficiens et perfecta* (quae melior est quam ea, quae finitur, aut si non finiretur maneret imperfecta). Nisi igitur in summo bono aeternaliter esset productio actualis, et consubstantialis, et hypostaticalis, aeque nobilis, sicut est producens, per modum generationis et spirationis, ita quod sit aeternalis principii aeternaliter comprincipiantis, ita quod esset dilectus et condilectus, genitus scilicet et spiratus, hoc est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, nequaquam esset summum bonum, quia non summe se diffunderet. » Huic demonstrationi addi potest alia *Alexandri Halensis*, qui clarius exponit, cur duae sint in Deo processiones et personae tres; ait enim (2): « Duo sunt principia diffusionis in rebus, natura et voluntas. Perfectissima autem diffusio naturae est illa, quae est per generationem. Perfectissima diffusio voluntatis est illa, quae est per amorem, sive per dilectionem. Et haec est laus bonitatis in rebus. Magis autem laudabile est bonum, quod diffundit se in utrumque modum, quam quod diffundit se in alterum tantum. Si ergo, quod est laudabile et perfectum, non potest deesse in summo bono; est igitur in summo bono, quod est Deus: atque ideo erit in ipso diffusio generationis, quam consequitur differentia gignentis et geniti, Patris et Filii, et erit ibi diffusio per modum dilectionis, quam dicimus processionem Spiritus sancti. » Sic ergo totum Trinitatis mysterium ex ratione demonstratur.

Resp. a) Ipse *S. Bonaventura* (3) probat, mysterium Trinitatis per solam rationem non posse cognosci: certe igitur ipsius mens non fuit, seclusa revelatione, per solam rationem Trinitatem demonstrare. *b)* Tota demonstratio deducitur ex notione bonitatis, cui convenit se diffundere: ideo S. Doctor ait: « Bonum est diffusivum sui: summum igitur bonum summe diffusivum est sui. » Ast non licet bonitatem divinam, quae independens est, confundere cum bonitate humana, quae in omnibus dependet; haec enim in bonum, quod ipsi proponitur, fertur, motivis ac legibus regitur, et ideo per excessum, vel per defectum peccare potest. Aliter autem concipienda est bonitas divina (§ 50); Deus enim nihil vult, quia bonum est, sed omnia bona fiunt, quia Deus vult. Erramus ergo si a priori bonitatem divinam determinare satagimus, dicendo: Deus hoc, vel illud dare, sic, vel alio modo, se diffundere debet, etc. Et si humana ratio non potest a priori probare et determinare diffusionem Dei ad extra,

(1) C. 6. (2) In tract. de proc. Sp. S

(3) In lib. 3 sent. P. 1, art. 1, q. 4.

multo minus id valebit circa diffusionem ad intra; quia, cum diffusio bonitatis semper erga alium fiat, personae iam cognosci deberent, ut qualis erga illas bonitatis divinae diffusio esse debeat, determinari queat. *c*) Ipse S. Bonaventura hoc probe perspexit, quapropter etiam confessus est, se *supposita Revelatione* demonstrationem suam proposuisse: si enim per fidem cognoscitur, in ipso Deo processiones dari, tunc aliquo modo per rationem ostendi potest, quomodo in summo bono talis diffusio, productio, seu processio comparata esse debeat. Nullatenus autem seraphicus Doctor putavit, Trinitatem perfecte comprehendi posse; nam propositae suae demonstrationi statim monitum addidit: « Cum haec contemplaris, vide, ne te existimes comprehendere incomprehensibilem. »

Obi. VI. Cl. *Zimmer* probavit, tres personas in Deo cogitari non solum posse, sed etiam debere. Eum in finem primo naturam rationalem in vi tergemina intelligendi, volendi, et iuxta intellectiones et volitiones agendi ad extra consistere statuit, et personam esse modum, vel statum subsistendi naturae rationalis determinatum definit, addens: respectu morali personalitatem ex habilitate ad moralitatem, quae intellectionem simul et libertatem importet, esse aestimandam. Inde infert, *Deum natura unum* cogitari posse et debere praeditum infinito intellectu, infinita voluntate et infinita vi agendi ad extra, et in hac natura divina *tres subsistentiae modos*, vel status singulares inter se diversos discerni posse, nempe aspectu intellectuali primum modum, vel statum intelligendi, alterum volendi, et tertium agendi ad extra: aspectu autem morali primum modum, quo Deus legem moralem in se cognoscit et vult, alterum, quo eam a creaturis servandam cognoscit et vult; tertium, quo creaturas rationales ad legem moralem servandam actu producit. Addit deinde, tres istos modos vel status esse *tres personas* intellectuales, vel morales inter se et a se tum conceptu, tum origine diversas, earumque primam recte vocari *Patrem*, quia a se, et reliquarum principium sit: alteram recte vocari *Filium*, quia immediate a solo Patre, eique perfectissime similis sit: tertiam recte vocari *Spiritum sanctum* a Patre et Filio procedentem, quia vis agendi ad extra ab intellectione et volitione sit, et sanctitatem spiret, sicut a sanctitate spiratur. Concludit denique, in uno Deo, prout in conscientia communi comparet tres illas personas functione logica detegi, easque aspectu, tum intellectuali, tum morali cogitari posse et debere, eo quod si una earum tollatur, tota Dei idea evertatur (1).

Resp. a) Cl. *Dobmayr* observat, hanc expositionem, multa subtilitate propositam, distinctionem personarum non satis explicare; nec cum Scriptura, quae Patri creationem, Filio redemptionem, et Spiritui sancto sanctificationem tribuit, omnino consentire, nec ex analogia mentis humanae illustrari posse. — *b*) Sed et alia sunt, quae huic expositioni merito opponuntur. Nam infinita vis agendi ad extra non est nisi omnipotentia divina: haec autem ab infinito intellectu et ab infinita voluntate realiter non distinguitur, cum tamen Spiritus sanctus a Patre et Filio realiter distinguatur. Accedit, quod iuxta doctrinam catholicam aequaliter dicatur omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus. Denique cum in Deo vis, seu poten-

(1) V. Dobmayr l. 5, § 99, l. c.

tia quiescens, quae ad actum transeat, non detur, sed voluntas divina in actu consistat (§ 37), sequitur quod infinita vis agendi ad extra non sit nisi ipsa efficacissima Dei voluntas, quae entia extra se existentia producit (§ 42): haec autem voluntas liberrima est, et SS. Trinitas etiam sine operationibus ad extra a nobis concipi posset: sed processio Spiritus sancti sicut ipsa essentia divina, necessaria est dicenda. Si ergo eodem modo vis agendi ad extra et quod sequitur, ipsa operatio ad extra necessaria dicitur, exinde inferri posset, mundum necessarium esse, et quodammodo ad essentiam divinam spectare, et sic Pantheismo ianua aperiretur (1).

II. *Doctrina revelata de Trinitate non est contra rationem.*

§ 115. Maximum sane discrimen est inter ea, quae rationis captum superant, et ea, quae certis rationis principiis penitus repugnant. Etiam in rebus naturalibus non pauca dantur, quorum intrinsecum nexum perfecte non perspicimus, et quae tamen vera esse cognoscimus. Ipsum commercium animae nostrae cum corpore non comprehendimus: quisnam autem sanae mentis illud contra rationem esse, ac propterea reiiciendum atque negandum dicet? — Eodem modo doctrina revelata de Trinitate, quamvis rationis captum superet, nullatenus tamen est contra rationem, seu certis rationis principiis nullatenus repugnat. Haec iam propositio probanda, et contra adversarios vindicanda est.

Prob. 1° Dum dicimus, doctrinam revelatam de Trinitate non esse contra rationem, nos versamur in propositione negativa; negamus enim in doctrina revelata talia inveniri, quae aut inter se, aut cum certis rationis principiis pugnent. Non ergo ad nos, sed ad adversarios probatio spectat, et pleno iure omnem contradictionem negamus, donec hanc adversarii evicerint. Nemo autem hactenus vel Infidelium, vel Socinianorum, vel Rationalistarum hanc contradictionem evicit, uti ex solutione obiectionum patebit: pleno iure ergo omnem contradictionem negamus, atque asserimus, doctrinam revelatam de Trinitate non esse contra rationem.

Prob. 2° Contradictio in doctrina revelata de Trinitate demonstrari nequaquam potest. Nam ut vera contradictio, seu repugnantia demonstretur, ostendi debent duae ideae clarae, quae evidenter sese invicem excludant, prout, ex. gr., se invicem excludunt, ideae circuli et quadrati. Atqui tales duae ideae clarae et sibi invicem evidenter repugnantes in mysterio Trinitatis ostendi non possunt. Hoc enim mysterium enuntiatur sequenti propositione: Deus unus in essentia est trinus in personis; et de his dicitur, quod secunda persona procedat a prima per generationem, et tertia a prima et secunda per spirationem. Ast neque de divina essentia, quae infinita et simplicissima est, neque de personis divinis, neque de earundem processionibus claram, adaequatam et perfectam cognitionem habemus, et ideo non possunt duae ideae clarae, quae sese invicem excludant, ex doctrina revelata de Trinitate ostendi. Frustra ergo laborant adversarii, dum contradictiones demonstrare tentant, quia ipsi iudicium ferre non possunt nisi de iis, quae subsunt naturali rationi; ast dogma SS. Trinitatis est supra naturalem rationem; ergo impossibile unitariis est ostendere, mysterium SS. Trinitatis

(1) Cf. Dieringer § 21

Digitized by Google

rectae rationi aliquo modo adversari.


PROB. 3° Doctrina catholica de Trinitatis mysterio a Deo revelata est, uti ex dictis constat. Sed ea quae Deus revelavit, neque inter se pugnare, neque rectae rationi contraria esse possunt, quia Deus tum rationis, tum Revelationis auctor est, unde in utroque casu contradictio in Deum ipsum refunderetur, quam in Ente simplicissimo et perfectissimo, in summa et infallibili Veritate inveniri, absolute impossibile est. Sicut ergo certissime nobis constat, mysterium Trinitatis divinitus revelatum esse, ita plena quoque certitudine dicere possumus, mysterium Trinitatis cum recta ratione nullatenus pugnare, innixi auctoritati Dei revelantis, qui nec falli, nec fallere potest.

PROB. 4° In Ecclesia catholica iam per octodecim saecula viri ingenio, doctrina et pietate praestantissimi extiterunt, qui doctrinam revelatam de Trinitate non solum firmiter crediderunt et professi sunt, sed etiam illius veritatem solide probarunt, et contra adversarios acerrime defenderunt, quamvis optime novissent, doctrinam, quae contradictoria est, seu rectae rationi evidenter repugnat, ut divinitus revelatam habendam non esse. Certe ergo iidem in doctrina revelata, quam omni ex parte diligentissime perscrutati sunt, nullam contradictionem, aut repugnantiam invenerunt. Igitur ne quis summa temeritate et stupiditate dicat, tot viros doctrina et pietate celeberrimos aut deceptos fuisse, aut fallere voluisse, necesse est, ut fateatur, doctrinam revelatam de Trinitate nullam in se contradictionem, aut repugnantiam continere.—Accedit, quod et inter Ethnicos maximi Philosophi extiterint qui vestigia Trinitatis, quae in Religione Iudaeis revelata detexerunt, non solum haud ut rationi rectae contraria reiecerint, sed et scriptis suis philosophicis inserere haud dubitaverint (§ praec. Not. 2, Obi. II). Imo etiam non defuerunt qui magno ingenii acumine ostendere conati sunt, doctrinam revelatam de Trinitate rectae rationis principiis maxime congruam esse. Quorum conamina, licet id praestare nequeant, ut mysterium Trinitatis comprehendatur, multum tamen ad hoc conferre possunt, ut ostendatur, doctrinam de Trinitate non esse contra rationem, et ut adversariorum obiectiones facilius refutentur. Huc inprimis referre oportet explicationem *S. Thomae* (§106), et ea quae § praec. N. 2, Obi. III, et V exhibentur. His adiungi potest argumentatio, quam profert Cl. *Billuart*, ut ostendat, doctrinam de Trinitate rationi congruam esse: ita (1) disserit: « Ens omnino infinitum, ut est Deus, debet importare omnem entitatem possibilem et excogitabilem, adeoque absolutum et relativum: relativum autem exigit correlativum a se distinctum, ad quod referatur; nihil enim refertur ad seipsum unde ista relativa, quia habent oppositionem relativam ad se invicem, inter se realiter distinguuntur: sed quia nullam habent oppositionem cum absoluto, realiter cum ipso identificantur. Porro oppositio relativa in divinis fundatur in origine, quae est duplex, una per intellectum, alia per voluntatem: unde tria sunt relativa, unum improductum et producens, duo producta: habemus ergo tria relativa realiter inter se distincta, et in uno absoluto identificata, et quia haec tria relativa in divinis non possunt esse accidentia, quia accidens imperfectionem involvit, sequitur, quod sint substantiae, et quidem personae, quia propter relationem et cor-

(1) In Diss. prooem. art. 4.

relationem sunt incommunicabiles.»

Prob. 5° Etiam exempla, seu similitudines adhiberi possunt, ut rudioribus quoque et simplicioribus hominibus ostendatur, in mysterio Trinitatis nullam contradictionem inveniri. Fides enim nobis proponit in una essentia divina tres personas credendas, quae per relationes inter se distinguuntur. Ast simile quid etiam in entibus creatis invenitur. — *a*) In eadem anima est memoria, intellectus et voluntas, et tamen una est: idcirco *S. Augustinus* (1) dicit: «Mens meminit sui, intelligit se, diligit se: hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei.» *b*) Aliam similitudinem petit *S. Augustinus ex aqua*, quae quoad substantiam una est, et tamen relative vario modo distinguitur; ait enim (2): «Fons, fluvius et potio sunt aqua, et tamen nihil horum est alterum.» *c*) Tertiam similitudinem profert idem S. Doctor a sole (3), scribens: «In sole tria sunt, et sicut videmus, separari non possunt, cursus, splendor et calor.» Huic affine est, quod (4) dicit de igne, «in quo sunt simul splendor, motus et calor.» *d*) Quarta similitudo petitur a grano frumenti, in quo licet unum sit, tria tamen iuxta diversas relationes recte distinguuntur; nam, ait *S. Basilius* (5): «Idem frumentum modo fructum vocamus, modo semen, ac rursus alimentum: fructum quidem tanquam finem antecedentis agricolturae; semen vero, tanquam futurae initium; alimentum porro, tanquam aptum ad incrementum comedentis corpori praestandum.» *e*) Quinta similitudo consistit in arbore, in qua distinguuntur truncus, rami, et folia, et tamen una est arbor. *f*) Sextam similitudinem petunt nonnulli ex puncto mathematico, quod ut simplicissimum habetur, et in quo tamen variae relationes distinguuntur: sic v. g. in figura



punctum idem *C* potest considerari ut initium lineae *CD*, ut medium lineae *AB*, et ut finis lineae *AC*; et tamen manet unum idemque punctum simplicissimum, quamvis tres in ipso relationes distinguantur. Observandum tamen est cum *S. Thoma* quod talia exempla plus dissimilitudinis, quam similitudinis habeant: si enim generatim quaelibet similitudo claudicat, quanto magis id dicendum est, si Ens infinitum cum finitis comparetur? — Sed tamen ad illustrandam doctrinam catholicam similitudines recte adhibentur, dummodo clare exponantur, discrimina inter Ens infinitum et entia finita attendantur, et comparatio non ex omni parte urgeatur, sed solum ad consentaneum finem dirigatur.

Nota. Increduli, et praesertim Sociniani et Rationalistae, eo nervos omnes intendunt, ut evincant, Trinitatis dogma repugnantiam involvere, ideoque rectae rationi adversari. Captiosa istorum sophismata, per quae imperiti falli et seduci possent, hic iam confutare oportet.

Obi. I. Mysterium Trinitatis, ait *Bayle*, fatentibus ipsis Catholicis, rationis captum superat; ratio ergo, illud comprehendere et diiudicare haud valens, nunquam certo cognoscere potest, an suis principiis repugnet, an non, et ideo semper saltem dubium manet, an mysterium Trinitatis sit contra rationem, vel non.

(1) L. 14 de Trin. c. 8.
(2) Serm. 38 de verb. Ap. c. 7.
(3) Serm. 1 de verb. Ap. c. 3.
(4) L. de fid. et oper. c. 9.
(5) L. 1 c. Eunom.

Resp. Si ratio ex suis principiis et intrinsecis argumentis probare nequit, in Mysterio Trinitatis, quod non comprehendit, nullam contradictionem, aut repugnantiam dari; attamen, supposita Revelatione divina, de hoc certum iudicium ferre potest et debet, quoniam ratio ipsa dictat, Deum infallibilem Veritatem esse, et sibi contradicere non posse. — Et sane cognitionum certitudo non solum ex rationibus intrinsecis, sed etiam ex argumentis extrinsecis hauritur: sic facta historica, quorum modus et nexus intrinsecus hincinde perspici nequit, tamen per auctoritatem testium, omni exceptione maiorum ita probantur, ut de illis dubitari non possit. Si autem auctoritas humana talem certitudinem parit, an auctoritas Dei infallibilis sufficiens non erit, ut ostendat doctrinam quandam, quam finitus intellectus intime perspicere nequit, veritati consonam, et ideo a ratione dissonam non esse?

Obi. II. Idem non potest simul esse et non esse: huic principio certissimo opponitur doctrina de Trinitate, in qua de eodem Deo idem affirmatur, et idem negatur; affirmatur enim, quod sit unus, et idem negatur, cum dicitur trinus. Deus ergo unus simul, et trinus apertam contradictionem involvit, quia quod unum est, non est trinum, et quod trinum, non est unum.

Resp. Ut quid opponatur principio allato, seu ut vera adsit contradictio, requiritur, ut non solum de eodem subiecto idem affirmetur et idem negetur, sed etiam ut idem de eodem tum affirmetur, tum negetur sub eodem respectu; secus nulla contradictio emergit. Sic dum de homine dico: est corporalis et spiritualis, mortalis et immortalis, hisce propositionibus nulla contradictio inest, quia affirmatio et negatio non fit sub eodem respectu; sed quoad corpus homo dicitur corporalis et mortalis, et quoad animam dicitur spiritualis et immortalis. Ex eadem ratione nulla occurrit contradictio in doctrina de Trinitate, quia non sub eodem respectu Deus unus dicitur et trinus, sed unus in essentia et trinus in personis.

Obi. III. In doctrina revelata de Trinitate vera contradictio datur, quia in illa continentur duae ideae, quae sese invicem excludunt, nimirum infinita Dei simplicitas et realis distinctio personarum. Si enim Deus dicitur ens simplicissimum, omnis compositio ab ipso prorsus est removenda; si autem in essentia divina adstruuntur tres personae realiter distinctae, illa ipsa essentia ex tribus composita est dicenda. Ergo vel neganda est Dei simplicitas, vel reiicienda realis distinctio personarum; haec duo enim invicem consistere non possunt.

Resp. *a)* Indirecte huic obiectioni sic respondetur: Ex ratione et revelatione constat, essentiam divinam simplicissimam esse, et eadem revelatio docet, in una essentia divina tres esse personas realiter distinctas: utrumque ergo verum est, quia Deus falli et fallere nequit. Veritas autem veritati opponi non potest, et ideo simplicitas Dei non opponitur Trinitati personarum, et harum distinctio non tollit divinam simplicitatem. Quamvis ergo harum duarum veritatum nexum intrinsecum intime mente nostra limitata non perspiciamus, utramque tamen veritatem propter auctoritatem Dei revelantis credere debemus, quia ipsa ratio docet, ignorantiam modi non tollere certitudinem facti. *b)* Frustra etiam gloriantur adversarii, se in doctrina revelata duas ideas detexisse quae sibi invi-

cum evidenter opponantur. Nam divinae essentiae, quae immensa simul et simplicissima est, perfectam cognitionem non habemus, et de ipsa simplicitate ideam nobis negativam tantum efformamus, dum nimirum omnem concreationem materiae, et omnem positionem partium extra partes removemus: quia vero ipsam naturam simplicitatis haud perspicimus, sequitur, quod etiam non semper certo determinare possimus, quid ipsi conveniat, et quid illi opponatur eamque tollat. Quisnam ergo pronuntiare poterit, Trinitatem personarum certo et evidenter opponi simplicitati divinae, cum nemo mortalium de personis divinis et de reali earundem distinctione adaequatam et perfectam cognitionem habeat? — Ergo etiam in allata obiectione nullatenus duae ideae clarae exhibentur, quae sibi invicem evidenter opponantur. — *c*) Absit porro, ut iuxta doctrinam catholicam Deus compositus dicendus sit. Nam compositum est complexus, seu unio multorum realiter distinctorum, quae, utpote partes, extra se posita sunt: sed in Deo personae non uniuntur inter se, sicut partes alicuius compositi physici, non ponuntur extra se, sicut rursus fit in compositione physica, sed identificantur in natura, et se habent ut una simplicissima entitas, quae ipsa est natura divina; nempe tres personae divinae nihil aliud sunt, quam ipsa divina essentia tribus personis communis, et divina essentia nihil aliud est, quam tres personae divinae, quae simplicissimae sunt, et simplicissimae essentiae, quam communem habent, opponi non possunt (1). *d*) Equidem tres personae realiter inter se per relationes distinguuntur: sed falsum est, omnem realem distinctionem simplicitati opponi. Nam ipsi Philosophi, qui animae humanae simplicitatem defendunt, nihilominus in ipsa varias facultates, memoriam, intellectum et voluntatem, varias quoque cognitiones, appetitiones et affectiones realiter distinctas agnoscunt, quin ideo eius unitatem et simplicitatem labefactatum iri autument, et quidem rectissime, quia talis distinctio nullam concretionem materiae, nullam positionem partium extra partes in ipsa anima importat. Sic igitur etiam realis distinctio personarum, quae fit per relationes, in Deo cogitari optime potest, quin plures in ipso partes cogitentur, aut eius simplicitas frangatur. — *e*) Ad notionem naturae spiritualis requiritur quidem simplicitas, sed sola non sufficit, quia ad spiritum constituendum etiam requiritur facultas intelligendi et volendi, et quo perfectior haec est facultas, eo perfectior est spiritus. Deus autem est Spiritus infinite perfectus, atque ideo perfectissimo modo seipsum cognoscit, et seipsum cognoscens imaginem sui infinite perfectam, sibi coaequalem et consubstantialem, i. e. secundam personam producit; et in summo bono sibi complacens amorem infinite perfectum spirat, ex quo procedit tertia persona quae est Spiritus sanctus. Tantum ergo abest, ut trinitas personarum divinae simplicitati opponatur, ut potius eo ipso Deus Spiritus infinite perfectus dicendus sit, quia infinite perfecta et foecunda sui ipsius cognitione, et infinite perfecto ac foecundo amore sui ipsius praeditus, sicut unus in essentia, ita trinus est in personis. Ideo nonnulli Patres dixerunt, realem personarum distinctionem maiorem Dei simpli-

(1) Cf. S. Thom. I, q. 39 art. 1, Wiest Tom. § 391.

citatem efficere, quam si una tantum esset persona (1).

Obj. IV. Una numero essentia non potest esse pluribus personis communis. Ideo in rebus creatis unius substantiae intelligentis videmus unam tantum esse personam; neque enim unicum exemplum ostendi potest sive hominis, sive angeli, qui non sit una persona sed plures. Cum ergo Deus quoque una sit substantia intelligens, necessario sequitur, eum non tres personas, sed unam personam esse. Quodsi multiplicarentur in Deo supposita, seu personae, necesse foret, ut etiam multiplicarentur essentiae, seu naturae, et sicut tres personae, ita etiam tres essentiae divinae, ac tres Dii adstruerentur.

Resp. a) In hac obiectione natura divina turpiter confunditur cum natura creata, a qua tamen infinite distat. Natura creata eodem tempore naturaliter in uno tantum loco subsistere potest, an ideo sequitur, naturam quoque divinam loco circumscribi, et non ubique praesentem esse? — Ipsi adversarii hanc conclusionem non admittunt, et ideo etiam nos eorum argumentationem non admittimus, quam ab exemplis entium creatorum deducunt; sed cum Cl. *Galatino* (2) dicimus: « Si una numero essentia divina sui multiplicatione potest esse in pluribus locis, utique eadem sine sui multiplicatione potest esse pluribus personis communis. » *b)* Eandem difficultatem solvit Cl. *Tournely* (3), dicens: « Istud discrimen est inter suppositum et naturam, quod suppositum sit incommunicabile: homo, v. g., generans hominem non suum proprium ipsi genito communicat suppositum, sed naturam dumtaxat specificam; natura vero communicabilis est, ut constat in natura generica et specifica, quae communicatur. Quodsi natura individua creata communicari non potest alteri, id accidit, non praecise quia est individua, sed quia limitata et finita: nam si esset individua simul, et infinita, ac illimitata, posset communicari, quod patet ex natura specifica, quae communicabilis est pluribus individuis; quia quatenus specifica limites non habet, imo quamdam habet suo modo infinitatem; abstrahit enim ab hoc vel illo individuo. Itaque natura universalis, ut specifica est, communicari quidem potest pluribus, sed quatenus universalis non existit actu et a parte rei: naturae vero particulares existunt quidem, sed quia finitae sunt ac limitatae non possunt pluribus communicari. At divina essentia utrinsque naturae perfectionem continet: existit enim actu, sicut existit natura individua creata, et est infinita, quod habet modo suo natura specifica creata; itaque pluribus suppositis communicari potest. » Ex eadem ratione idem Cl. Auctor (4) ostendit, quod, licet in Deo supposita, seu personae multiplicentur, natura tamen nullatenus multiplicetur: « Nam, ait, in supposito tria sunt, natura, existentia et subsistentia; et hoc tertium est de ratione formali suppositi, et constitutivum ipsius: nam accidentia habent naturam et existentiam, quia tamen non habent subsistentiam, non sunt supposita. Itaque necesse est multiplicari subsistentiam multiplicato supposito: multiplicare autem naturam non est necesse, ut patet, quia eadem natura specifica plura habet supposita; ergo si ponatur illimitatio illa in natura divina individua, quae reperitur in natura specifica,

(1) Cf. Petavius l. 2 de Deo c. 4.
(2) L. 2 de arcan. cathol verit c. 2.

(3) De Trin. q. 1 art. 1.
(4) L. c. n. 4.

Digitized by Google

licet una sit, habere tamen poterit multa supposita. » c) Haec sane sufficienter evincunt, etiam ex hac parte apertam contradictionem in doctrina revelata de Trinitate non inveniri. Fatendum tamen est, nos modum perspicere non posse, quo in una divina essentia tres sint personae; sed hoc mysterium credendum est, quia Deus illud revelavit, nec audiendae sunt nimis sane fallibiles argutationes humanae

Obi. V. Axioma philosophicum est: quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Huic axiomati certo opponitur doctrina de Trinitate. In illa enim dicitur, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum esse unam eandemque essentiam divinam: unde recte dicitur: Pater est essentia divina, Filius est essentia divina, Spiritus sanctus est essentia divina. Quia ergo omnes tres personae sunt idem cum essentia divina, sunt etiam idem inter se, et ab invicem nullatenus distinguuntur. Cum ergo Catholici realem inter personas divinas distinctionem propugnant, sibi ipsis contradicunt, et rectae rationi adversantur.

Resp. Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se sub eodem respectu, sub quo sunt eadem uni tertio; id concedendum est; sed prorsus negandum quod ideo sint eadem inter se sub omni et quocunque respectu. Distinctio haec attendenda est, etiam dum rebus naturalibus praefatum axioma applicatur. Sic ex. gr. si duo baculi, unus ligneus, alter ferreus cum tertio argenteo in longitudine conveniant, certum est quod in longitudine etiam conveniant inter se: sed insipiens esset, qui exinde inferret, quod etiam respectu materiae idem sint, et inter se non distinguantur. — Simili modo disserendum est de Trinitate: Personae enim divinae idem sunt cum natura divina, et sub hoc respectu sunt pariter idem inter se, eadem siquidem in omnibus est natura divina; at idem non sunt in modo subsistendi, seu in personalitate, qua inter se relative distinguuntur. Nam paternitas non est filiatio, et idem dicatur de spiratione. Cl. *Perrone* id illustrat exemplo (1), dicens: « Sic ex. gr. longitudo idem est cum spatio, quod afficit, altitudo pariter idem est cum spatio; idipsum dic de magnitudine, quae ex utraque exurgit; longitudo tamen non est latitudo, nec vicissim; quod aeque valet in magnitudine, quae praecise neque altitudo est, neque longitudo, sed ex utraque coalescit. » Sic tres personae quae idem sunt cum divina natura, relationibus tamen distinguuntur.

Obi. VI. Iuxta doctrinam catholicam divinae personae dicuntur unam essentiam habere; et per relationes distingui: quaelibet autem persona est essentia divina, et etiam relationes sunt essentia divina. Ergo aperta contradictio in hac doctrina continetur; nam personae dicuntur respectu essentiae, in qua unum sunt, non distingui, et respectu eiusdem essentiae, cum qua identificantur relationes, distingui.

Resp. a) In hac obiectione contradictio petitur ab ipsa essentia divina, quae illud unum dicitur, quod personas simul distinguit, et non distinguit, simul plures et unum efficit. Falsa est autem haec argumentatio, quia in ipsa consideratur essentia divina tanquam quarta entitas, cum qua tres personae comparantur, et per quam simul distingui et non distingui dicuntur. Ast in doctrina catholica non Quaternitas, sed Trinitas praedicatur; nam, ut docet *Concilium Lateranense IV*, essentia divina non est

(1) De Trin. n. 142

res quaedam quarta, sed est *Pater*, *qui generat*, *Filius*, *qui gignitur*, *et Spiritus sanctus*, *qui procedit*, et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt ipsa essentia divina, sunt unus, idemque Deus. Sive ergo unam divinam essentiam praedicem, sive tres personas divinas, omnino idem est; quapropter *S. Augustinus* (1) ait: « Quid est Deus? Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. » Nullatenus ergo in sensu adversariorum dici potest, personas per relationes, quatenus hae cum essentia divina identificantur, quasi per quartam entitatem distingui; sed dicendum est, quod personae divinae sint ipsae relationes subsistentes, et quod relationes subsistentes sint ipsa essentia divina. Nulla ergo contradictio in doctrina catholica continetur. Nam essentia non distinguitur a personis, et personae non distinguuntur ab essentia; personae vero ab invicem distinguuntur, sed non per id, quo unum sunt, sed per id, quo ad invicem referuntur; neque ideo quaternitas inducitur, quia relationes subsistentes sunt illud ipsum unum, quod essentiam vocamus. *b*) Notandum porro est, quod personae, seu relationes subsistentes realiter quidem unum et idem sint cum essentia divina, sed tamen secundum intelligentiae rationem ab ea distinguantur, ex quo fit, ut aliud de essentia, aliud de personis praedicare liceat. Ideo *S. Thomas* (2), praefatam difficultatem solvens, dicit: « In quantum essentia et persona in divinis differunt secundum intelligentiae rationem, sequitur, quod aliquid possit affirmari de uno, quod negatur de altero, et per consequens, quod supposito uno non supponatur alterum. » Et sane etiam attributa divina absoluta realiter ab essentia divina non distinguuntur, ita ut recte dicatur, iustitiam Dei esse essentiam divinam, et misericordiam Dei esse pariter essentiam divinam, et tamen, quia secundum intelligentiae rationem distinguuntur, dicere non licet: iustitia est misericordia, quia alius est iustitiae, alius misericordiae conceptus. Eodem ergo modo, quamvis personae ab essentia realiter non distinguantur, non licet dicere: Pater est Filius, aut Filius est Spiritus sanctus, seu non licet negare, quod a se invicem distinguantur. Equidem attributa divina absoluta etiam inter se realiter non distinguuntur, quia, ut docet *S. Thomas*, inter ipsa non datur oppositio relativa, sed personae ab invicem realiter distinguuntur, quia inter ipsas adest oppositio relativa: sic ex. gr. paternitas realiter opponitur filiationi. *c*) Responsio prolata aliquo modo illustrari potest exemplo animae humanae. Intellectus, memoria et voluntas naturam animae constituunt, et ab hac realiter non distinguuntur; nam intellectus non est nisi anima intelligens, memoria anima reminiscens, voluntas anima decernens. Quamvis autem istae facultates realiter a natura animae non distinguantur, inter se tamen realiter distinguuntur ita, ut intellectus non sit memoria, et memoria non sit voluntas.

Obj. VII. Tres sunt propositiones orthodoxae: Pater est persona, Filius est persona, Spiritus sanctus est persona; et eodem modo catholicae sunt sequentes propositiones: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus. Iam si Catholici ex prioribus tribus propositionibus recte inferunt; ergo tres sunt personae; eodem iure ex tribus posterioribus propositionibus concludendum est: ergo tres sunt Dii: aut si haec con-

(1) In Ps. 29.

(2) 1. q. 39. a. 1 ad 2.

clusio non admittitur, etiam prior est neganda.

Resp. Catholici tres personas divinas, et unum Deum profitentur. Ideo tres propositiones priores sic intelligunt: Pater est persona, et quidem distincta a persona Filii; Filius est persona, et quidem distincta a persona Spiritus sancti etc., ergo necessario infertur, tres esse personas divinas. Ast tres posteriores propositiones hoc sensu proferunt: Pater est Deus, sed non Deus distinctus a Deo Filio, et Deo Spiritu sancto; Filius est Deus, sed unus idemque Deus cum Deo Patre, et Deo Spiritu sancto etc.; quamobrem ex istis propositionibus hoc sensu prolatis non potest inferri: ergo sunt tres Dii; sed concludendum est: ergo Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt unus idemque Deus.

Obi. VIII. Posita reali personarum distinctione, cuilibet personae aliquid deest, quod habet altera; sic Patri deest filiatio, Filio paternitas, utraque Spiritui sancto; sed persona, cui aliquid deest, non est infinite perfecta; ergo nulla ex tribus personis est infinite perfecta, nulla est Deus.

Resp. Argumentationi adversariorum aliam opponimus, quae ex doctrina hactenus probata, recte infertur, et dicimus: Quaelibet ex tribus personis est ipsa essentia divina; sed essentia divina est infinite perfecta, ergo quaelibet ex tribus personis est infinite perfecta, et est verus Deus. Directe autem ad obiectionem adversariorum duplici modo respondere solent Theologi.—Multi cum *S. Thoma* (§ 109, n. 8) dicunt, relationes, quibus personae inter se distinguuntur, non esse perfectiones, sed simpliciter characteres, qui distinguunt personam a persona. Nulla ergo perfectio personae denegatur, cui aliqua relatio deest, atque ideo illa manet infinite perfecta. Id illustrari potest exemplo, quod equidem naturaliter existere nequit, sed tamen mente concipi a nobis potest: si nempe ponerentur duo homines quoad omnes tum corporis tum animae qualitates sibi perfecte aequales, quorum autem unus sit pater, et alter sit filius; propter has relationes nullo modo unus altero perfectior dici posset, sed dicendi essent duo homines omnino aequaliter perfecti.—Alii tamen Theologi contendunt, relationes veras esse perfectiones; ast etiam ex illorum sententia nullatenus sequitur, non quamlibet personam esse infinite perfectam. Nam quaelibet relatio est infinite perfecta in genere suo. Sic Pater ut Pater habet omnem possibilem perfectionem paternitatis, et Filius habet omnem possibilem perfectionem filiationis, et idem dicendum est de Spiritu sancto. Patri ergo nihil deest de perfectione paternitatis, Filio nihil deest de perfectione filiationis, et Spiritui sancto nihil deest de perfectione spirationis passivae, et sic quaelibet persona etiam ut relatio subsistens est infinite perfecta; ex quo porro fit, ut nonnisi unus Pater, et unus Filius, et unus Spiritus sanctus esse possit. Equidem Pater non habet filiationem, et Filius non habet paternitatem; sed utrumque absolute impossibile est, quia ingenitus non potest simul esse genitus, et qui generatur, non potest simul esse illa persona, a qua generatur; ergo filiatio respectu Patris, et paternitas respectu Filii absolute impossibilis est, et apertissimam contradictionem involvit. Sicut ergo omnipotentiae divinae nihil derogatur, dum dicitur, Deum non posse efficere contradictoria, ita etiam personae divinae nihil perfectionis demitur, dum dicitur,

ipsam non habere oppositam sibi relationem. — Demum quamvis quaelibet persona reduplicative ut persona habeat aliquid, quo caret altera; dici tamen potest et debet, quamlibet personam habere aliarum perfectionem ratione essentiae, quae una et eadem est in omnibus Personis. Sic licet Pater ut Pater non habeat filiationem, neque Filius ut Filius paternitatem, quia tamen Pater et Filius unam eandemque habent essentiam, a qua nec paternitas, nec filiatio, nec caeterae perfectiones distinguuntur, rectissime singulae personae in ipsa essentia omnes perfectiones habere dicuntur. Sive ergo relationes ut simplices characteres, sive ut verae perfectiones habeantur, satis solide ostendi potest, singulas personas infinite perfectas esse, et nullam contradictionem in doctrina de Trinitate inveniri.

Nota 2. Ex dictis patet, adversarios in doctrina revelata de Trinitate nullam contradictionem, nullamque cum certis rationis principiis repugnantiam demonstrare posse. Dum autem contra istos ostendimus, mysterium Trinitatis non esse contra rationem; memores semper esse debemus, illud esse supra rationem, ac propterea nunquam illius evidentem cum ratione convenientiam ita ostendi posse, ut intrinsecus dogmatum nexus patefiat. Deus enim voluit, ut aliqua nobis obscura maneant, et rationi impervia sint, in quibus imbecillitatem mentis nostrae agnoscentes fidem cum maiori merito exerceamus. Nam, ait *S. Augustinus* (1): « Haec est laus fidei, si, quod creditur, non videtur, nam quid magnum est, si creditur, quod videtur? » Idem S. Doctor monet, rationi fidendum non esse, dum quid contra revelata dogmata proponit, quoniam tunc per apparentia tantum argumenta fallitur, et fallit; ait enim (2): « Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamvis acuta sit, fallit verisimilitudine; nam vera esse non potest. » Non minus insipiens ergo quam impius ille dicendus est, qui ob apparentes rationes, quae fidei adversantur, aut ob difficultates, quas solvere nequit, illam doctrinam credere recusat, quam a Deo revelatam esse argumenta omni exceptione maiora probant. Praeclare hanc in rem *S. Chrysostomus* (3) ait: « Incredulitas exigui et infirmi animi argumentum est, qui nihil magni nihil excelsi de re summa, seu de natura Dei sentiat; quasi Deus nec facere, nec esse possit, quod mens capere nequit. » —

CAPUT V.

DE MODO QUO LOQUENDUM EST DE MYSTERIO SS. TRINITATIS

§ 116. Si mysterium Trinitatis perfecte non comprehendimus, istud etiam adaequatis terminis enuntiare et declarare non valemus; nam, ait *S. Augustinus* (4), « quid quaeris, ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit? » Ut autem de summo illo mysterio loqui possimus, omnino opus est certis terminis, qui a notis nobis rebus creatis desumpti ad res divinas enuntiandas applicentur. « Intellectus noster, ait *S Thomas* (5), res divinas nominat, non secundum modum earum, quia sic eas cognoscere non potest; sed secundum modum in rebus creatis inventum. » Magna idcirco cautio in usu et explicatione

(1) Tr. 79 in Io. c. 1.
(2) Epist. 143 (al. 7) ad Marcellin. n. 7.
(3) Hom. 8 in Ep. ad Rom. (4) In Ps. 85.
(5) 1, q. 39, art. 2 in c.

terminorum adhibenda est, ne ex ipsis vocibus aut male electis, aut male explicatis ipsa doctrina catholica vel obscuretur, vel corrumpatur. Prima et universalis regula hac in re observanda est, ut in terminis, seu vocibus eligendis, applicandis et declarandis ipsam Revelationem divinam eiusque infallibilem interpretem Ecclesiam duces sequamur. Iuxta hanc regulam, dum de Trinitate sermo est, *essentia, substantia*, et *natura* voces synonimae sunt, sicut etiam *persona*, *hypostasis*, et *subsistentia* idem significant (§ 63, n. 1). Praeterea etiam attendendum est, quibus vocibus, ac loquendi formulis Theologi ad enuntianda dogmata catholica usi fuerint, et quo sensu illas intellexerint et explicaverint; valde enim temerarium est, a communi loquendi modo recedere, et novum substituere, qui hincinde ipsam doctrinam perturbat, aut etiam novis erroribus ansam praebet. Igitur iuxta dictamina Revelationis, Ecclesiae, et Theologorum catholicorum determinare oportet modum, quo loquendum est de mysterio SS. Trinitatis. Ut autem iste modus ab omnibus, et praecipue ab illis, qui alios publice instituere tenentur, cognoscatur et observetur, disserendum est 1° *de nominibus trium Personarum propriis, et appropriatis*; 2° *de aliis nominibus substantivis*, et 3° *de nominibus adiectivis, ad unitatem, vel pluralitatem in divinis pertinentibus.*

ARTICULUS I.
De nominibus trium Personarum.

§ 117. Personae divinae singulae variis nominibus insigniuntur, quorum aliqua a Theologis *propria*, alia *appropriata* dicuntur. Nomen proprium est illud, quod uni personae realiter ita convenit, ut alteri minime convenire possit. Nomen appropriatum est illud, quod, licet realiter toti Trinitati sit commune, tamen propter quamdam rationem specialem uni personae singulari modo tribuitur.

I. *De nominibus singularum Personarum propriis.*

§ 118. 1. Nomina primae personae propria sunt tria, nimirum: *Pater*, *ingenitus, seu innascibilis*, et *principium fontale totius divinitatis*. — Nomen *Pater* primae personae proprium est, ut notionaliter sumitur, id est, quatenus dicit relationem realem ad Filium, quem ex sua substantia generat (Cf. § 76). — Prima persona dicitur quoque *ingenita* hoc sensu, quod nullo modo producta sit; sola enim prima persona neque genita, neque procedens est, et in hoc sensu ratio ingeniti, seu improducti ipsi soli propria est; quapropter *S. Gregorius Naz.* ait: « Patris proprietas haec est, quod ingenitus sit. » — Denique prima persona dicitur *principium fontale totius divinitatis* sumptae scilicet in concreto pro personis, quae a Patre ducunt originem, et in eodem sensu a *S. Athanasio* (1) dicitur « Pater radix et fons Filii, et Spiritus sancti. » Equidem etiam secunda persona est cum prima principium notionale Spiritus sancti, sed principium fontale designat principium sine principio, quod solus est Pater, ut explicat *S. Augustinus* qui (2), illud Io. XV, 26, *Spiritum veritatis, quem ego mittam vobis a Patre*, exponens, ait: « videlicet ostendens, quod totius divinitatis principium Pater est. »

2. Nomina secundae personae propria sunt pariter tria, nempe *Filius*, *Verbum*, et *Imago Patris*. Haec no-

(1) C. greg. Sabell. (2) L. 4 de Trin. c. 20.

mina soli secundae personae ex vi processionis suae conveniunt; ipsa enim sola ex substantia Patris ab aeterno genita est, et in S. Scriptura frequentissime *Filius* appellatur (§ 77 et § 100), per quod nomen secundae personae excellentia, eiusque relatio ad primam personam optime exprimitur. — Etiam soli secundae personae ratio *Verbi* convenit, quia ipsa ab intellectu Patris foecundo procedit (§ 106, n. 3 et 4) et ideo in S. Scriptura Verbum appellatur (1). *Vocatur nomen eius Verbum Dei* (2); et *S. Cyrillus Alex.* (3) dicit: « Verum igitur Patris Verbum Filius est, neque est aliud verum Verbum Patris quam Filius. » — Appellatio ista, qua secunda persona Verbum nominatur, a verbo umano sumpta est: duplex enim distinguitur verbum humanum, aliud externum, quod foris sonat, aliud internum, quo mensipsa secum interius loquitur, et quod rem aliquam repraesentat: ex huius verbi humani cognitione aliqualem secretissimi illius Verbi divini notitiam consequi possumus. Nam, *a*) sicut verbum nostrum internum a mente procedit, ita Filius Dei, prout est Verbum, a mente, seu intellectu Patris procedit: *b*) quemadmodum verbum internum, licet ab anima profectum in ipsa tamen intime residet, nec ab ea separari potest, ita Verbum divinum ex Patre procedens, intimum in ipso permanet, nec potest ab eo disiungi: *c*) sicut verbum internum animae nostrae per verbum externum, quo veluti induitur, et quasi vestitur, hominibus sese manifestat; sic Verbum illud Patris secretum humanam carnem, velut externum quoddam Verbum induit, ut hominibus sese conspiciendum praeberet: denique, *d*) sicut Architectus quisque per verbum mente conceptum tanquam sui operis ideam et exemplar, opus ipsum exequitur; ita Pater per Verbum suum suamque increatam sapientiam omnes creaturas condidit iuxta illud Ioannis: *Omnia per ipsum* Verbum *facta sunt*. Secunda persona etiam *imago Patris* vocatur: *Imago Dei invisibilis* (4); *Splendor gloriae, et figura substantiae eius* (5); haec appellatio secundae personae propria est, quia haec, non autem tertia persona, ex intellectu procedit in similitudinem generantis, ut docet *S. Thomas* (6). (Cf. § 106, n. 4). Ideo etiam *S. Augustinus* (7) ait: « Solus Filius est imago Patris. »

3. Nomina tertiae personae propria iterum sunt tria, scilicet *Spiritus sanctus*, *Donum*, et *Amor*. - *Spiritus sanctus* est nomen, quod proprie convenit tertiae personae, non hoc sensu, quod sit immaterialis et omnis impuritatis expers, sic enim est proprietas essentialis, quae consequenter communis est tribus personis; sed hoc sensu, quod sit spirata, et quidem per voluntatem, a qua est omnis sanctitas: ex hac ratione S. Ambrosius (8) dicit: « Licet Pater Spiritus sit, et Filius Spiritus sit, et Pater sit sanctus, et Filius sit sanctus; sola tamen tertia persona Spiritus sanctus nuncupatur. » Hoc nomen equidem non est relativum, quatenus significat rem immaterialem, sed est relativum, quatenus significat rem spiratam; sic enim significat relationem personae spiratae ad personas spirantes. — Tertia persona etiam vocatur *Donum*, et quidem proprio nomine. Nam ut aliqua persona dicatur donum proprie et personaliter, requiritur, et sufficit, ut a dante pro-

(1) Io. 1. 1. Io. 5, 7. (2) Apoc. 19, 13.
(3) L. 7, Thesaur. c. 1. (4) Col. 1, 15.
(5) Hebr. 1, 3 (6) 1, q. 35, a. 2.
(7) L. 7 de Trin. (8) In symb. Apost. c. 1.

cedat, et quidem ex voluntatis inclinatione; atqui sola tertia persona ex voluntatis inclinatione procedit, ergo proprie et personaliter dicitur donum. Equidem etiam *Filius datus* dicitur (1); ast quia Filius non procedit ex voluntatis inclinatione, sed ex intellectus foecunditate, ideo non est terminus amoris, quo se mutuo cum Patre diligit, alias esset principium simul et terminus, quod implicat, datur ergo tantum ex amore, quo Pater hominem diligit iuxta illud: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (2). Ideo ait *S. Thomas* (3): « Donum secundum quod personaliter sumitur in divinis, est proprium nomen Spiritus sancti. » Demum Spiritus sanctus etiam *amor* vocatur. Equidem, ut observat *S. Thomas* (4), « nomen amoris in divinis sumi potest essentialiter et personaliter. » Si amor sumatur essentialiter prout importat tantum habitudinem amantis ad rem amatam, est nomen commune toti Trinitati. Si autem sumatur personaliter, prout importat habitudinem rei, quae procedit per modum amoris, ad suum principium, est nomen proprium Spiritui sancto, quia Spiritus sanctus procedit ex mutuo amore Patris et Filii, imo est amor Patris, et Filii, sicut *S. Gregorius* (5) ait: « Ipse Spiritus sanctus est amor. » (Cf. § 106, n. 3. et 4).

Nota 1. Graeci Patrem vocant etiam *causam* et *auctorem Filii et Spiritus sancti*, sed improprie et lato modo, quia per illas voces intelligunt duntaxat principium originis, ut luculenter explicat Card. *Bessarion* sess. 25 Concilii Florentini, dicens: « Notandum quod Ss. Doctores orientales, etiam in divinis, utantur nomine causae, aut causati largo modo, non quidem ut limitationem et dependentiam importat, sed prout productionem et emanationem a principio eius quod est a principio significat. » Verum quia in lingua latina causa non aequivalet principio, seu quia causa iuxta propriam rationem est principium influens esse in aliud, unde importat diversitatem substantiae et dependentiam unius ab alio; Pater non potest dici causa Filii et Spiritus sancti, sicut Filius et Spiritus sanctus non possunt dici effectus Patris, vel essentiae divinae. Graviter ergo hallucinatus est *Georg. Hermes*, dum (6) scribit: « Pater, Filius, et Spiritus sanctus debent significare effectus Dei, vel divinae essentiae, et si etiam hoc significare non possent, pro hominibus nihil possent significare, et consequenter pro nobis doctrina de Trinitate divina absque ullo sensu foret. » In hac sententia turpiter confunditur processio ad intra cum processione ad extra, quae ad creaturas pertinet; et non solum cum Arianis et Macedonianis Filius et Spiritus sanctus creaturis aequiparantur, sed idem etiam de Patre affirmatur, ac demum quaternitas adstruitur, dum tres personae divinae essentiae effectus dicuntur. In hac declaratione Hermesii doctrina de Trinitate divina absque ullo sensu est, seu potius, penitus negatur (7).

Nota 2. In conciliabulo Pistoriensi inter alios errores etiam traditum est, secundam Trinitatis personam, exactius nomine Verbi, quam nomine Filii exprimi. Hanc sententiam, si non pravo animo, imprudenter tamen prolatam, *Pius VI* speciatim notandam censet, et in celebri Bulla, *Auctorem*

(1) Is. 9, 6, Io. 3, 16. (2) Io. 3, 16.
(3) 1, q. 38, a. 2. (4) 1, q. 37, a. 1.
(5) Hom. 30, in Pent.

(6) Christkat. Dogm. Münster 1831 p. 470.
(7) Cf. Perrone de Trin. n. 414.

fidei (versus finem) conciliabulum carpit, « quod de ipsismet divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi, seu appellari Patrem, Verbum et Spiritum sanctum, quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii tot Scripturae locis consecrata, voce ipsa Patris e coelis, et a nube delapsa, tum formula baptismi a Christo praescripta, tum et praeclara illa confessione, qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronuntiatus; ac non potius retinendum esset, quod edoctus ab Augustino angelicus praeceptor (1), vicissim ipse docuit, in nomine Verbi eandem proprietatem importari, quae in nomine Filii, dicente nimirum Augustino: Eo dicitur Verbum, quo Filius » (2).

II. *De nominibus singulis Personis adpropriatis.*

§ 119. Quia omnia attributa divina absoluta sunt ipsa essentia Dei, et haec numerice una tribus personis communis est, illa quoque his ex aequo competunt. Idem dicendum est de operibus divinis externis, quae tribus personis communia sunt, excepta Incarnatione, quae est solius secundae personae; nam *Verbum caro factum est*, et in assumpta humanitate passionem, et mortem sustinuit; quapropter tanquam haeretici damnati sunt, qui Patrem passum fuisse dictitabant. Quamvis autem reliqua opera divina, sicut attributa absoluta, tribus personis communia sint, nihilominus aliqua attributa et quaedam opera divina de singulis personis specialiter praedicari, seu illis, ut Theologi loquuntur, appropriari solent. Et recte id fieri, probat *S. Thomas* (3). Nam lumine naturali non possumus assequi mysterium Trinitatis, et in eorum, quae divinis personis propria sunt, cognitionem pervenire: sed bene possumus lumine naturali cognoscere Dei attributa, ut Deum aeternum, omnipotentem, sapientem, bonum etc. esse: propterea haec attributa singulis personis appropriata ad hoc nobis inserviunt, ut per illa personas divinas melius cognoscamus. Non ergo putandum est, attributum quoddam absolutum in maiori gradu uni personae quam alteri inesse; sed dicendum est, aliqua attributa se nobis in una persona magis quam in altera conspicua reddere, seu ipsas personas per aliqua attributa magis quam per alia nobis manifestari. Ideo S. Thomas (4) dicit, « quod ad manifestationem fidei conveniens fuit, essentialia attributa personis appropriari. » Idem Angelicus Doctor (5) plures huius appropriationis modos refert; notatu digni sunt praecipue sequentes:

1. Patri adscribitur *Potentia:* sic Ps. LXXXVIII, 9 dicitur: *Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es, Domine,* quod ad Patrem dici satis declarant, quae in eodem Psalmo v. 20 etc. subsequuntur. Christus ait: *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt* (6): in Symbolo dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* « Quae quidem appropriatio, ait *S. Thomas* (7), fit et secundum rationem similitudinis, si consideretur, quod in divinis personis est; et secundum rationem dissimilitudinis, si consideretur, quod in creaturis est. Potentia enim habet rationem principii unde habet similitudinem cum Patre coelesti, qui est principium totius divinitatis: deficit autem inter-

(1) I, q. 35, a. 2 ad 3.
(2) De Trin. l. 7, c. 2.
(3) I, q. 39, art. 7.
(4) L. c.
(5) Ibid. art. 8
(6) Marc. 14, 36.
(7) L. c.

Digitized by Google

dum patri terreno propter senectutem: » ne ergo rudes homines etiam Patri coelesti infirmitatem adscribant, potentia ipsi appropriatur. Et quia in opere creationis totius mundi potentia divina magis relucet, hinc et *creatio* Patri appropriatur, ipseque *Creator* et *Dominus coeli et terrae* nominatur: sic Christus dicit: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae*(1), et in symbolo Patrem nuncupamus *Creatorem coeli et terrae:* cuius appropriationis etiam alia ratio reddi potest, quia nimirum quomodo Pater prima est in divinis persona, et origo aliarum, sic et opus creationis inter Dei opera externa primum est, ac reliquorum omnium, velut redemptionis et sanctificationis fundamentum.

2. Filio tribuitur *Sapientia:* sic Prov. VIII, et Eccli. XXVIII, sub nomine Sapientiae loquens introducitur Filius Dei, et Paulus Christum nominat *Dei sapientiam* (2), et de eodem dicit: *qui factus est nobis Sapientia a Deo* (3). « Sapientia, ait S. Thomas (4), similitudinem habet cum Filio coelesti, in quantum est Verbum, quod nihil aliud est, quam conceptus sapientiae; deficit autem interdum filio terreno propter temporis paucitatem: » talis vero defectus in Filio Dei cogitari nequit. — Imo Filius Dei non solum secundum naturam divinam, sed etiam secundum naturam humanam *Sapientia* rectissime nominatur. Sicut enim Filius secundum formam Dei ab aeterno media fuit persona inter Patrem et Spiritum sanctum, tanquam Verbum medium inter mentem et amorem: ita congruebat, ut idem Filius per assumptam formam servi in plenitudine temporis medius fieret inter Deum et homines: qua ratione factum est, ut per eundem perficeretur opus Redemptionis humanae, quod et per ipsum inter creationem et beatificationem medium est. In forma igitur assumpta multipliciter declarata est sapientia Filii Dei; quod et a S. Augustino adnotatum est (5): primo quidem, quia factus est nobis Doctor Sapientiae, docens terrena contemnere, coelestia amare, atque alia plurima verae Sapientiae praecepta tradens: secundo, quia sub forma servi latens, et peccatoribus assimilatus, hostem humani generis elusit, dum per passionem et mortem opus redemptionis nostrae perfecit; tertio, quia per extremam humilitatem ad summam gloriam evectus est; quarto, dum per infirma et stulta huius mundi propagari voluit Evangelium suum, quae quidem omnia summae Sapientiae opera fuerunt. Opus redemptionis ergo Filio Dei proprium est, quamvis ab illo alieni non sint Pater, qui *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (6), et Spiritus sanctus, qui est amor Patris et Filii, ac obumbrando Mariam Incarnationem Verbi operatus est. Nomine autem proprio Filius Dei *Redemptor, Salvator, Mediator Dei et hominum* dicitur.

3. Spiritui sancto tribuitur *Bonitas:* sic dicitur: *Spiritus tuus bonus deducet me* (7); *Benignus est Spiritus sapientiae* (8); *O quam bonus, et suavis est, Domine, Spiritus tuus* (9); — « Bonitas, ait S. Thomas (10), cum sit ratio et obiectum amoris, habet similitudinem cum Spiritu divino, qui est amor: sed repugnantiam habere videtur ad spiritum terrenum, secundum quod importat violentiam quandam, et impulsionem, prout di-

(1) Matth. 11, 25. (2) 1 Cor. 1, 24.
(3) Ibid. v. 30. (4) L. c.
(5) L. 7 de Trin. c. 3. (6) Rom. 8, 32.

(7) Ps. 142, 10. (8) Sap. 1, 6.
(9) Ibid. 12, 1. (10) L. c.

Digitized by Google

citur: *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem* (1); » ab hoc autem spiritu inordinato penitus differt Spiritus sanctus. Huic etiam appropriatur *Charitas* quatenus essentialiter sumitur, et bonitatem externam significat: sic *S. Augustinus* (2) ait: « Sicut unicum Dei Verbum proprie vocamus nomine Sapientiae, cum sit universaliter et Spiritus sanctus et Pater ipse sapientia, ita Spiritus sanctus proprie nuncupatur vocabulo Charitatis, cum sit universaliter Charitas et Pater et Filius. » Hinc Spiritui sancto attribuuntur omnia opera bonitatis, charitatis et misericordiae, praecipue *sanctificatio* hominum, et quidem congruentissime; congruit enim, ut divinae charitatis et misericordiae effectus ei personae attribuantur, quae ex perfectissima charitate procedit, et ipsa charitas est. Ideo Spiritus sanctus appellatur *Sanctificator* et *Paraclitus*, seu Consolator, quia nos consolatur per dona gratiae, quibus nos cumulat.

Nota. Dum secunda persona *Sapientia Dei* dicitur, cavendum est, ne quis putet, Patrem per Filium suum sapientem fieri. Sapientia enim est attributum absolutum, quod sicut ipsa essentia Patri, et Filio, et Spiritui sancto aequaliter competit. Egregie id ostendit *S. Augustinus* (3), dicens: « Quod si et Pater, qui genuit Sapientiam, ex ea fit sapiens, neque hoc est illi esse, quod sapere, qualitas eius est Filius, non proles eius, et non ibi iam erit summa simplicitas. Sed absit, ut ita sit: quia vere ibi est summe simplex essentia: hoc est ergo ibi esse, quod sapere. Quod si hoc est ibi esse, quod sapere, non per illam sapientiam, quam genuit, sapiens est Pater, alioquin non ipse illam, sed illa eum genuit. Quid enim aliud dicimus, cum dicimus, hoc illi est esse, quod sapere, nisi eo est, quo sapiens est? — Quapropter quae causa illi est, ut sit sapiens, ipsa illi causa est, ut sit: proinde si Sapientia, quam genuit, causa illi est, ut sapiens sit, etiam, ut sit, ipsa illi causa est. Quod fieri non potest nisi aut gignendo eum, aut faciendo. Sed neque genitricem neque conditricem Patris ullo modo quisquam dixerit Sapientiam. Quid enim insanius? Ergo et Pater ipse Sapientia est: et ita dicitur Filius Sapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris, id est, ut quemadmodum lumen de lumine, et utrumque unum lumen, sic intelligatur Sapientia de Sapientia, et utrumque una Sapientia: ergo et una essentia, quia hoc est ibi esse quod sapere... seu eadem ibi Sapientia est, quae essentia. » Ideo etiam Spiritum sanctum Sapientiam esse, probat idem (4).

ARTICULUS II.

De nominibus substantivis ad unitatem, vel pluralitatem in divinis pertinentibus.

§ 120. Si de mysterio SS. Trinitatis sermo est, distinguenda sunt duplicis generis nomina substantiva, nimirum *absoluta*, quae divinam essentiam significant, et *relativa*, quae ad indigitandam pluralitatem, seu distinctionem personarum adhibentur. — Nomina substantiva tum absoluta, tum relativa sunt vel *abstracta*, quae exprimunt formam sine subiecto, ut ex. gr. deitas, paternitas etc. vel *concreta*, quae formam cum subiecto, seu subiectum habens formam significant, ut Deus, Pater etc. In istorum nominum substantivorum usu variae regulae sunt observandae.

(1) Is. 2, 4.
(2) L. 15 de Trin. c. 17.
(3) L. 7 de Trin. c. 1.
(4) Ibid. c. 3.

Digitized by Google

I. *De nominibus substantivis, absolutis et relativis.*

§ 121. 1. Nomina substantiva *absoluta*, quae divinam essentiam significant, tantum in numero singulari de Deo, aut divinis Personis enuntiare licet; nam si in numero plurali adhiberentur, multiplicatam divinitatis essentiam designarent. Nullatenus ergo dici potest: Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt tres Dii, aut tres Divinitates, aut tres Domini, etc.; sed dicendum est: Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt unus Deus, una Divinitas, unus Dominus. Ex eadem ratione nomina substantiva, quae attributa divina absoluta, vel operationes Dei externas significant, de Deo, aut divinis personis in numero singulari adhiberi debent. Perperam ergo diceretur: Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt tres sapientiae, aut tres bonitates, aut tres creatores, aut tres gubernatores etc., sed catholice dicendum est: Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt una Sapientia, una Bonitas, una Omnipotentia, unus Creator, unus Gubernator.

2. Nomina substantiva *relativa*, quae ad pluralitatem in divinis exprimendam adhibentur, recte in numero plurali efferuntur. Ideo omnino orthodoxe dicitur: duae sunt in divinis processiones, personae tres, relationes quatuor, notiones quinque.

Nota 1. Quamvis nomina substantiva absoluta tantum in numero singulari de divinis personis enuntiare liceat, *verba* tamen, quae illis correspondent, in numero plurali recte adhibentur, quia verba ad personas referuntur, quae in divinis plures sunt. Idcirco recte dicitur: Pater, Filius et Spiritus sanctus creaverunt hunc mundum eundemque gubernant. Hic loquendi modus etiam in S. Scripturis invenitur: sic dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (1): *Ego, et Pater unum sumus* (2). *Tres sunt, qui testimonium dant* (3) etc.

Nota 2. Quia iuxta receptum Ecclesiae usum, persona, hypostasis et subsistentia idem significant, recte dicitur: in Deo sunt tres hypostases, seu tres subsistentiae. Sed quaestio mota est inter Theologos, an praeter tres subsistentias relativas, praedicari possit in Deo una subsistentia absoluta, tribus personis communis? — Nonnulli cum *Durando* et *Scoto* id affirmarunt, alii cum *Alex. Halensi* et *S. Bonaventura* negarunt. Sed non circa ipsam doctrinam, sed solum circa nominis subsistentiae significationem discreparunt. Recte autem observat Cl. *Tournely* (4), licitum non esse a communi et recepta nominis subsistentiae significatione recedere: quapropter sicut praeter tres personas divinas praedicare de Deo non licet aliam personam absolutam, ita nec subsistentiam absolutam. Quaesitum pariter est, an dici possint in Deo tres existentiae relativae et una absoluta? — Id affirmant *Scotus*, *Suarez*, *Tournely* et alii, quia relationes, quatenus a natura distinguuntur, sunt aliquid reale, et ideo de illis praedicari potest existentia, quae etiam essentiae Dei denegari nequit. Contrarium vero tenent *Thomistae*, qui dicunt, existentiam non esse nisi ipsam essentiam, seu ipsum esse, atque ideo relationes, seu personas divinas non habere existentias proprias relativas, sed existere una absoluta existentia essentiae: ipse *S. Thomas* id innuit (5), dicens: « In divinis nullo modo est Esse nisi essentiae; sicut nec intelligere nisi intellectus. Et propter hoc

(1) Gen. 1, 26. (2) Io. 10, 30. (3) 1 Io. 5, 7. (4) Q. 5 p. 1, c. 1.

(5) 1, q. 8, art. 2 ad 11.

Digitized by Google

sicut in Deo est tantum unum intelligere, ita etiam unum esse. » Iuxta hanc sententiam etiam dicere haud oportet, esse in Deo *tres res*, *tria entia* etc., quia per tales terminos facile triplicis essentiae idea in mente excitaretur. Sed tamen Cl. *Perrone* (1) cum *Tournely* putat, praedictas propositiones sano et catholico sensu proferri posse, « dummodo tamen adiiciatur terminus relativus, nempe dici posse: *tres res relativas* etc., non autem *tria individua*, quia individua dicuntur in ordine ad unam specie naturam, diversam tamen numero, cum tamen in Deo unica sit natura, non tantum specifica, sed etiam numerica. »

Nota. 3. Dum nomina *Unitatis* et *Trinitatis* proferuntur, primum semper pro divina essentia accipiendum est, alterum pro personis. Dum igitur Unitatem in Trinitate, et Trinitatem in Unitate confitemur, cavendum est, ne iste loquendi modus ita intelligatur, quasi in essentia divina tanquam in re quarta tres personae existant; ad quem errorem praecavendum Synodus *Toletana XI* similem loquendi modum proscripsit, dicens: *Nec recte dici potest, ut in Deo sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas.* Adhibita autem praedicta cautela, recte cum Symbolo Athanasiano dicimus, quod *Unitas in Trinitate, et Trinitas in Unitate veneranda sit;* quibus verbis nil aliud profitemur, nisi quod cum unam essentiam divinam praedicamus, etiam tres personas agnoscimus, et dum has colimus, unam essentiam profitemur. — Immerito autem et sine ulla solida ratione *Calvinus* reprehendit Ecclesiae morem canendi: *Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis*, quasi illicitum sit dicere, sanctam Trinitatem esse unum Deum: sed falsa est talis criminatio; sicuti enim etiam iuxta doctrinam Calvini licitum est dicere: Pater, Filius, et Spiritus sanctus seu tres personae sunt unus Deus, ita etiam rectissime dicitur: Sancta Trinitas est unus Deus, et quemadmodum Deus recte invocatur, ita etiam indigitata Ecclesiae invocatio sanctissima est (2). — Vox latina *Trinitas* germanice exprimitur vocabulo *Dreifaltigkeit*, quamvis autem, ut observat *Cl. Wiest* (3), nonnullis vox ista ex nativa indole sua videatur innuere triplicitatem, ita tamen Catholicorum in Germania usu sacrata est, ut sine erroris periculo retineri possit. Idem fere dicendum est de voce *Dreieinigkeit*, vel *Dreieinheit*, quamvis per utramque hanc vocem stricte loquendo non Trinitas, sed Triunitas exprimatur. Trinitas in sensu stricto germanice reddi potest vel per vocem *Dreiheit* (4), vel per vocem *Dreipersönlichkeit* (5).

Nota 4. Regulam de nominibus substantivis absolutis traditam non satis adtendit *D. Staudenmayr* dum (6) dicit: « Sic habemus tria aeterna, ex-per-in-et pro se invicem existentia-absoluta principia, » et (7) scribit: « Sic habemus pro mundo in unitate divini principii simul tria absoluta divina principia. » — Illicitum omnino est, in relatione ad mundum tria absoluta divina principia asserere; sed sicut Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt unus Creator, ita sunt etiam *unum Principium*. Id declaravit Concilium *Lateranense IV* (8), dicens: *Pater generans, Filius nascens, et Spiritus sanctus procedens, consubstantiales et coaequales*, co-

(1) N. 411. (2) Cf. Petav. l. 8 c. 8.
(3) § 251. (4) V. Klee l. 2 c. 1 § 2.
(5) V. Staudenmayr Tom. 2, § 79.

(6) Tom. 2 § 93, n. 15 p. 607.
(7) § 100 p. 630. (8) C. 1.

omnipotentes, et coaeterni, unum universorum principium, creator omnium. Mirum est, quomodo praefatus auctor, doctrina et pietate insignis, qui ipsemet in nota haec concilii verba adlegat, contrarium loquendi tenorem, qui Tritheismum redolet, sequi potuerit. Etiamsi ratio habeatur ad personarum originem, nullo modo tria absoluta divina principia statuere licet, nam Pater, et Filius, ex quibus tertia persona procedit, iuxta Concilium Florentinum non duo principia, sed unum principium Spiritus sancti dicendi sunt: Spiritus sanctus vero alterius personae principium non est.

II. *De nominibus substantivis concretis et abstractis.*

§ 122. Quaestio in scholis agitatur, an nomina substantiva absoluta supponant pro personis, seu an illa nomina in propositionibus substitui possint pro personis? — Ad hanc quaestionem Theologi cum distinctione respondent, sequentes duas regulas praescribentes:

1. Nomina absoluta concreta aliquando supponunt pro essentia, aliquando pro persona. Recte enim dicitur: *Deus creat* et *Deus generat;* atqui in priori propositione nomen *Deus* supponit pro essentia, in posteriori supponit pro persona. Ergo nomina absoluta concreta adhiberi possunt ad significanda tum ea, quae ad essentiam divinam spectant, tum ea, quae ad proprietates personales pertinent. Ratio regulae est, quia talia nomina indigitant subiectum habens formam, et ideo quidquid subiecto vel ratione essentiae, vel ratione proprietatis personalis inest, de illis nominibus praedicari potest. Non autem id, quod de propositionibus affirmativis dicitur, etiam de negativis valet, quia subiecto generaliter denegari nequit, quod sub aliquo respectu ipsi convenit: sic e. g. non potest absolute dici: *Deus non generat*, vel *Deus non est genitus*, sed tales propositiones negativas declarare oportet, e. g. dicendo: *Deus Filius non generat*, *Deus Pater non est genitus* etc.

2. Nomina absoluta abstracta non supponunt pro personis; et ideo non licet dicere: *Essentia generat*: quam propositionem falsam esse iam *S. Augustinus* (1) ostendit, observans, quod nulla res generat seipsam: sed si essentia generat essentiam, non generat nisi seipsam, cum nihil sit in Deo, quod distinguatur a divina essentia: ergo essentia non generat essentiam. Hoc idem docet *Concilium Lateranense IV*, dum dicit: *Illa res* (essentia divina) *non est generans, neque genita, neque procedens.* Rationem huius regulae reddit *S. Thomas* (2), dicens: « Licet secundum rem sit idem Deus, quod Deitas; non tamen est idem modus significandi utrobique. Nam hoc nomen *Deus*, quia significat divinam essentiam ut in habente, ex modo suae significationis naturaliter habet, quod possit supponere pro persona. Et sic ea, quae sunt propria personarum, possunt praedicari de hoc nomine, *Deus*, ut dicatur, quod Deus est genitus, vel generans. — Sed hoc nomen, *essentia* non habet ex modo suae significationis, quod supponat pro persona, quia significat essentiam ut formam abstractam. Et ideo ea, quae sunt propria personarum, quibus ab invicem distinguuntur, non possunt essentiae attribui: significaretur enim, quod esset distinctio in essentia divina, sicut est distinctio in suppositis. »

(1) L. 1 de Trin. c. 1. (2) 1, q. 39. a. 5.

Nota. **Ut cognoscatur, quandonam nomen, *Deus*, supponat pro persona, quandonam pro natura, *Cl. Sylvius* (1) sequentes regulas praescribit:**

« I. Quando huic nomini, *Deus*, nihil adiungitur, quod eius significationem restringat, vel determinet, supponit pro natura communi, sive pro illo singulari simplicissimo, quod est natura divina ut communis, imo ut realiter eadem cum tribus Personis, ac per consequens aeque principaliter, et primo supponit pro personis et pro natura, ut cum dicitur: *Soli Deo honor et gloria*.

« II. Quando isti nomini, *Deus*, tribuitur actus essentialis, qui personis convenit ratione essentiae, tunc nomen *Deus* principaliter, ac primario supponit pro essentia, minus autem principaliter, et secundario pro personis, ut in hac propositione: *Deus creat*, nam creare non convenit Patri, quia est Pater, aut Filio, quia est Filius, sed singulis personis convenit ratione naturae divinae.

« III. Quando eidem nomini, *Deus*, tribuitur talis actus, vel proprietas essentialis, quae convenit essentiae secundum quod ipsa distinguitur a personis, tunc supponitur tantum pro essentia, ut in his propositionibus: *Deus est communis tribus personis*; *Deus est trinus*, *Deus est Trinitas*.

« IV. Quando eidem nomini, *Deus*, tribuitur actus, vel proprietas notionalis, tunc supponit pro persona, eaque vel una, vel pluribus secundum quod exigit proprietas ipsi attributa. Unde in hac propositione, *Deus generat Deum*, subiectum supponit pro persona Patris, et praedicatum pro persona Filii. In ista vero, *Deus spirat Deum*, subiectum supponit pro Patre et Filio; praedicatum vero pro Spiritu sancto. »

(1) Q. 49 art. 4

ARTICULUS III.
De nominibus adiectivis ad unitatem, vel pluralitatem in divinis pertinentibus.

§ 123. Per nomina adiectiva qualitates exprimuntur, quae subiecto insunt, sic ex. gr. hominem pium, sapientem etc. vocamus. Dum de hominibus caeterisque creaturis sermo est, per nomina adiectiva saepe ea intelliguntur, quae per accidens subiectis inhaerent, et his inesse, vel abesse possunt. Absit autem, ut in hoc sensu nomina adiectiva Deo applicentur. Deo enim nihil per accidens inest; sed quidquid in Deo est, unam et simplicissimam divinam essentiam esse, fides catholica profitetur. Ast quoniam infinitam essentiam divinam uno obtutu perspicere et enuntiare non valemus, ideo varia eiusdem attributa mente nostra distinguimus, ac praeterea in eadem plures relationes, et tres personas realiter distinctas dari, per Revelationem edocemur. — Ut ergo ea exprimamus, quae tum *de attributis divinis*, tum *de essentiae unitate*, tum *de numero*, et *de distinctione personarum* credenda sunt, *nominibus adiectivis* utimur. Ut autem istorum usus recte dirigatur, variae regulae a Theologis praescribuntur. Eademque regulae etiam circa *participia*, quae nominibus adiectivis aequivalent, sunt observandae. Idem fere dicendum est de nonnullis *pronominibus*, in quorum usu etiam cautelis opus est (2).

I. *De adiectivis, quibus attributa divina praedicantur.*

§ 124. Adiectiva nomina, ***aeternus***, ***omnipotens***, ***immensus*** etc., cum significent, qui habet aeternitatem, omnipotentiam, immensitatem etc.,

(2) Cf. Berti l. 9 c. ult. Thomas ex Charmes de Deo trino Diss. 3 c. 1-3.

possunt enuntiari utroque numero, singulari et plurali. Etenim qui habet aeternitatem, omnipotentiam etc., est Deus, et qui habet eadem attributa sunt tres personae. Quamobrem si adversus Arianos, aut Macedonianos loquimur, qui negant in tribus personis unam Divinitatis essentiam, postulat catholica fides, ut dicamus: *Aeternus Pater*, *aeternus Filius*, *aeternus Spiritus sanctus*, *et tamen non tres aeterni*, *sed unus aeternus* etc., id est, unus Deus habens aeternitatem. Verum si personarum pluralitatem adversus Samosatenses designare velimus, utimur plurali numero, et tres personas confitemur *coaeternas et coaequales*, et habetur utraque enunciatio in Symbolo Athanasiano. Plerique Theologi eandem regulam ita proponunt, ut dicant, praedicta nomina adhibenda esse in numero singulari, si sumantur *substantive*, eadem vero enunciari posse in numero plurali, si sumantur *adiective*. Innituntur isti auctoritati *S. Thomae*, qui (1) dicit: « Ea, quae significant essentiam adiective, praedicantur pluraliter de tribus propter pluralitatem suppositorum. Dicimus enim tres existentes, vel tres sapientes, aut tres aeternos, et increatos, et immensos, si adiective sumantur. Si vero substantive sumantur, dicimus unum increatum, immensum et aeternum, ut *Athan.* dicit. » Haec Theologorum distinctio displicet doctissimo *Berti*, qui (2), duplicem Symboli Athanasiani locum exponens, inquit: « Neque in priori versu *aeternus* est nomen substantivum, in hoc postremo adiectivum, ut plures Theologi docent, reclamantibus etiam grammaticis: sed utrobique adiectivum est, et adiective sumitur; adiectivum nominis *Deus* priori loco, ubi confoditur haeresis ariana, et adiectivum nominis personae, ubi pluraliter enunciatur ad refellendam simul haeresin sabellianam. » Ast quidquid grammatici in genere de natura adiectivorum disserant, negari tamen haud posse videtur, quod nomina *aeternus*, *omnipotens*, *immensus* etc., de Deo substantive sumi possint, quia denotant attributa divina, quae sunt ipsa essentia Dei; quod locum non habet in hominibus, caeterisque creaturis. Ideo in praxi saltem pro institutionibus publicis — suadendum est, ut nominibus adiectivis praedictis, si in numero plurali proferuntur, vox *personae*, adiungatur, sicuti fit in Symbolo Athanasiano, quamvis etiam sine hac voce illa in numero plurali enunciari possint.

(1) 1, q. 39, a. 3. (2) L. c. n. 7.

II. *De adiectivis,*
quibus unitas naturae exponitur.

§ 125. Adiectiva nomina, quibus unitas in rebus creatis exponi solet, sunt sequentia: *unus*, *idem*, *ipse*, *unicus*, *unitus*, seu *coniunctus*, *singularis*, *solitarius*, *solus*. An autem et quomodo istarum vocum usus licitus sit, dum de Deo, seu de divinis personis sermo instituitur, per sequentes regulas determinatur.

1. Voces *unum* et *idem* recte dicuntur de personis divinis in neutro genere; non autem in masculino, nisi iungantur nomini substantivo absoluto. Ratio est, quia istae voces in neutro genere, vel quando in masculino coniunguntur cum substantivo absoluto, significant naturam; in masculino vero significant personam. Recte ergo dicitur *Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt unum, et idem*, vel *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt unus Creator*. E contra propositio: *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt unus, et idem*, falsa est, et hae-

resin sabellianam continens. Eadem regula obtinet circa pronomen, *ipse;* catholica enim est propositio: *ipsum est Pater, quod Filius;* haereticum vere esset dicere: *Ipse est Pater, qui Filius;* nam in priori propositione unitas essentiae asseritur, in posteriori distinctio personarum negatur.

2. Voces *unicus* et *singularis* minus recte Deo applicantur, quia distinctionem et ordinem personarum tollere videntur, istoque sensu eas intelligebant et usurpabant Sabelliani, et etiamnum Mahumetani *Deum unicum* profitentur, ut excludant mysterium Trinitatis. « Attamen, ait *Berti* (1), si certa verborum cautione liquet nomen Dei supponere pro substantia, fas erit appellare Deum unicum, quia non sunt plures Dei, quemadmodum profitemur unicum Dei Filium, quia non sunt plures Filii; unde disputantibus contra Atheos de naturae divinae unitate fas erit promiscue Deum unum et unicum affirmare. » Certum est autem apud omnes, praedictas voces personis applicari posse, ita ut recte dicatur: *Pater est unicus, singularis*, etc.

3. Voces *unitus* et *coniunctus* non recte dicuntur de personis divinis, quia arguunt compositionem: quae enim uniuntur et coniunguntur, ad modum partium se habent; atqui, quae compositionem arguunt, admitti non possunt in Deo, qui est Ens summe simplex.

4. Vox *solitarius* non potest recte dici de personis divinis; v. g. non potest recte dici: *Pater est solitarius*, quia haec vox non tantum naturae, sed et personarum pluralitatem excludit. Idem dicendum est de particula exclusiva, *solus*, si sumatur categorice, hoc est, prout applicat suum significatum, nempe solitudinem subiecto, ita ut idem sit ac solitarius, ac sine consortio; hoc enim in sensu locum non habet in divinis, unde hae propositiones sunt falsae: *Deus est solus, Pater est solus;* quia neque Deus, neque Pater est sine comitatu seu consortio. Idcirco *S. Augustinus* (2) ait: « Non invenitur Pater solus, aut Filius solus, cum semper... in invicem, neuter solus: » sumit enim hoc in loco vocem, *solus*, categorice pro voce, solitarius. — Si vero vox *solus* sumatur syncategorematice, hoc est, quod non applicet significatum suum subiecto, sed denotet ordinem praedicati ad subiectum, seu solum significet, praedicatum convenire subiecto, et non alteri, tunc locum habet in divinis; ut si dicas: *Solus Deus est aeternus*, sensus est quod aeternitas non conveniat aliis a Deo. Eadem vox recte etiam applicatur personis circa ea, in quibus habent oppositionem relativam: unde recte dicitur: *solus Pater generat, solus Filius est genitus*, etc. (3).

III. *De adiectivis, quae numerum Personarum exprimunt.*

§ 126. 1. Ad numerum divinarum personarum exprimendum, rectissime adhibetur vox, *trinus*, quia haec vox non significat nisi unum quid tribus distinctis modi existens. Sicuti ergo recte dicitur: *In Deo est trinitas*, ita etiam orthodoxa est propositio: *Deus est trinus.* Hac de re omnes Theologi consentiunt, et dictae vocis usum ipsa Ecclesia sacravit.

2. Iuxta communem Theologorum sententiam voces, *triplex, multiplex* de Deo non possunt praedicari, quia istae voces non tantum tres distinctos existendi modos dicunt, sed etiam tres, saltem secundum numerum, essentias innuere videntur. Equidem,

(1) L. c. n. 9. (2) L. 6, de Trin. c. 7

(3) Cf. Billuart de Trin. Diss. 4, a. 5, n. 6.

ait Cl. *Berti* (1): « Inter *Trinum* et *Triplex* perpoliti in scribendo Latini non videntur distinguere; nam Cicero ad Atticum modo *trinas* litteras scripsit, modo *triplices*, et in Tusculanis *triplicem* animam ait finxisse Platonem, id est *tres animas;* nec desunt exempla consimilia bene multa, quibus probetur significari utroque nomine, quae sint numero tria. Hinc *Petavius* (2) docet, de Deo *triplicis* vocabulum nihilosecius assumi posse, quam *trini*, nunc autem istud teneri non illud propter sermonis consuetudinem. Etsi vero *Trinum* et *Triplex* usurpatur quandoque sine discrimine, intercedit tamen haec differentia, quod omne *triplex* est *trinum*, at non omne *trinum* est *triplex*, sicut omne *simplex* est *unum*, non autem omne *unum* est *simplex*. Etenim *Trinum* solum significat numerum trinum, *Triplex* vero multiplicatam in tribus rationem; uti *unum* demonstrat solam amotionem multitudinis, et *simplex* spoliationem cuiusque compositionis. Ergo cum in divinitate sint tres numero hypostases, dicitur iure merito *Deus Trinus:* et e contra cum inter divinitatem et personas nulla sit compositio, nefas est dicere: *Deus triplex.* » Quare *S. Augustinus* (3): « Nec quoniam Trinitas est, inquit, ideo triplex putandus est: alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater et Filius. » Et *S. Thomas* (4) ait: « Trinitas absolute dicitur, significat enim numerum ternarium personarum. Sed triplicitas significat proportionem inaequalitatis. Est enim species proportionis inaequalis sicut patet per Boëtium (5). — Dicit Petavius, haec non esse magni momenti; nam personae tres plures sunt quam una, quod ad numerum attinet, etsi non plus aliquid sint, si perfectionem spectes. Sed ex adverso repono, pluralitatem numeri satis, superque innui, per numerale nomen *trinum*, per triplex autem significari etiam rem cui numerus tribuitur, esse *triplicatam*, adeo ut tres personae videantur plus aliquid esse et in numero et in perfectione, quam una tantum, si Deus dicatur *triplex*, et consequenter non solum loquendi norma, sed explorata etiam ratione Deum *Trinum* dici, non *Triplicem*. — Quotiescunque ergo apud antiquiores Graecos inveneris de Deo *Triplicis* vocabulum assumi, dicendum erit, ab his magis nominis etymologiam, quam ideam fuisse spectatam; quia vox graeca, τριπλοῦς composita est a τρεῖς, tres, et πέλω, sum » (6).

Nota. Hae phrases: *Una Trinitas*, *trina Unitas*, vel *Deitas*, quoniam usu ecclesiastico consecratae sunt, retinentur merito, adhibenturque absque offendiculo. Observandum vero est, Deitatem dici trinam non ratione substantiae sed ratione personarum, quae sunt simul una Deitas, ita ut si propter naturae communionem recte dicitur *una Trinitas*, propter pluralitatem personarum recte quoque dicatur *trina Deitas*. Etiam in Ss. Patribus istae phrases inveniuntur. *S. Gregorius Naz.* (7) quaerit: « Quomodo Unitas sit trina? » — *S. Augustinus* (8) sic Deum alloquitur: « Et aliud praeter te non erat, unde faceres ea, Deus una Trinitas, et trina Unitas: » *S. Anselmus* (9) ait: « Expedit, ut credat omnis homo in quandam ineffabilem trinam Unitatem, et unam Trinitatem. » Ecclesia demum in hymno Corporis Christi canit: « Te, trina

(1) L. c. n. 12. (2) L. 8 de Trin. c. 9.
(3) L. 6, de Trin. c. 1.
(4) 1 q. 31, art. 1 ad 3.
(5) In Arithmetica l. 1, c. 24.
(6) Ibid. n. 13.
(7) In poemate de vita sua.
(8) L. 12 Conf. c. 7
(9) Monol. c. 78

Deitas unaque, poscimus. » — Erravit ergo *Hincmarus*, qui contra Goteschalcum, et Ratramnum Monachum Corbeiensem istam locutionem: *trina Deitas* heterodoxam declaravit, vetuitque ne ulterius in hymno Martyrum cantaretur: *Te*, *Trina Deitas unaque*, *poscimus*, etc.: falso etiam edixit, praedictam phrasin a S. Augustino imperite fuisse scriptam, cum adhuc presbyter esset, et postea retractatam; nam S. Doctor (1), non illam retractat, sed potius illam recognoscit, atque confirmat (2).

IV. *De adiectivis, quibus distinctio personarum exhibetur.*

§ 127. 1. Ut ostendatur tres personas divinas realiter inter se distingui, optime adhibetur vocabulum, *distinctus* iuxta communem Theologorum usum: recte ergo dicitur: *Pater est distinctus a Filio*, vel in una essentia divina *sunt tres Personae realiter distinctae*. Cl. *Thomas ex Charmes* ait, quod sicut vox, *distinctus*, ita etiam voces, *discretus*, *secretus* recte praedicentur de Personis, quia verba, *discernere*, *secernere* idem significant ac *distinguere*. Sed quia hae posteriores voces raro a Ss. Patribus, et Theologis personis divinis applicantur, consultius sane est dicere, personas esse inter se distinctas, quam discretas, aut secretas.

2. Hae voces, *alius* et *alter*, in genere masculino, vel si ad personam referatur, in foeminino, catholice de personis dicuntur, non autem in neutro. Recte ergo dicitur: *Pater est alius a Filio*, sed haereticorum est dicere: *Pater est aliud a Filio*. Ratio est, quia illae voces in masculino vel foeminino significant personam, at in neutro significant naturam, ut probat *S. Thomas* (3), dicens: « Si quaeratur, quis est iste? respondetur: Socrates, quod est nomen suppositi. Si autem quaeratur: quid est iste? respondetur: animal rationale et mortale » per quod exprimitur natura. Iam *S. Augustinus* eandem regulam proposuit (4), dicens: « Alius, recte dicis, aliud non recte. Alius enim est Filius, quia non est ipse qui Pater, et alius Pater quia non est ipse qui Filius: non tantum aliud, sed hoc ipsum est et Pater et Filius. » Etiam *Concilium Lateranense IV* ait: *Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud*. Et quod eadem vox etiam in genere foeminino personis applicari possit, patet ex symbolo Athanasiano in quo dicitur: *Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti*.

3. Hae voces, *diversus*, *alienus*, *dissimilis*, *dispar*, *discrepans*, *differens*, *divisus*, *separatus*, aut *separabilis*, non recte praedicantur de personis divinis, quia significant naturam, non vero personam. Ideo *S. Tomas* (5) dicit: « Ad evitandum Arii errorem vitare debemus in divinis nomen *diversitatis* et *differentiae*, ne tollatur unitas essentiae: possumus autem uti nomine *distinctionis* propter oppositionem relativam. Unde sicubi in aliqua scriptura authentica diversitas, vel differentia personarum invenitur, sumitur diversitas, vel differentia pro distinctione. Ne autem tollatur simplicitas divinae essentiae, vitandum est nomen *separationis* et *divisionis*, quae est totius in partes; ne autem tollatur aequalitas, vitandum est nomen *disparitatis;* ne vero tollatur similitudo,

(1) In 1 Retract., n. 8.
(2) Cf. Nat. Alex. saec. 9, Diss. 5, § 14.
(3) 1, q. 31, a. 2 ad 4.
(4) In Tract. 36 in Ioan.
(5) 1, q. 31, art. 2, in o.

Digitized by Google

vitandum est nomen *alieni* et *discrepantis.* » Dicit enim *S. Ambrosius* (1), quod « in Patre, et Filio non est discrepans, sed una divinitas: — Pater et Filius Deitate unum sunt, nec est ibi substantiae differentia, neque ulla diversitas: » et *S. Hilarius* (2) dicit, quod « in divinis Personis nihil est diversum, nihil alienum, nihil separabile. »

Usus doctrinae de Trinitate.

§ 128. 1. Mysterium Trinitatis, divinitus revelatum, fide vera et firma ex animo credere et profunde adorare debemus. Non existimemus, nos mente nostra tam excelsum mysterium unquam perfecte comprehendere posse; quamvis enim non sit contra rationem, infirmae tamen rationis nostrae limites longe superat. Caveamus ergo ne nimis curiose illud perscrutemur, sed eo magis submittamus Deo revelanti ingenium nostrum, quo magis, teste historia, infelix rationis humanae hoc mysterium perscrutandi studium pessimas nullo non tempore pepererit aberrationes.

2. Conemur, quantum fieri potest, SS. Trinitatem imitari, eamque quasi exprimere per unionem in charitate, quod ipse Christus innuit, pro discipulis suis rogans, *ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* (3). Nunquam autem unam et perfectam charitatem habebimus, nisi Deum super omnia, proximum vero propter Deum et in Deo diligamus. Referamus igitur amorem nostrum ad fontem suum, et ad Deum ita dirigamus, ut quamvis multa sint, quae amare non tantum permissum, sed et praeceptum nobis est, cuncta tamen non aliter, nisi in Deo, et iuxta voluntatem Dei, et in honorem Dei adamemus.

3. Quoniam infinitam Trinitatis naturam perscrutari et comprehendere non valemus, eo frequentius atque diligentius summa, quae a divinis personis accepimus, et continuo accipimus, beneficia grato animo recolere et devota mente meditari debemus. Quamvis enim omnia beneficia divina ex uno fonte dimanent, et ut *S. Augustinus* (4) ait, « Omnia bona sint a Deo bono, » singulis tamen personis specialia quaedam opera appropriari solent (§ 119), nimirum *Patri* mundi creatio et gubernatio, *Filio* lapsi humani generis redemptio, et *Spiritui sancto* hominum iustificatio et sanctificatio. Haec igitur trium divinarum personarum opera in sequentibus tribus Theologiae dogmaticae specialis partibus explananda sunt.

(1) L. 1 de Fide c. 2.
(2) L. 7 de Trin. (non longe a fine).
(3) Io. 17, 21.
(4) Serm. 29.

Digitized by Google

INDEX

Digitized by Google

THEOLOGIAE

DOGMATICO-POLEMICAE SPECIALIS

PARS I.

Digitized by Google

VA1-1529278

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google